CONCI INCHINI



CONC: BOSKIEN



Conu

GAF

CANO

DE QVA

NVNC

Latinum

F. ANT



CO

Apud I



R. D.
GABRIELIS INCHINO
CANON. REGVL. LATERANEN.

CONCIONES
DE QVATVOR HOMINIS NOVISSIMIS.

NVNC PRIMVM EX ITALICO IN Latinum idioma conuersæ, interprete F. ANTONIO DVLCKEN Cartusiæ Coloniensis Alumno.



COLONIÆ AGRIPPINÆ
Apud Ioannem Crithium sub signo Galli.
Anno M.DC. XIII.



NOBILISSIMO
ET CLARISSIMO VIRO
D. ANDREÆ HANNEWALT AB ECKERSTORFF SILESIO, SAcræ Cæsareæ Maiestatis Consiliario intimo.



Vantam habeat vim & efficaciam VIR NOBILISSIME ATQVE CLARISSIME, *rationis summo iudici reddendæ, pœnarūq; sceleratis, ac præmiorum pijs actionibus constitutorum consideratio, ad homines à vitijs & impietate, ad honestatem & vitæ sanctimoniam traducendos: non ijs modo, quos Deus fidei lumine illustratos vera sui cognitione imbuit, sed illis etiam, quorum animi densissimis errorum tenebris immersi, hac veritatis luce caruerunt, cognitum fuit. Nam cùm intelligerent fieri non posse; vt homines solo naturæ ductu, à vitijs se cohiberent, iustitiamq; sectarentur, nisi præmijs aut pœnis propositis, partim ad virtutem allicerētur, partim à flagitijs absterrerentur: putarunt omninò sibi enitendum esse, vt*

se, vt

se, vt hominibus persuaderetur, aliam superesse vitam, in qua ijs, qui iustè & sanctè vixissent, præmia, ijs verò qui scelerate & impiè egissent, supplicia decernerentur. Itaque cùm fidei lumine carerent, sapientes eorum, & inter hos præcipuè Philosophi & Poëtæ, multa absurda de futuro seculo confinxerunt.

Ita Plato in Phædrone, Gorgia, & Axiocho, alijsque in locis.

Nam vt pauca de plurimis eorum figmentis referam: aiunt, animos hominũ mox vt è corporibus abscesserint, proficisci in loca quædam ferreis claustris clauibusq́; munita, atque his patefactis, ad bina flumina Acherontem & Cocytum ferri, quæ eis tranãda sunt: quibus transfretatis, ad iudices in locum, quem Campum veritatis *appellant, duci. Iudicum munere alij Minoën & Rhadamantum, alij Adrastiam scelerũ vltricem, alij alios defungi putãt: eosq́; tanta esse iustitia & seueritate, vt nemo vnquã eorum manus vel precẽ, vel muneribus, vel minis euaserit. Hos verò sedentes disquirere, quam quisque in corpore vitam duxerit. Si quos vitam sordidam & terrestrem vixisse, flagitijsq́; & libidinibus se inquinandos tra-*

didisse

didisse compererint, hos alij aiunt in profundissimum, nefandum, teterrimumq́; carcerem, miserorum æternis luctibus reboantem includi: alij, in cœnum quoddam apud inferos infodi: alij Erynnibus cruciãdos tradi, à quibus per medium tartarum abrepti, in Erebum & Chaos, quæ impiorum sedes & domicilia sunt, detruduntur: ibi verò esse Cerberos tricipites, inexplebiles vrnas, sitim Tantali, viscera Tityi, saxum Sisyphi, rotam Ixionis: ibi illos ab agrestibus & igneis quibusdam viris dilaniari, excoriari, ligatis manibus ac pedibus, capite interius truso super tributis volutari, ignitis facibus cõcremari. flagellis verberari, & omnibus supplicijs excruciari. Quos verò iustitia & vitæ probitate insignes fuisse aduerterint, alij aiunt ad locum quendam beatum deduci, vt ad epulas sanctorum coronati discumbant, atque omne deinceps tempus ebrij viuant, arbitrati pulcherrimũ esse virtutis præmium ebrietatem æternam: alij autem multò prudentiùs, aiunt illos ad insulas quasdam beatas & nobis incognitas transferri, ibi verò in pratis florum varietate vernantibus quiescere,

Ita Musæus, Orpheus, Pindarus, Homerus & alij.

re, inter crebros fontes omnigenis arboribus plantisq́; amœnißimis consitos, cũ Philosophis alijsq́; doctis viris congredi, dulcißimam chororum concinentium symphoniam audire, iucunda inter se conuiuia agitare, vitam denique suauissimam viuere, quam nulla hyems aut æstus molestet, sed salubre temperatumq́; cœlum placidis solis radijs illustre reddat iucundißimam.

Hæc illi quidem, imbecillo naturæ lumine ducti, vt homines ab impura & flagitiosa vita abstractos, ad virtutum studia incitarent, confinxerunt: cum ipsam rerum veritatem, eo quod claro fidei iubare destituti essent, perspicere nõ valerent. Quanto nos rectiùs qui luce hac illustrati (quam nobis sacrosancta illa de cœlo in terras vltimis tẽporibus, ad homines ab erroribus, quos seculorũ impietas attulerat, reuocandos missa, humanoq́; corpore velata sapientia detulit) certò & indubitato credimus, animas statim post emigrationem ab Angelis diuino tribunali sisti, Christoq́; iudici iustißimo ac seuerißimo præsentari: illum verò post diligentem singularum actionum quas in corpore gesserunt exa-

mina-

minationem sententiam ferre, (quæ in extremo quoque sæculorum die quando vniuersum genus humanum ad vitam reuocabitur, & in omnes generale iudicium exercebitur, rata ac firma permãsura est) & si eas scelerum impuritatibus fœdatas inuenerit, in imam terræ regionem, quam infernum vulgato nomine Theologi appellant relegare: regionem vti S. Bernardus ait planè duram & extimescendam, terram afflictionis & miseriarum, terram turbinis & caliginis, terram sitis & famis, terram cõbustionis & frigoris, quam nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat: vbi ignis qui non succenditur, vermis qui non moritur, frigus horrendum, furor intolerabilis, mallei percutientes, fletus & stridor dentium, planctus & gemitus. Sin autem eas iustitiam & pietatẽ coluisse, vitæq; sanctimoniam & integritatem sectatos fuisse deprehenderit: ad cœlestem paradisum, regionem, vti S. Bernardus eodem in loco ait, beatam & gloriosam plenam voluptatis & gratiæ, suauitatis & lætitiæ, benignitatis & gloriæ transferre. Ibi verò nihil esse nisi mera gaudia, omnium rerum summam

In serm. de S. Nicolao.

abundantiam, cytharas & organa dulcißima, iucundißimam cum sanctis Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus, sanctisque Virginibus & mulieribus, qui omnes ardentißima inter se charitate copulati sunt, conuersationem, & vitam securißimã, omnis periculi, molestiæ, perturbationis expertem. Et vt rem infinitam paucis complectar, talem ibi esse felicitatem, vt eam nullæ Angelicæ linguæ, nedum humanæ satis queant exprimere, quibus omnes qui in hac vita piè sancteque vixerint, in sempiternum tempus perfruentur. Porro quam vtilis sit harum rerum frequens memoria quis nõ videt? Quid enim efficaciùs hominem commouet, ad prauissimam peccandi consuetudinem deserendam, studia virtutum toto animo persequenda, & mores ad diuinorũ præceptorum sanctitatem accommodandos quam mortis, iudicij, præmiorumque & pœnarum sedula recordatio? Quis enim fraudibus, fallacijs, imposturis, rem suam augere, honores ambire, possessiones possessionibus cumulare cupiat, quando secum reuoluit, omnia in morte sibi relinquenda, & seueram de

ijs summo Iudici rationem reddendam esse? Quis impijs factis etiam in abscondito, nullis præsentibus arbitris, se contaminare audeat, quando perpendit in extremo iudicij die nullum fore scelus in occulto, sed omnia in totius mundi theatro, atq; cunctorum qui fuerunt, sunt, erunt, hominum conspectu, publicanda & manifestanda esse? Quis libidinum pestibus, voluptatum blandimentis, aut alijs vitiorum generibus se constringendum tradat, quando recordatur, ea se exquisitissimis in omnem æternitatem supplicijs in illa sempiternæ miseriæ regione luiturum esse? Quis ad virtutem atque perfectionem, per angustam & arduam diuinorum mandatorum & consiliorum semitam, per contemptum suipsius & rerum terrenarum per ludibria, persecutiones, aliaq; mundi huius aduersa capessendam, totis viribus non enitatur, quando ad præmium illud inæstimabile ac sempiternum, quod pro momentaneis huius vitæ sudoribus in cœlo sibi adseruari certò credit, oculos mentis eleuat? Cum igitur frequenti harum rerum considerationi tanta vis & efficacia insit,

operæpretium illum facturum esse semper existimaui, qui calamitosis hisce temporibus quando propter summam vitiorum licentiam, ita corrupta videtur esse via vniuersæ carnis, vt verè de illis verificetur illud Christi: Abundabit iniquitas & refrigescet charitas multorum : *hominibus hanc memoriam refricaret. Præstitit hoc nostro æuo, inter alios singularis doctrinæ, religionis atque facundiæ vir,* R. P. GABRIEL INCHINO *Canonicus Regularis Lateranensis, qui concionibus de quatuor hominis nouissimis primum è suggestu ad populum habitis, deinde etiam in lucem lingua sua vernacula, id est, Italica editis, hoc vnum maximè spectauit, vt eorundem nouissimorum consideratione homines à caducæ huius vitæ amore, flagitijsq́; & impuritatibus abstractos, ad iustitiam & pietatem, cœlestisq́; beatitudinis amorem inflammaret. Has cum ego aliorum rogatu in Latinam linguam cõuertissem, & superiorum meorum permissu euulgare cogitarem, non diu mihi deliberandum fuit, cui potissimum eas inscriberem atque offerrem. Nam circumspicienti mihi,*

Matt. 24.

tu ex

tu ex omnibus, VIR NOBILISSIME ATQVE CLARISSIME primus occurristi, qui eas nominis tui auctoritate, virtutumqúe splendore posses: & pro eximio tuo, non modo in vniuersum ordinem nostrum affectu, sed etiam priuatim erga me beneuolentia, velles, ab inuidorum calumnijs vindicare. Nam quid ego hic multa de nominis ac virtutum tuarum splendore referam? Quid generis nobilitatem? quid singularem primò apud Serenissimum Archiducem MAXIMILIANVM, deinde apud fratrem illius Imperatorem RVDOLPHVM II. in cuius obsequijs iam viginti penè totos annos exegisti, gratiam initam? Quid summam in legationibus obeundis, difficilisimisq́, negotijs transigendis dexteritatem percenseam? Experta est sæpenumerò sacra Cæsarea Maiestas, tuam fidem, amorem, industriam & sedulitatem, tum in comitijs Imperij, tum in Argentoratensi prælio sopiendo, paceqúe inter dissidentes firmanda & constituenda: tum verò in varijs legationibus, præsertim Embdana & nouissima ad tres principes E-

lecto-

lectores, domumq́; Bauaricam in rebus imperij valdè arduis instituta legatione. Nihil ergo mirandum si eadem sacra Cæsarea maiestas, melioris iudicij de te sui & præcipuæ gratiæ multa quotidiè indicia pergat prodere, maioribusq́ue te honoribus cumulare. De virtutibus verò, quæ tum propter multitudinem, tum propter magnitudinem & raritatem earum, omnibus te carum & admirabilem reddunt, quid primum aut postremum dicam? Mirentur alij tuam in secundis rebus modestiam, alij inuictum in aduersis animi robur, alij singularem in verbis facundiam, & in conuersatione comitatem, alij alias: Ego verò potissimum admirabor & prædicabo summum tuum in religione Romana Catholica defendenda zelum & constantiam, eximiamq́; in Deum pietatem, quam non modo priuatim exerces, sed etiam publicis operibus declarasti: testatur id aureum illud monile B. Virgini Lauretanæ dono transmissum: testatur & patera argentea inaurata magni ponderis, SS. tribus Regibus dum Coloniam Agrippinam legationis perficiendæ causa transiens, illos inuiseres,

uiseres, donata: testatur lumen perpetuum in Ecclesia Franciscanorum Pragæ fundatum: testantur & alia quæ toti retro posteritati de insigni tua religione ac pietate testimonium ferent. Denique ne id quod potissimum erat, silentio præteriisse videar: quanta sint tua in vniuersum ordinem nostrum merita & beneficia, cum illa in omnium conspectu posita & cunctis nota sint, satius putarem silere, quam aliquid dicere, ne dum imbecilli oratione mea, illa vt par est, describere & exornare nequeo, ea non illustrasse sed obscurasse videar. Quis enim pro dignitate explicet, quam multa apud sacram Cæsaream maiestatem, pro Argentoratensis Cartusiæ quæ nunc Moltzemium translata est, quam hæreticorum furor & impietas euerterat, restitutione ac reædificatione egeris, quot molestias in huius negotij translatione pertuleris, quanta cum humanitate eiusdem Cartusiæ Priorem integro penè anno hospitio exceperis, causas eius promoueris, nec prius quam voti compos fieret abire passus fueris? Sed pedem refero, & alia tua, non modo in vniuersum ordinem beneficia, voluntatemq;

temq;

temq́ue promptissimam ordini non semel oblatam, sed etiam priuatim in me (quē nō modo inuisere, sed etiam muneribus ornare dignatus es) collata, prætereo: tū ne panegyricum alicui scribere & supra veritatem res ipsas exaggerare videar; tum ne Clariss. Dominationi tuæ, in nimijs laudibus (quas illa sacris literis edocta summoperè fastidit) congerendis, quod necessario, si omnia velim attingere, futurum esset, molestus sim.

Accipe igitur, Vir nobilissime atque clarissime, munus hoc literarium in perenne pietatis tuæ erga Deum, zeli & studij in catholicam regionem, amoris in vniuersum ordinem nostrum, & beneuolentiæ erga me testimonium: & postquam benigno vultu susceperis, si non omninò displicet, (nam vt placeat sperare non ausim) in illud aliquando velut in hortulum spiritualibus floribus consitū, post grauiores occupationes diuerte. Illic enim inuenies vnde mœrorē ex obitu vxoris tuæ, ANNAE MARIAE Erstenbergiæ lectissimæ fœminæ, quæ præclarum in vita integritatis, prudentiæ ac pietatis specimen fuit, conceptum lenias: illic vnde stimulos ad præclarum

illud animi robur, in fide Catholica ad extremum vsque spiritum tuenda, pietatemq́; & iustitiam sanctissimè colendam, confirmandum & augendum, haurias, vt tandem à Domino fœlicē illam inuitationem audire merearis: Euge serue bone & fidelis; intra in gaudium Domini tui. *Vale Vir nobilissime & mihi, domui nostræ, vniuersoq́; ordini Cartusiensi fauere perge: fauebis verò si more tuo fouebis. Nos vicissim Deum precabimur, vt te Christianæ Reipublicæ longo tempore seruet incolumem, & demum æterna in cœlis beatitudine coronet. Datum ex Cartusia Coloniensi Nonis April. Anno Dominicæ Incarnationis M. DC. IX.* Matt. 25.

Vestræ nobilissimæ & clarissimæ Dominationis

seruus,

F. Antonius Dulcken Cartusianus.

PIO LECTORI.

HÆ conciones, pie Lector, verè dici possunt, lucidissimum quoddã speculum in quo se quilibet Christianus contemplari potest & cognoscere, quid sibi agendum sit, vt pœnas inferni euadere, sempiterna verò cælestis regni bona consequi liceat. In ijs præterea latet ingens quidam thesaurus spiritualis ad animas locupletandas. Hic enim est magna auri copia, id est, multorum insignium locorum noui & veteris testamenti expositio. Hic argenti ingens abundantia, id est, solida & candida sanctorum Ecclesiæ doctorum doctrina. Hic aureæ pateræ, id est, sacrarum literarum figuræ elucidatæ. Hic argentea vasa innumera, id est, similia à rebus naturalibus, artiumque professoribus desumpta. Hic margaritæ pretiosissimæ, id est, diuinarum scripturarum auctoritates. Hic gemmæ splendidissimæ, id est, sanctorum Doctorum, mũdique sapientum sententiæ. Hic monilia magnæ æstimationis, id est, conceptuum & discursuum concatenatio. Hic denique coronæ regiæ, id est, figuræ sacrarum literarum singulis concionibus quasi capiti præfixæ. Et certè eas pro lucido speculo ingentiq; thesauro ab omnibus susceptas fuisse satis indicant trinæ impressiones, quæ sibi inuicẽ successerunt. Quantò ergò nunc grauiores erunt futuræ, cum ab ipso auctore correctæ & auctæ & in numeros certos, qui totidem concionibus deseruire possunt, ad legentium commoditatem distinctæ, in lucem prodeunt. Quod te, pie Lector, ignorare noluimus. Vale & fruere.

APPRO-

APPROBATIO VERSIONIS.

HAE conciones de quatuor hominis nouissimis, primum à R. D. Gabriele Inchino Canonico Regulari Italicè conscriptæ, deinde à R. P. Antonio Dulcken Cartusiano in latinam linguam conuersæ, nihil à sana doctrina alienum, sed multa ad mores in melius formandos vtilia & accommodata complectuntur. Quare non modo tutò, verum & vtiliter typis mandari posse iudico.

F. Gisbertus Spechtius S.S. Theologiæ Professor, necnon librorum censor ordinarius, Prior Fr. Prædicat.

INDEX.

LOCORVM S. SCRIPTVRAE, QVAE IN HISCE concionibus exponuntur.

GENESIS.

EXODI.

DEVTERONOMII.

REGVM.

3.10. Ve-

38 Vni-

ECCLESIASTÆ.

SAPIENTIÆ.

ECCLESIASTICI.

36 Me-

5 Glo-

EPIST. B. IOANNIS.



INDEX,

BREVEM HARVM CONCIONVM SVMMAM, RERVMRVMQVE IN ILLIS NOTATV DIgnissimarum complectens.

DE MORTE.

PARS PRIMA.

Procemium.



PARS SECVNDA.

III. Ho-

TERTIA PARS.

QVARTA PARS.

DE IVDICIO.

PRIMA PARS.

pro-

PARS QVARTA.

DE INFERNO.

PARS PRIMA.

SECVNDA PARS.

TERTIA PARS.

QVARTA PARS.

DE COELESTI GAVDIO.

PRIMA PARS.

Prooemium.

SECVNDA PARS.

TERTIA PARS.

QVARTA PARS.

FINIS INDICIS.

ANTONIVS POSSEVINVS
in apparatu sacro.

GABRIEL INCHINVS Canonicus Regularis Lateranensis Conciones vberes Italicè, De quatuor nouissimis: Neapoli, Cremæ, & Rauennæ habitas, in lucem emisit: quæ cum primò ipso inscio editæ fuissent, recognitas postea & distinctius digestas Venetijs imprimi cūrauit. Ex quibus sex supra centum sermones breues elici & concionibus per annum aptari possunt.

R.D.



R. D. GABRIELIS INCHINO, CANONICI REGVLARIS LATERANENSIS,

CONCIO DE MORTE.

Habita Neapoli in Ecclesia Spiritus sancti Dominica 15. post Pentecosten. Anno, M. D. LXXIX.

Venit Iesus in Ciuitatem quæ vocatur Naim. *Lucæ.* 7.

Quis est homo qui viuet, & non videbit mortẽ, Psal. 88.

PROOEMIVM.



Rgône verum est omnes homines esse mortales? Ergône dissoluetur hic nodus, dirimetur hæc societas, & dissociabitur hæc amicitia corporis & animæ? Ergône vox hæc deficiet? lingua obmutescet? os vltra non loquetur? Ergône moles hæc corporis terræ mandabitur? caro à vermibus depascetur? ossa pelle & carnibus nudabuntur? Ergône omnes homines quibus vita suppetit, dissoluentur, interibunt, motuq; & sensu priuabuntur?

Testatur id terribilis sepulchrorum aspectus: horridus & confusus campanarum sonus: literæ marmoreis monumentis incisæ: ossa in cœmiterijs dispersa: & denique feretrum illud, quo hodie delatus fuit adolescẽs defunctus extra ciuitatẽ Naim, vt sepulturæ mandaretur? O mortales! O mortales! Quod est dominium, quod imperium, quæ potestas nostra: cum hæc manifestè indicent & ostẽdant, mortem in hoc mundo rerum potiri atq; regnare? Mors tenet imperium: mors dominatu suo mundum premit: mors neminem reueretur: omnes æqualiter tractat: omnes vita spoliat; omnes ad terram & subter terrã sternit: omnes in cinere redigit. Et tamen homines ita omnẽ mortis memoriã deponunt, quasi semper victuri, & nunquam

quam morituri essent; aut quasi cum morte pactum & fœdus, ne ad fores illorum pedem poneret, pepigissent.

Cum igitur homines in tanta socordia & dormitantia sine vllo mortis metu vitam exigere videam, hodierni Euangelij lectione, quæ adolescentem in ipso ætatis suæ flore defunctum nobis proponit, admonitus, de morte disserere statui. Quæ materia quamuis hominibus ingrata sit, vtilis tamen & fructuosa est, & digna quæ à vobis attentis auribus & animis audiatur: huius enim memoria, vos ad perpetuam & immortalem vitam, quæ à morte libera est, perducet.

Ne autem sermo meus de morte ad viuentes, languidus, remissus, & mortuus sit, ad Beatissimæ Virginis Mariæ, viuorum & mortuorum Aduocatæ opem confugio.

Tu ô Regina cœlorum, Aduocata mortalium, & Beatorum omnium in cœlis viuentium Domina, mihi hodie de morte verba facturo, da vitam spiritui meo, spiritum voci, vocem viuacem conceptui: vt spiritus viuacitate, vocis animositate & elegantia, atque efficacia conceptuum, horribilem, sed vtilissimam mortis memoriam in omnium me audientium mentibus semper viuere faciam. Vos etiam, Auditores, precibus & attentione, hunc meum de morte sermonem promouete, vt vitam hanc caducam & interituram contemnere, & aliam immortalem, nec vnquam finem habituram, sperare possitis.



PRIMA PARS.



INter admirandas viſiones, quas vniuerſorum Dominus, ſecundũ quietem hominibus oſtendit, illa quam Rex Chaldęorũ Nabuchodonoſor in ſomnis cõſpexit, ſublimi intelligentia, & profunda conſideratione mihi digna eſſe videtur. Attendite. Quieſcebat hic rex in lecto ſuo regio, ſecumq́ue cogitare cœpit, quæ futuris temporibus ſibi & regno ſuo euentura eſſent, (cogitatio Rege profectò digna:) dum hæc ſecum reuclueret, ſomno correptus eſt; & Deus ſublimium myſteriorũ reuelator, Regumq́ue moderator, ſecundùm quietem, ei ſomnium oſtendit, ex quo animo vehementer conturbatus & commotus eſt.

Viſionis quã vidit Nabuchodonoſor in ſomnis deſcriptio.

Vidit enim ſtatuam ingentem & excelſam coram ſe ſtãtem: cuius caput aureum, brachia & pectus argentea, venter æreus, crura ferrea, & pedes partim fictiles, partim ferrei erant. Dum verò terribilem hanc ſtatuam, tremens ac ſtupens contẽplaretur, vidit exiguum lapidem ab ingẽti monte ſine manibus abſcindi, qui pedes partim fictiles, partim ferreos conterens, totam admirandæ huius ſtatuæ molẽ terræ alliſit, ſimulq; teſtam, ferrum, æs, argentum & aurum; caput, pectus, brachia, ventrẽ, crura, & pedes contriuit, & in minutiſſimũ puluerẽ redegit, qui à vento diſperſus, ne minimum quidẽ ſui veſtigium mundo reliquit. Lapis autem qui tantæ ruinæ cauſa fuerat, in montem tantę magnitudinis excreuit, vt vniuerſam terrã impleuerit. Expergefactus Rex, viſionis quæ ipſum vehementer turbauerat,

obliţus fuit, nec quenquam inter omnes imperij ſui, quod ſanè ampliſſimum erat, ſapientes reperit, qui eam ſibi in memoriam redigeret atque interpretaretur, præter ſolum Prophetam Danielem. Qui ſic ad eum ait. *Tu rex videbas & ecce ſtatua grandis & ſublimis ſtabat coram te. Huius ſtatuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento; porrò venter ex ære tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. Videbas ita, donec abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis & fictilibus, & comminuit eos. Tunc cōtrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum & aurū: & redacta quaſi in fauillam æſtiuæ areæ, quæ rapta ſunt vento: nulluſqúe locus inuentus eſt eis: Lapis autem qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram.* Hæc eſt viſio quam Rex vidit, quamq́ ei Daniel ad memoriam reduxit. O viſionem terribilem & admirandam. O myſteria eximia & tremenda, quæ ſub velo & figura ſtatuę huius abſcondita ſunt. Singulæ namque huius viſionis partes, profunda in ſe myſteria cōplectūtur, adeoq́; digna ſunt quæ diligenti conſideratione perpendantur. Attendite, tranſeo enim ad ſpeculationem atque interpretationem nouam & hactenus inauditā, nec à quoquam, quem mihi videre aut intelligere licuit, ſcriptis commendatam.

Dan. 2.

Statua quā conſpexit Nabuchodonoſor figura hominem in ſtatu innocentiæ.

Statua hæc ingens & ſublimis, repræſentat examuſſim hominem in primęuo innocentię ſtatu. Erat enim ei caput ex auro optimo, quia dotatus erat gratia & iuſtitia originali, quæ illum perfectum conſtituebat. Erat ei pectus & brachia ex argento puro, quia dominabatur omni-

omnibus creaturis: quo fiebat, vt animantia omnia tũ aquatilia, tum terrestria, tum volatilia, quin & cœli atq; omnia quæ eorũ ambitu continẽtur, ad nutum ei obtẽperarent. Erat ei venter ex ære sonoro: quia præditus erat sũma sapientia & perfecta cognitione omnium rerũ, qua resonabat etiã in auribus Dei quandoquidem ex mandato atque in præsentia ipsius, omnibus & singulis creaturis, iuxta singularum essentiam & proprietates nomina imposuit. Erant ei crura ferrea, pedes partim ferrei, partim fictiles: quibus, qua parte ferrei erãt, denotabatur anima ipsius rationalis, semper firma, stabilis, & immortalis, quã tãquam diuinũ quid, cũ Angelicis spiritib⁹ cõmunem habet. Qua verò parte fictiles erãt, significabatur corpus illius natura corruptibile & mortale. Quẽadmodũ enim pedes partim ferrei, partim fictiles, ingentis huius statuæ vniuersã molẽ sustinebant: ita duę hæ partes, anima videlicet immortalis, & corpus mortale, simul iunctæ hominẽ constituunt, eiq; esse largiuntur. O quã ingẽs statua, quam admirabilis colossus fuit homo in primæuo statu innocẽtiæ?

centiæ consi.uium.

Hominis in statu innocentiæ fœlicitas.

In hoc autem fœlicissimo statu si perstitisset, mortẽ nullo vnquam tẽpore gustasset, sed immortalis extitisset: quando enim omnipotenti Deo è mundo ipsum tollere placuisset, sine morte & sine aliqua corporis molestia, corpore glorificato, transtulisset eũ in cęlũ, vt ibi secum triumpharet, & fœlicissima Paradisi iucunditate perenniter frueretur. O inauditã hominis excellẽtiam, si in fortunatissimo illo statu permansisset. O ingentem fœlicitatem, quæ si nullo inobediẽtię scelere se obstrinxisset,

 set,

ſet,ad nos etiam permanaſſet: fuiſſemus enim ei ſimiles in innocentia, potentia, ſapientia; & ſine morte,aut moleſtiæ alicuius perpeſſione, corpore glorioſo ad beatorum regna euolaremus. Sed heu, non diu perdurauit ipſius fœlicitas & gloria. O caſum deplorandum. De improuiſo abſciſſus eſt de mōte lapis, *ſine manibus*, qui ſublimis huius ſtatuę, creaturę huius eximiæ, hominis videlicet innocentis, pedes contriuit, eumqúe ad terram proſtrauit & comminuit. *Lapis* autem *qui percuſſerat ſtatuam*, peracta ingenti hac ruina, factus eſt *mons magnus, & impleuit vniuerſam terram.*

Lapis à mõte abſciſſus ſine manibus qui ſtatuam contriuit, mortem ſignificat.

Quis eſt mons, & quis lapis, qui ab hoc mōte abſciſſus eſt? Mons eſt peccatum. Mons verè excelſus, quādoquidem in cœlis initium habuit, (vti manifeſtū eſt,) quando Lucifer cum aſſeclis ſuis in ſuperbiam elatus, Deo rebellauit, eiqúe ſe coæquare tētauit. Lapis autem ab hoc monte abſciſſus, eſt mors. *Per peccatum* enim, S. Paulo teſtante, *mors intrauit in mundum.*

Rom.5.

Iob.14.

Audite S. Iob eundem nobis conceptum proponentē. *Mons* inquit, *cadens defluit, & ſaxū fertur de loco ſuo. Mons cadens defluit.* Ecce peccatum, quod de cœlis in terrā cum Lucifero cecidit. *Et ſaxum fertur de loco ſuo*: Ecce mors quæ ab illo proceſſit, & à ſeipſa venit in mundum. Nō auditis? *ſine manibus.* Quia licet Deus omnipotēti manu ſua condiderit omnia, (*Omnia per ipſum facta ſunt*,) attamen mortem non fecit, Deus enim omnia creauit ſecundum rerum creatarum ideas & exemplaria, quæ in ipſo perenniter ſunt, viuunt, & vitam habent, quemadmodum cœleſtis illa Aquila rectè ait: *Quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Quare ſi Deus fecíſ-

Ioan 1.

Probatur Deum non feciſſe mortē Ratio prima

Ioan.1.

feciſſet mortem, oporteret quoque ideam illius in ipſo fuiſſe & adhuc eſſe: in Deo autē nō eſt, neque eſſe poteſt idea mortis: vita enim & mors ſunt contraria, & iuxta philoſophū *duo contraria non poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto.* Ergo cùm Deus ſit ſumma vita, imo ipſamet vita, & omnia quæ in illo ſunt, ſecundum eſſe ideale, (vt docti norunt) viuant, non poteſt in illo eſſe quicquam mortuum, & ex conſequēti, nec idea mortis. Quare cū in illo non inueniatur idea mortis, neceſſario inde cōficitur, ipsū nō eſſe authorē & effectorē mortis. O rationē ſublimē, breuem & verā. Audite & aliā.

Mors vti liquet, eſt defectus quidam ſiue priuatio tendens ad nihilum: *Priuatio* verò, teſte Philoſopho, *nihil eſt*. Nihil autē non fecit Deus, ſed factum eſt ſine illo, dicēte Euangeliſta: *Sine ipſo factum eſt nihil.* Ergo aſſerendū eſt Deum non feciſſe mortē. Sed quid argumentis id confirmamus, cùm ſpiritus ſanctus per os Sapiētis id clarè teſtetur? Deus, inquit, *mortē non fecit, nec lætatur in perditione viuorū.* Quin & magna illa Cæli tuba ad Romanos ſcribens, apertè docet, mortem à peccato, nō à Deo proceſſiſſe, ac per illud in mundū introductā eſſe. *Per vnum hominem*, inquit, *peccatum intrauit in mundum, & per peccatū mors.* A ſeipſo igitur exitialis hic lapis, crudelis videlicet mors, à mōte peccati proceſſit: *abſciſſus eſt, ſine manibus.*

Ratio ſecunda.

Ioan. 1.

Probatur idē auctoritate.

Sap. 1.

Rom. 5.

Sed poſteaquā abſciſſus eſſet hic lapis quid fecit? Percuſſit in pedibus ferreis & fictilibus ſtatuam: hoc eſt hominem innocentem: quia corpus eius mortale, quod animæ immortali copulatum erat, tetigit. Per peccatū enim obnoxius morti factus eſt, & extēplò pulcherrima

Quantam ruinam lapis

iste abscissus effecerit.

ma illa ingentis huius statuæ species, hoc est fœlicissimus hominis innocentis status concidit. Tum cōtritum est aurum, quia gratia & iustitia originali spoliatus, & in puris naturalibus relictus fuit. Contritum est argentũ, quia perdidit dominiũ in creaturas, quæ illi rebellare cœperunt. Contritum est æs, quia in donis etiã naturalibus, vulneratus fuit: cũ enim antea sapiẽtissimus esset, in multarum rerum ignorantiam lapsus est. Contritum est ferrũ, quia anima, pars diuina, mille passionibus & defectibus subiecta fuit. Contritum est lutum, quia corpus hominis, quod prius erat mortale & incorruptibile, factum est corruptibile. O ingentem hominis ante peccatum fœlicitatem. O maximam eiusdem post peccatum miseriam.

II.

Quomodo homo ex cõtrarijs constans qualitatibus immo. talis esse potuit.

SEd hic quædã se mihi offert dubitatio. Dicet forsan aliquis: Quomodo poterat homo esse corpore immortalis, cùm ex quatuor elementis, quatuor nimirum qualitatibus cõtrarijs, calido, frigido, humido & sicco constaret, quę propter continuam inter se pugnã, ad corruptionem, omnia ex se composita reducunt. Attendite, hæc enim à nobis silentio prętereunda nõn sunt, ne aliquis error cõmittatur. Certissimum est, neque negari potest, primum hominem quo ad naturam extitisse mortalem, ratione videlicet qualitatũ contrariarum, quæ compositum omne corruptioni obnoxium reddunt: sed ex speciali gratia & singulari Dei beneficio conseruabatur, ne mori posset, si nollet. Quod vt omnes intelligant, facili declarabo similitudine.

Si

Si nauis aliqua paſsis velis atque ſecundo vento ſpirante, in flumine magno & rapido conſtituta foret, nonne neceſſario, ventorum & aquarum impetum ſequeretur, quouſque ad mare, vel ad locum deſtinatū perueniret? Eadem verò nauis ſi fune aliquo ad palū terræ infixum religaretur, nonne clarum & euidens eſſet, eam naturalem ſuum curſum amplius ſequi non poſſe? Si autem nauarchus diſſolutis nodis funem relaxaret, nonne confeſtim quo vndæ ac venti impellerent, ſequeretur, quouſque ad locum determinatum appelleret? Hic videtis ſtabilitatem nauis à fune proficiſci, ex natura verò ſua per aquas deferri, quo eam vndæ ac venti propellunt. Intelligite. *Illuſtratur id eleganti ſimilitudine.*

Homo eſt nauis hæc, conſtitutus nimirum in velociſſimo flumine præſentis vitæ: qui, quoniam ex quatuor elementis compoſitus eſt, ex natura ſua currebat, quouſque ad præſtitutum vitæ ſuæ finē, & mare mortis appelleret. At clementiſſimus Deus in primo illo innocentiæ ſtatu, validiſſima eum reſte, gratia nimirum & iuſtitia originali conſtrinxit, quo fiebat, vt naturalis eius ad mortem curſus impediretur. Ideóq; diuinæ huic reſti alligatus, neque ad finem vitæ ſuæ currere, neque quid mors eſſet experiri poterat. Cernitis igitur eum immortalem extitiſſe per Dei gratiam, non per naturam. *Gratia & iuſtitia originalis, quid in homine in ſtatu innocētiæ operata fuerit.*

Sed (ô caſum acerbis lachrymis deplorandū) poſteaquam inſtinctu Cacodæmonis homo inobedientiæ ſcelere ſe obſtrinxit, Deus sūmus nauarcha, & omniū rerum dux & moderator, ſoluit funem. Abſtulit, inquam, homini

mini gratiā suā, spoliauit eū originali iustitia, & (vt sacri Doctores aiūt) reliquit eū *in puris naturalibus*: vt per rapidissimū præsentis vitæ flumen curreret, quo illū contrarię qualitates elementorum impellerent, quousque ad mare mortis perueniret. Videtis ergo immortalitatē ipsius à gratia extitisse, mortalitatē verò à peccato initiū traxisse. Non auditis Magnū illum Paulum Apostolum idem affirmantē? *Per peccatum*, inquit, *mors intrauit in mundum.* Quia peccato causa attribuēda est, quod Deus funem diuinæ gratiæ præciderit, hominemq; ad mortis metam ambulare permiserit. Vnde S. August, lib. 13. *de Ciuit Dei*, ait: Quando Deus Adamo & Euæ dixit: *Qua die ederitis ex eo, morte moriemini*: perinde fuisse ac si dixisset. *Qua die me deserueritis per inobedientiam, deseram vos per iustitiam.* Hoc est, gratiā meam & iustitiam originalem à vobis auferam. Verū vt illi quoque, qui nunquam fortè conspexerūt nauem velificantem hęc intelligant, aliam proferam similitudinē à memetipso desumptam. Attendite, Manus mea, nūquid nō est subiecta ictibus & percussionibus? vtique: Gladio aut ferro feriri potest, abscindi potest. quis neget? At si eā manica ferrea vestiā, nūquid vulnerari nūquid trūcari poterit? Nequaquā, quia ferrea manica defēditur. Si vero eādē hac manica spoliē, nonne vt prius, ictibus, vulneribus, & abscissioni subiecta erit? Dubiū nō est, quin sauciari, quin detruncari queat. Sic homo ab omnipotēte Deo, in principio mūdi conditus fuit, veluti manus, ictui mortis obnoxius, propter contrarias qualitates elementorum, quæ non aliter ac gladij acutissimi, assiduò pun-

Mors à peccato initium sumpsit.

Illustratur idem alia similitudine à manu desūpta.

pungunt, rodunt & conſumunt hoc noſtrum corpus. Sed prouidentiſſimus & benigniſſimus Deus, in primo illo ſtatu, mox poſteaquam creaſſet hominem, vt periculis eius prouideret & contra imminentia diſcrimina eum communiret, induit & amiciuit eum manica ferrea validiſſima, & impenetrabili, iuſtitia nimirum, & gratia originali, qua ita ipsũ muniuit, vt nec feriri, nec hoſtilibus quatuor elementorum armis, ex hoc mũdo tolli poſſet: gratia enim illa erat reſtauratio quædam, & ſcutum aduerſus contrarias eorũ qualitates, quæ ipſas in æquabili lance ac temperamento inceſsãter cõſeruabat, ac proinde hominem à morte tutabatur; neq; illum ad eam accedere permittebat. Sed homine inobediẽtiæ ſcelere ſe obſtringẽte, indignatus Deus abſtulit ab eo ferream hanc manicã, ſpoliauit eum iuſtitia originali, & ictibus elementariarũ qualitatum, vti per naturam erat, eũ obnoxium fieri paſſus eſt. Vnde factũ eſt, vt calido & frigido, humido & ſicco, aſſiduũ inter ſe bellum gerentibus, homo tandem morti ſuccũbere cogatur. Clarum igitur & euidens eſt, hominem ex natura ſua mortalem, in primæuo illo innocentiæ ſtatu manica ferrea, hoc eſt, gratia diuina & originali iuſtitia redditum eſſe immortalem & impaſſibilem. Eundem etiam ſublata hac manica quæ ipsũ tutabatur, per peccatum, mortis crudelibus ictibus, obnoxium factum eſſe.

Vnde mors dicta ſit.

Num ignoratis, iuxta etymologiam nominis eius, Mortem, à morſu nomen ſuum traxiſſe? Quo nobis innuitur, eam à primo illo peccato, quod protoparentes noſtri Adamus

& Eua,

& Eua, morſu pomi conſciuerunt, enatam eſſe. Quare non ſine ratione, Theologi mortẽ naturam & pœnam hominis appellant. Naturam, reſpectu quatuor elementorum ex quibus conſtat, quæque illi cauſa ſunt corruptionis & interitus. Pœnam reſpectu gratiæ, per quam mori nequibat. Sed peccauit, & in pœnã ſceleris admiſſi, gratia ſpoliatus, atque inde mortis dominatui obnoxius factus fuit. Veriſſimum igitur eſt, mortem eſſe lapidem illũ, qui abſciſſus eſt de monte, & ſtatuam, hoc eſt hominem contriuit, & in tam minutum puluerem redegit, vt diſperſus, nullum eius remanſerit veſtigium: dicit enim ſacer textus, de ſtatua contrita. *Nullus locus inuentus eſt eis.*

Mors eſt natura & pœna hominis.

Porro quæ mirabilia, lapidem hunc ſecuta fuerint, audite. Dicit enim ſcriptura. Quod poſt ruinam ſtatuæ, *Lapis qui percuſſerat ſtatuã factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſã terram.* Quid eſt hoc, quod mors in lapide figurata primum parua fuerit & poſtea magna effecta ſit? primum exiguus fuerit lapis, & poſtea in montem magnum excreuerit? quod ſolos pedes contriuerit, & poſtea vniuerſam terram impleuerit?

Quomodo mors primũ parua fuerit deinde magna effecta ſit.

Attendite diligenter, expoſitiones huius
1 textus.

Quia primo in duos dũtaxat homines & in exiguum orientis locum imperium obtinebat.

Mox in principio, quando à peccato abſciſſa eſt, parua erat, quia in duos tantũmodo homines, Adamum & Euam, qui tum ſoli degebant in mundo, poteſtatem habebat. Prǽterea dominium duntaxat obtinebat, in perexiguũ illum Orientis locum, in quo vitam traducebant. Poſtea verò tã magna effecta eſt, vt impleuerit vniuerſam terram: quia multiplicatis

per

per totum orbem terrarũ hominibus, extendit imperij sui fines in Orientem, Occidentẽ, Meridiem & Septentrionem, in Asiam, Africam, Europam, & Americam. *Inuidia Diaboli mors intrauit in totum orbem terrarum*, ait Sapiẽs. *Sapient. 2.*

Crudelem hanc mortem ô Christiani, existimo figurari in illo Ariete, quẽ Daniel Propheta in visione, huc illucque currentẽ, & omnia cætera animantia necantem vidit. Audite quomodo id conspexerit. *Mors quomodo in Ariete quẽ Daniel vidit figuretur.*

Vidit arietem stantem ante paludem, habentem cornua excelsa, & vnum excelsius altero atque succrescens. Postea vidit arietem hunc cornibus ventilantem contra occidentem, & contra Aquilonem & contra meridiem, atque omnes alias bestias interimentem, quæ non poterant resistere ei, neque liberari de manu eius. *Dan. 8.*

Ecce Mortem feram, crudelem & implacabilem, quæ duo excelsa cornua habet, quibus omne hominum genus necet; id est, duos modos quibus illos ex hac vita tollat, mortem videlicet naturalem, & mortem violentam. Vel dicamus sic & fortè meliꝰ: Duo habet cornua, dextrum & sinistrum, quia à dextris & sinistris homines occidit: id est, tam illos qui sunt in dextera prosperitatis, quam illos qui sũt in sinistra aduersitatis. Horũ autẽ vnũ excelsiꝰ est altero: quia sine illo respectu, paruos & magnos: fortes & imbecilles: diuites & pauperes: Dominos & seruos: Reges & subditos perimit: nec est qui crudelem ipsius manũ possit effugere. *Mortem* inquit insignis ille Poeta in Iliade, *nullum assero euitasse virorũ*. Pedibus prędita est pernicissimis, ita vt in ictu oculi ad orientem, ad occidentem, ad Austrũ, ad Aquilo- *Mors cur pedibus pernicissimis prædita.*

nem

nem peruadere possit: quia in cunctis mundi partibus, omni die, omni hora, atque omni penè momento multos homines interimit: vt enim eximius ille Poëta inquit:

Quaque ruit, furibunda ruit, totumq́; per orbem
Fulminat, & cæcis, cæca triumphat equis.

Audite & aliam expositionē. Ventilat cornibus cōtra Orientē, dū in puerili ætate quosdā necat. Vētilat cōtra Meridiem, dum plurimos in iuuentute calida & humida prosternit. Ventilat contra septentrionem frigidū & siccum, dum nonnullis in senectute vitā adimit. Ventilat contra Occidentem, dum quibusdā vsq; ad decrepitam ætatē necē inferre tardat. Hei quam nimis verū ac vero verius est, quod in singulis ętatibus, mortiferis cornibus suis vita nos miseros mortales spoliet: cuius si nōnulli quāuis paucissimi manus in trib⁹ primis ętatibus effugiunt, non eam tamē in decrepita ætate effugere poterunt; Vt enim Seneca ait, *Alia genera mortis spei mista sunt: incendium extinguitur; mare quod hauserat, eadem hora insorbet, proijcit incolumes; gladium miles ab ipsa perituri ceruice reuocat; nihil autem habet quod speret, quem decrepitas ducit ad mortem.*

Mors nulli parcit ætati.

Quare quia mors primum duobus illis capitibus humani generis in oriēte necē adferre poterat, rectissimè dici potuit, parua: sed modo quia in omni tēpore, innumeros, in cunctis mundi partibus, & in omni ætate opprimit & mactat, verissimè affirmari potest eam tantæ magnitudinis effectam fuisse, vt impleuerit vniuersam terram. Ideoq; verum est. *Et lapis qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram.*

Adhæc

Adhæc parua erat, quia in mundi principio paucissima habebat arma & instrumenta, quibus hominibus vitã eriperet. Nã vt plurimũ naturali morte illos ex hoc mundo tollebat: videlicet per complexionis annihilationem: per humidi radicalis, & caloris naturalis defectionem. Sed postea ingens effecta est: quia tot arma, tot instrumenta, tot modos ad interitũ mortalibus adferendum reperit, vt vix numerari queãt. An non aduertitis quot in homine membra sunt, tot eam vijs ingredi vt vitã expellat? A capite exhaurit homini vitã, per apoplexiam: ab oculis, per vlcera, opthalmias, & suffusiones: ab auribus per parotidas, apostemata, & inflãmationes: à naribus per polypos & sanguinis fluxiones: ab ore per gangrænas, & aphthas; à lingua, per resolutiones, vlcera, & ingentes tumores. Ingreditur per gulam & morte illum afficit sanguinis & squinantia; per frontem delirijs & musculorum offensionibus: per humeros, ossium luxatione: per manus rumoribus, & chiragra: per pectus pleurisi & laterum doloribus: per brachia doloribus arthritricis. Penetrat in latera, & interitum homini adfert passionibus & doloribus iliacis: in ventrem, doloribus colicis, & intolerandis torsionibus: in lumbos, inflammationibus, vlceribus, & calculis: in pedes podagris: in cor, palpitationibus, & defectionibus, sine deliquijs: in hepar apostematibus, ictero & hydropysi: in pulmonem sputis sanguinolentis, phtisi & tabe. Splenem intrat, & hominem ex hoc mundo tollit schirris: neruos ingreditur & necat resolutionibus & spasmis. Demum ossa crudelis hæc mors pene-

2. *Quia paucissima prius habebat instrumenta quibus homines interimeret, nunc autem plurima.*

Quot in homine membra, tot vijs mors ingreditur.

penetrat, & occidit, carie fracturis & solutionibus. Quid vobis, auditores, de his mortis ingressibus, quibus homini vitam eripit, videtur?

III.

Mortis & naturæ perpetuus conflictus.

DVo iuratissimi hostes sunt Natura & Mors. Continuum bellum gerunt, perpetuoque inter se duello confligantur. Natura enim non potest tot homines in hanc lucem edere, quot mors ex hoc mundo eripit: sed multò inquior & truculẽtior est mors in tollẽdis, quam Natura pia & benigna est in producendis & conseruandis hominibus.

Natura annis aliquot laborat, & multum operæ studijq; ponit, antequam vnum hominem educat, & ad perfectam perducat ætatẽ; sed mors paucis diebus, leui infirmitate, imo nõnunquã vna hora vnoq; momento hominem prosternit & necat. Natura vno duntaxat modo homines in hunc mundum introducit: at Mors mille habet modos ac rationes vita illos spoliandi. Vnde Statius in Thebaid.

Mille modis lethi miseros mors vna fatigat.

Sap. 7.

Et Spiritus sanctus in lib. Sapient. per os Salomonis: *Vnus ergo introitus est omnibus ad vitã, & dissimilis exitus*. Non obseruat locum, non tempus, non vno tantum instrumento, nec vnis duntaxat armis ad homines trucidandos vtitur, sed millenis. Prô Deus, quam multos ignibus vstulat? quam multos in aere suspendio interimit? quã multos terræ hiatibus absorbet? quã multos aquis præfocat? quã multos ex alto in ima præcipitat? quam multos ex imis in summa proijcit? quam innumeros in patria & intra domesticos parietes interficit?

Quam varijs modis mors homines ex hoc mundo tollat.

quam

quam multos extra patriam? in plateis? in aliena domo? singulis penè noctibus, dieb⁹, horis, momentis, sensu, motu & spiritu priuat? Crudelis hæc naturæ inimica, alios quotidie, doloribus, deliquijs, febribus tollit. Alios venenis, morsibus, calculis, percussionibus vita spoliat. Alios lanceis, fustibus, gladijs, securibus, cultris, ferreis aut plumbeis glandibus, interimit. Alios fame, alios frigore, alios alijs minimis etiam instrumentis occidit. Vnde S. August. in Soliloquijs. *Opportuna*, inquit, *mors mille modis quotidie homines capit. Hunc namque febribus, illum opprimit doloribus: hunc consumit fames, illum sitis extinguit: hunc mors suffocat aquis, & illum perimit flammis: hunc interimit laqueo, illum dentibus bestiarum: hūc trucidat ferro, illum veneno corrumpit.* Euoluite nūc mecum, ad eorum quæ dixi confirmationem, temporum præteritorum historias, & videbitis quā varijs mortis generibus, viros etiam maximè illustres, & in toto terrarum orbe nominis sui famà celebres, mors fera sustulerit. Empedocles, Hercules, Plinius ignibus absumpti sunt. Policrates, Menippus, Gordianus laqueo vitam finierunt. Æsculapius, Zoroastres, Antelemus, Iulius Hostilius, fulmine icti sunt. Menander, Terentius, M. Marcellus, aquis hausti interierunt. Curtius, Torquatus Romani, viui à terra absorpti fuere. Elpenor & Philostratus ex scalis lapsi animas suas profuderunt. Æschilus philosophus, ex testudinis animalculi notissimi fortuito lapsu, quæ ex Aquila vnguibus supra caput eius ceciderat, interijt. Euripides poeta, Diogenes & Heraclitus philosophi canum morsibus periêre. Dio-

Probatur id multorum qui varijs mortis generibus sublati sunt inductione.

medes Rex & Lucius Imperator, ab equis suis dilaniati sunt. Bellerophon & Seleucus ex equis delapsi animas suas reddiderũt. Orestes & Cleopatra aspidum ac serpentum morsib⁹ periêre. Basilius Imperator, cerui cornu percussus interijt. Catullus orator haustis carbonibus; Attilius Regulus cultro rasorio vitam perdiderunt.

Seuerus, Valentinianus, & Iouinianus Imperatores, nimia crapula extincti sunt. Themistocles, Anaxagoras, Socrates, Seneca, Demosthenes, Alexãder magnus, Annibal Carthaginiẽsis, Lucullus, & Diocletianus Imperator veneno enecti occiderunt. Licrophrõ, Anacharsis, Acron sagittis confixi occubuerunt. Neocris, Demopolus, Licina, lapidibus obruti extremum spiritum effuderunt. Iulius Cęsar amicorum manibus concidit. Pompeius ab AEgypti proditore, Cicero ab Octauiani ministris trucidati sunt. Cleantes, Dissippus, Democrates, philosophi: Brutus, Cassus, Cato & Antonius in historijs Romanis celebratissimi, sibimet manu violenta mortem consciuerunt. Eristhenes, Pausanias, Aristo Poëta, Thales, Aristarchus Philosophi fame enecti, ab hominibus demigrarunt. Neocres, Cicion frigoris vi interierunt. Tarquinius Priscus, piscis osse, quod gulam eius transuersim occupauerat, præfocatus animam expirauit. Quid amplius?

Mors etiam minimis rebus ad homines vita spoliandos vtitur.

Minimis etiã rebus crudelis & effera mors vtitur, ad vitam mortalibus exprimendam. Lucia Marci Aurelij Imperatoris filia, acus quã forte tenellus filius quem brachijs gestabat, pectori eius infixerat, punctura animã efflauit. Ruffinus cõsul & capitaneus inuictus,

ex dēte pectinis, qui caput eius vulnerârat, vitam amisit. Sophocles, Sotades, Anacreon, ex vnius grani vuę passę incauta deglutione ꝑfocati, mortē obierunt. Fabi⁹ p̄tor, ex pili quod cū lacte epotarat haustu, extinctus est. Dicam adhuc maius aliquid de ipsius crudelitate.

Immoderato pudore, lætitia, & risu velut armis vtitur, quibus homines interimat. Diodorus philosophus, & Homerus poëta, ob nimiam verecundiam, quod interrogata quædā ab hominibus idiotis proposita dissoluere nequiuissent, animas suas efflarunt. Philippides, Lacædemon, Sophocles, & Diagoras, ex immodica lætitia vitam amiserunt. Philemō poëta nimio risu, extinctus est.

Immodicus pudor, lætitia, risus, multis vitā eripuit.

Verū enimuero nunquid effera hæc mors prouocat nos primū ad conflictum? nunquid pręmittit chirothecam aliquam sanguine intinctam, qua nos ad certamen inuitet: aut Legatum, qui nos de pręlio cum ipsa ineundo certiores reddat?

Mors legatū nullū ante se præmittit.

Minimè gentium, sed vbicunque sumus, quocunque pergimus, semper nobis à tergo hęret, atq; importuna falce sua nobis interitū minatur. Nemo ab ictibus eius se valet abscōdere, quia omnem locum etiā occultissimum & secretissimum ingreditur. Vnde Seneca. *Quæ latebra est, in quam non intret mors?* Sequitur in omni tempore, non aliter atq; vmbra corpus. Hinc Poeta ille. *Quocunque*, ait, *ingrederis, sequitur mors corpus vt vmbra.*

Mors hominē vt vmbra corpus sequitur.

Iam verò quam sępè homines ex improuisò aggreditur? Quam multos dum comedūt, rident, loquūtur, ambulant, dormiunt, subitanea morte ex hoc mūdo tollit? Experti fuerūt hoc Esdragoras, Mithridates, Fabius, Ma-

Enumerantur aliqui qui subitanea morte interierunt.

ximus, Aemilius Lepidus, Seruilius, Canini⁹, Triphonius, Agamedes & alij innumeri, qui ab illa ex inopinatò oppressi, confestim expirarunt, nec vel vnū amplius verbum proferre potuerunt? Quid vobis, Auditores, de hac immani & truculēta morte videtur? nōne infinitos modos & arma habet, quibus homines hac luce spoliet? Initio nō erat tātæ virtutis ac scientiæ, pauca illi erant arma, paucissimos preterea callebat modos vitam hominibus eripiendi, ideoq́ꝫ parua erat. Sed modò magnæ potestatis ac scientię est, adeoque tantæ magnitudinis, vt totum terrarum orbem morte & occisionibus repleat. *Lapis qui percusserat statuam factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram.* Dicam adhuc amplius.

3. *Quia tardè homini necē adferebat.*

Mors exigua erat in mundi exordio, & primis illis sæculis, quia non tam certum ictum inferebat, neq; tàm citò homines necabat, vti modò. Erat tum similis nouello venatori, arcu vel sclopeto, ad syluas venandi causa pergenti: hic initio, tanquam in arte iaculandi rudis & inexercitatus, sæpè frustra iaculatur antequàm feriat, vulneret aut prosternat auē vel feram: postea verò continua exercitatiōne, tàm expeditus & certus in hac arte redditur, vt rarò vel nūquam arcum, sclopetumq́ꝫ nequicquā exoneret, sed semper ferè desideratum scopum cōsequatur: imo nonnunquā vno ictu binas vel ternas simul aues aut feras prosternat, Ideoq́ꝫ rectè venator hic primum vocari poterit venator paruus, eò quod malè atq́ꝫ inutiliter ictus suos dirigeret: postea verò magnus, quod ictus suos certo atq́ꝫ ex arte contorqueat. Ita & mors in mundi exordio

Mors comparatur nouello venatori.

nouella, rudis, & inexercitata venatrix erat. Pergebat non ad auium aut ferarum, sed hominum venationẽ, vti & modò. Multis annis sagittas suas in vnum hominẽ cõtorquebat, antequã illum ferire atque perimere posset. Vultis demõstrem vobis, permodicam illius potestatem ac sagittandi imperitiam, quæ in sacra Genesi, à Moyse, rerum à Deo antiquitus gestarum fidelissimo scriptore describitur? Attendite.

Mortis exigua in mũdi exordio potestas & sagittandi imperitia exẽplis demonstratur.

Gen. 5.

Sagittauit Adamum nongentis triginta annis continuis, antequam illi necem adferre posset.

Sagittauit Seth nongẽtis duodecim annis, antequam illum vita posset exuere.

Sagitauit Enos nongentis quinque annis, antequam morte illum afficere posset.

Sagittauit Cainan nongentis decem annis, antequam lethalem ictum ei posset infligere.

Sagittauit Malaleel, octingentis nonaginta quinque annis, antequam ex hoc mundo illũ posset tollere.

Sagittauit Iared nongentis sexaginta duobus annis, antequam illũ posset prosternere.

Sagittauit Enoch trecẽtis sexaginta quinque annis, nec vnquã eum ferire potuit: sed Deus post hoc tempus ab oculis eius ipsum abripuit, & in terrestrem Paradisum transtulit, neque hactenus vnquam illum videre potuit.

Sagittauit Mathusalem nongẽtis sexaginta nouẽ annis, antequã illum posset interimere.

Sagittauit Lamech sexcentis sexaginta septem annis, antequam animam illius posset exprimere.

Denique sagittauit Noe nongentis quinquaginta

ginta annis, antequam vitalem ei ſpiritũ poſſet intercludere.

Mors prius imperita nũc perfectiſsima venatrix.

O Mors venatrix, quam exiguarum viriũ eras in prima illa mundi ætate? Non valebas ictũ certum infligere, multis annis homines inſectabaris, ſagittaſq́ue tuas læthales in eos cõtorquebas, antequã vel vnum eorum vulnerare ac proſternere poſſes? Talis ſi modo eſſes, quis te metueret? Sed, O noſtrã infelicitatem, continuo exercitio effecta eſt, in malũ noſtrum perfectiſſima venatrix, vt etiã paucis annis, diebus, horis, iam necẽ inferat. Non cernitis eam, ſi multum temporis conſumat, nõ totis ſexaginta vel octoginta annis hominẽ inſequi quin occidat? Sed, heu, quam multos ante quinquageſimum, quadrageſimum, triceſimum, atq; vigeſimum annum proſternit? Quam multos, ne quidem ad decimumquintũ vel decimum pertingere ſinit? Maior eſt adhuc infœlicitas noſtra. Quam multos in ipſo in hanc lucem ingreſſu trucidat? Quam ſępè vnico ictu duos ſimul interimit, matrem videlicet & filium in partu? Expertæ ſunt & indies experiuntur hoſce congeminatos illius ictus, infœlices fœminæ. Quid maius de ipſius crudelitate proferam? Frequenter ipſa viſcera materna ingreditur, & infãtulis inibi adhuc deliteſcentibus, lethales ictus infligit, illoſq; ante lucis huius aſpectum vita ſpoliat. Videtis modò, auditores, quã verũ ſit, mortẽ in mundi exordio paruam extitiſſe, eò quod hominibus tardius necem adferret, poſtea vero tãtæ magnitudinis effectam eſſe, vt trophæis ſuis vniuerſum mundum per frequentes occiſiones impleuerit. *Lapis qui percuſſerat*

Mortis crudelitas.

ſta-

statuam, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram. Dicam adhuc vnicum de ipsius magnitudine.

Nostis hominem in sacris literis appellari terram. *Puluis es*, inquit Deus ad hominem, *& in puluerem reuerteris.* Et Ieremias Propheta. *Terra, terra, terra, audi sermonem Domini.* Vbi rectè propheta tertiò repetit verbum, *terra*, vt demõstraret, hominẽ de terra factum esse, rebus terrenis nutriri ac viuere, & in terram reuersurum esse. Cùm ergo mors totam hãc terram, id est, totam humanam naturã occupauerit: verè de illa dici potest, tãtæ magnitudinis eã effectã esse, vt impleuerit vniuersam terram, *Lapis qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram.*

Quomodo mors impleuerit vniuersã terrã.

Gen. 3.

Ierem. 22.

IV.

EXprimunt nobis examussim conceptum hunc pictores in deformi illa specie qua mortẽ pingunt. Pro ea enim cadauer hominis solis ossibus constans, neruisq; duntaxat compactum deliniant, auribus, oculis, & naribus carens; nudũ & aspectu deforme; nullius sexus, falcem acutissimam manu vibrãs. O artificium insigne pictorum, deforme quidẽ, sed mysterijs grauidum. En hæc sunt mysteria. Pingitur sine oculis, vt significetur eam nullius omnino personæ cuiuscunq; illa potentiæ aut opulentiæ sit, respectum habere. O Pontifices, ô Imperatores, ô Reges, ô Duces, ô Principes, ô Prælati, ô Domini, cæca & immanis hæc mors, non respicit ac reueretur thronos vestros, diademata vestra, coronas vestras, sceptra vestra, mitras vestras, purpurã & byssum.

Mortis effigies eleganter proprietates eius exprimit.

Cur pingatur sine oculis.

byssum vestram, margaritas vestras, serica & bombycina vestimenta vestra. Aequè infæliciter vos tractat, qui pretiosis & splendidis hisce indumentis vosmet amicitis & exornatis, atque illos, qui vilibus & laceris pannis vestiuntur. Neque minus audacter ingentes arces & magnifica palatia vestra, quam pauperum viles casas, & exigua tuguria ingreditur. Nam vt Horatius ait.

Pallida mors, æquo pulsat pede pauperum tabernas

Regumq́, turres. Et Claudianus in raptu Proserpinæ.

Sub tua purpurei veniunt vestigia Reges,
Deposito luxu, turba cum paupere mixti
Omnia mors æquat.

O cæcam & superbam, quę oculos habere detrectat, ne quenquam reuereatur, aut respiciat. Sed prosequamur cætera ad figuram illius pertinentia.

Cur pingatur sine auribus.

Pingitur sine auribus: quia ad furoris sui mitigationem nullas preces ac supplicationes admittit. O docti, ô sapientes, non valet apud surdam hanc sapientia, non scientia, non eloquentia vestra. Non enim auscultat Philosophorum rationes & argumenta, non Iuriscōsultorum persuasiones, non Oratorum facūdiam, non disputantium subtilitates, non dialecticorum fallacias, non Poetarum lepores & ornamenta. Non flectitur lachrymis fęminarum, non suspirijs afflictorum, non deniq; humilium precibus, & vanis assentatorum blanditijs atque adulationibus; ideoq; rectè ait Boetius in primo *de cōsolatione philosophica.*

Heu, heu, quam surda miseros auertitur aure

Et

Et flentes oculos claudere ſæua negat.
O ſurdam, truculentam & implacabilem.
Pingitur ſine naribus: quia non curat, ô vana mulier, ô laſciue iuuenis, ſuauia tua odoramenta, ex zibetto, moſco, & ambra, quæ tecũ circumfers. *Cur ſine naribus.* Non magni æſtimat aquas tuas ſuaueolẽtes: vnguẽta tua ſumma & acerrima ſuauitate cõdita: veſtes tuas gratiſſimo odore imbutas. Inueniet te, cum voluerit, & adimplebit in te illud Eſaiæ Prophetæ. *Erit tibi pro ſuaui odore fœtor, & pro criſpãti crine caluitium.* *Eſai. 3.* Suauia tua odoramenta non poterunt eã permouere, vt aliquẽ tui reſpectum habeat, ſed de corpore tuo fætido, purulẽto & vermibus ſcatente in ſepulchro, oblectationem ſuã capiet. Quem igitur in finem tibi ſunt tot odoramina, tot aquæ diſtillatæ?

Pingitur nuda: vt demonſtretur eam non magnifacere terrenam ſubſtantiam, nõ diuitias, non munera. *Cur nuda.* O diuites & opulenti, qui in hoc mundo fœliciſſimos vosmet cenſetis: qui omnem ſpem & fiduciam veſtram in amplis poſſeſſionibus & facultatibus collocatis; nolite putare quod auro, argento, & immẽſis opibus veſtris mortem redimere, aut illã, ne vos adoriatur præpedire valeatis: non enim pecunias, non opes, nõ munera exigit, ſed nuditate ſua contenta eſt. *S. Bernardus.* Et vt S. Bernardus ait: *Non miſeretur inopiæ, nec veretur diuitias.*

Pingitur ſine pelle, ſine carne, ſine ſanguine: quia nullã habet, ô pulchræ & ſpecioſę fęminæ, rationẽ veſtræ venuſtatis, veſtræ vanitatis & oſtentationis. *Cur ſine pelle carne & ſanguine.* Nõ magnipẽdit carnes veſtras tenerrimas & delicatiſſimas: ſanguinẽ veſtrum viuaciſſimũ, qui facies veſtras venuſto ru-

ſto rubore aſperſas pulchriores reddit: Non æſtimat, fucos & figmenta veſtra, nõ ceruſſatas & pictas facies veſtras, non pellẽ in fronte & facie diſtentã. Hiſce vanitatibus veſtris nõ poteritis eam ad veſtri amorẽ pellicere, neq; permouere vt aliquam veſtræ teneritudinis ac ſpeciei rationem habeat: nam floccipendit omnem pulchritudinẽ ac venuſtatẽ: neq; puellarum aut hominis alicuius iuuentutem & ſpeciem ſuſpicit. Hinc Iuuenalis in Epigrammatibus ſuis appoſitiſſimè cecinit.

Iuuenalis.

Ipſa rapit iuuenes prima florente iuuenta.

Imo etiam de fœmina illa, quæ corpulentior, mollior & delicatior fuerit, lautius & ſplẽdidius epulũ vermibus faciet. Nunc ergo, ô arrogantes & ſplẽdidarum veſtium amantes fęminæ, gloriamini & ſuperbite de mollibus & teneris carnibus veſtris, de iſtis enim magnũ & inſigne animalibus teterrimis conuiuium exhibituræ eſtis.

O ſtoliditatem. O veſaniam omni veſania maiorem, quod vanè in eo gloriemini, quod abundantiſſimè ac lautiſſimè, exigua & abominãda illa animantia, ex quorum ſolo aſpectu horrorem concipitis, aliquando paſturæ & ſatiaturæ ſitis: & tamen hæc minimè cogitatis. Per Deum immortalẽ obſecro, hæc ſæpè cum animis veſtris perpẽdite, & hiſce vanitatibus & delitijs tandem aliquando nuntium mittite.

Cur ſine ſexu.

Pingitur ſine ſexu, quia nullius ſiue maſculini ſiue fęminini ſexus fuerit, reſpectũ habet. Tã viros quã fęminas vita ſpoliat, proſternit, & ſub humo recõdit. Quis.n.non videt indies modò viros modò fęminas ad ſepulturam deferri?

Pingi-

Cur cum falce. *Cur mors Messori cōparetur.* *Ratio.1.*

Pingitur denique cum falce acutissima, vt declaretur, eâ homines ex hac terra demetere, sicut messor frumenta in agris, & gramina in hortis. Quemadmodum enim messor in agris bonum frumentum cum zizanijs demetit, & æquales reddit: & in hortis magnas & paruas, pulchras & deformes, teneras & maturas herbas simul præcidit; Ita mors sine vlla differétia ex hoc mundo demetit, bonos ac malos, magnos ac paruos pulchros ac deformes, maturos & immaturos, teneros & fortes. Vnde Iuuenalis. *Iuuenalis.*

Mors nemini parcit.

Mors ruit, velut maturas messor aristas,
Omnia vulnifica falce cruenta secat. *Ratio.2.*

Eleganter mortis figuram exprimit hęc similitudo messoris, de qua audite & aliam rationem. Quando tempus messis aduenit, quãuis omnes spicæ necdũ ad maturitatẽ peruenerint, attamen Dominus messis earũ maturitatem non præstolatur, sed sine vlla discretione immaturas cum maturis demetit: & bonum quidẽ frumentum in granaria sua infert, immaturũ vero cum paleis, vel ignibus cõmittit, vel bestijs mandẽda & culcãda proijcit. Ita mors, quando præfinitum à Deo tempus metendi, id est homines ex hoc mundo tollẽdi aduenit, non aspicit an maturi sint, id est, an calore charitatis & diuinæ gratiæ excocti & maturitatem suam assecuti, an vero adhuc propter peccatum virides sint: an, inquã, boni vel mali, iusti an peccatores sint: sed æqualiter omnes sine vllo respectu demetit. Si maturi non sunt, ipsorum hoc est detrimentum. Maturi enim in cœleste granarium infe-

inferuntur: immaturi verò, tanquam paleæ in ignem æternum conijciuntur, & bestijs infernalibus, id est Dæmonibus mandendi, laniandi, & conculcandi traduntur.

Luc.16. S. Lucas in Euangelio duos nobis à morte demessos proponit, vnum maturũ id est Lazarum: alterum immaturum id est diuitẽ epulonem: quorum ille in granariũ cœleste illatus, hic verò æternis ignibus pabulum effectus est. Audi de illo: *Factũ est, vt moreretur mẽdicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* De hoc verò: *Mortuus est & diues, & sepultus est in inferno.* Quia igitur mors tempore à Deo præfinito, sine aliquo respectu, & sine dilatione homines ex hoc mũdo siue boni siue mali sint eripit, rectè messori comparatur. Quãuis ei hoc nomen & falx hæc, propter aliã adhuc rationem rectè conueniat.

Ratio 3. Magna est inter herbas & frumenta differentia, quamdiu in agris & hortis terræ inhærent: quia flores alij alijs pulchriores & vernantiores: & herbarum aliæ alijs maiores, spicarumq; aliæ alijs eminentiores, turgidiores & pleniores sunt: attamẽ si eas quando à messore demittuntur, consideres, videbis prorsus æquales esse, nec vnã alteri supereminere. Ita euenit omnib⁹ nobis, qui in spatiosissimo hoc mundi agro vti fœnum & messis cõstituti sumus. *Omnis* enim *caro fœnum*, vt ait Esaias, *& omnis gloria eius quasi flos fœni.* Et Christus. *Messis quidem multa, operarij autem pauci.*

Dum viuimus, & animæ (quæ est radix nos sustinẽs) vniti sumus, aliquã inter nos est differentia, quia vnus alio maior, potentior, nobilior, opulentior, speciosior, florentior, vel vege-

vegetior, fortior, ſapientior eſt. At cum Meſſor, id eſt, mors ex hoc mũdo nos demetit, & ad terram ſternit, omnes ſumus æquales, omnes vnius conditionis, nulla inter nos eſt diſcrepantia. Vnde Cornelius Gallus. *Cornelius Gallus.*

Hac pueri atque ſenex pariter, iuueneſq́; feruntur,

Hac par diuitibus, pauper egenus erit.

Et Quintilianus. *Cui naſci contingit, mori reſtat; interuallisq́; diſtinguimur, exitu æquamur.* *Quintilian.* An mihi fidem non habetis? Pergite mecum ad ſepulchra defunctorum; atq; hic diligẽter oculis animoq; luſtrate, primò cadauera illorum, qui in mundo honoribus opibus, & potentia inclyti extiterunt; qui ſapientia, fortitudine, oris forma & ſpecie cæteris præcelluerũt. Deinde oculos ad eorum corpora conuertite, qui nullius in hoc mũdo exiſtimationis, ſed obſcuri contemptiq; fuerunt: & intuebimini vtrorumq; corpora iacere ſupina, aſpectu eſſe tetra ac deformia, à vermibus exeſa, fœtida & purulenta. *Omnia mors æquat.* Nullam inter eos reperietis differentiam. Audite S. Patrem Auguſtinum idem in libr. de natura & gratia affirmantem. *Reſpice* inquit, *ſepulchra, & diſcerne ſi potes, vinctum à Rege, fortem à debili, pulchrum à deformi; memorare vtiq; naturæ, ne extollaris.* *S. Auguſt.*

Et S. Bernardũ in meditationibus. *Dic mihi,* inquit, *vbi ſunt amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiſcum erant? Certè nihil ex eis remanſit, niſi cineres & vermes?* Omnes æqualiter in cinerẽ redigimur, & vermibus eſca fimus, & tamẽ tãta nobis dominatur arrogãtia, quaſi immortales eſſemus, & ingẽs inter nos *S. Bernard.*

eſſet

esset differentia. Audite Senecā in Agamemnone.

Hic seruus dum vixit, erat, nunc mortuus idem,
Non quam tu, Dari magne, minor a potest.

Hanc ob causam Neotericus quidā Poeta iuuenem quendam forma, diuitijs, & potētia conspicuum, cum morte hoc pacto differentem introducit.

Morte che fai? No'l vedi? so mieto. E che?
L'humana vita. E non riguardi à chi?
Nò, che colui, che m'ha mandato qui,
Non volse perdonar la vita à se.
Dimmi, farai tu questo anco di me?
Stolto, dubiti tu? ben sai che si.
E non potrò saper l'hora nèl di?
Nõ, perche tal secreto in Dio sol'è.
Chi t'ha fatta si cruda? Il mio Signore.
Per qual cagion? Per castigar, chi erra,
E dar la Palma à chi gli hà dato il cuore.
Volendo io la vittoria à tanta guerra,
Che debbo far? Lasciar l'antico errore,
Per cui l'eterno ben si chiude e serra.
Hor che sei viuo in terra
Cogli le rose, e lascia star le spine,
Che suauio è sol colui, che pensa il fine.

Id est, Mors quid agis? Nõ vides? Meto. Quid? vitam humanā. Nulliusne personam accipis? Nullius: is enim qui me misit, ne sibimetipsi quidem, vitam donare voluit. Dic obsecro, idemne mihi factura es? Stulte, num dubitas? nosti profectò, quod sic. Nõ potero horam & diē qua me aggressura es præscire? Haudquaquam: hoc enim secretum soli Deo cognitum est. Quis te tam immanem & crudelem fecit? Dominus meus. Quāob causam? Vt errantes casti-

castigaret,& recte sapiẽtibus palmam tribue-ret. Si huius tanti certaminis victoriam asse-qui velim,quid mihi faciẽdum est? Vetus er-ror relinquendus,per quem sempiternus er-ror euitatur. Eia igitur,quisquis in terra vitã traducis,rosas duntaxat collige, & spinas re-linque:solus enim ille verè sapit, qui finẽ su-um assiduo præ oculis habet.

Ac proinde magnus ille sapiens Diogenes Cynicus,vt de fine hoc melius philosophari, illumq; mente pertractare posset,frequens e-rat in cœmiterijs & sepulchris mortuorum. Vnde cũ aliquando ab Alexandro magno i-bidẽ inter ossa innumera virorũ ac mulierũ illic sparsim iacẽtia repertus fuisset,sciscitatus est Imperator,quid viuus inter mortuos age-ret, Cui ille respondit. Vis nosse quid agam princeps inuictissime. Ossa patris tui Philippi Regis Macedonum potentissimi quæro, nec illa à cæteris,quæ hic iacere conspicis, discer-nere queo. O præclaram responsionẽ,tam sa-piẽte viro dignam. His.n.verbis inuictissimo & potentissimo huic Imperatori demõstrare cupiebat,ipsum aliquando mortem, quæ oẽs homines æquales reddit,obiturum esse, neq; propterea,quòd ingentes victorias assecutus fuerit,amplissima regna,atq; innumeros po-pulos ditioni suæ subiugauerit, inaniter ex-tolli,& alios inferioris conditionis homines spernere debere. Audite sapientissimum Se-necam in Agamemnone. *Præclarum Diogenis Cynici dictum.*

Victor ad Herculeas penetres licet vsq; columnas,
Te terra cum aliis pars manet æqua tamen.

Verũ enimuerò quod caput est,morimur, & nõ credimus. Fateor equidem si interrogẽ,

mor-

Elegantissimilitudine demonstrat homines reipsa non credere quod aliquando morituri sint

mortemne obituros vos esse credatis: statim responsum mihi reddituros esse: vos id firmiter credere. Sed ego speculatiuè dũtaxat, nõ autem reuera id vos credere hac similitudine cõuincam. Dicite mihi obsecro ciues Neapolitani. Siquis certum vobis nuntium adferret, ingentem exercitum ciuitatem hanc repentinò circumdaturum esse, atque omnibus horis ac momentis, hoc vnum laboraturum, vt eam ex improuiso adoriatur, expugnet, & opprimat: si inquam hoc accepto nuncio militem conscriberetis, arma expediretis, de commeatu sufficienti vobis prospiceretis, atque ad resistendum vos cõpararetis, nonne manifestũ id signum esset, vos huic nuntio fidem præstitisse. At si nihil horum faceretis, quid aliud inde indicij sumere valeã, quàm vos nullã verbis eius fidem accommodasse? Ita si certò crederetis mortem cum ingẽti exercitu dolorũ, cruciatuum ac vermium ex inopinato vos adorituram esse, vtiq; virtutum actus, qui sunt arma nostra: bonas actiones, quæ sunt cõmeatus nostri; & Sacramenta, quæ sunt milites nos protegentes, frequentaretis, & eorum crebro vsu, aduersus impendentia pericula vos premuniretis. At cũ nihil horũ vos facere videã, quid hoc aliud indicij est, quã vos illud reuera minimè credere, quod ore profitemini.

Idem alia ostendit similitudine.

Adhuc luculentius id ostendam. Dicite amabo vos: si quis vestrũm ab alio premoneretur latronẽ aliquẽ noctu ex improuiso ædes ipsius irrupturum, & non modò pretiosissima quæque, sed etiam cunctam substantiam illius direpturum esse. Is vtique si dictis eius fidem haberet, nonne de conuenientibus armis sibi pro-

ne cordis vulnus lethale est, & vnaquæque harum lancearum per cor Absolonis transfactarum, ad necem illi adferendam sufficiebat, ita tempus, vnaqualibet lancearum suarum vita nos spoliat. Heu quam multos interemit tempus pręteritum? quam innumeros præsẽs? quàm infinitos trucidabit futurũ? Nostra hac ætate, dicite amabo vos auditores, quàm multos vidistis quibus tempus præteritum necem attulit, quàm non paucos, quibus pręsens vitã eripuit? quam innumeri erunt, quos futurum neci tradet? Quis autem ex his adduci potest, qui ab hisce lanceis interemptus non fuerit? Frater, si hucusque præteritum tempus vitam tibi non ademit, time vel præsens: si nec illud vita te spoliat, à futuro certè nunquam effugies. Vtere quibus voles pręseruatiuis, fuge vitiatum aërem, cauteria & scarificationes adhibe, cibos malędigestionis vita, boni duntaxat succi cibis vescere, parcitatem in victu, sobrietatem in cibis, abstinentiam in potu sectare, frequenta purgationes, fac omnia quæ ad sanitatis conseruationẽ vtilia esse nosti, attamen ad extremum, vna harum temporis lancearũ mortis præfectus vitã tibi eripiet: non poteris manus eius effugere. Rectè enim poeta ille ait.

poris parte vulneratus fuisse dicatur.

Salubris admonitio.

Tendimus huc omnes, metam properamus ad vnam
Omnia sub leges mors vocat atra suas.

Et nihilo secius capillos in ventum spargis, quercui inuolueris, præsens sæculum tantummodo cogitas, rebus mundanis inhæres, quasi nunquam mundum hũc relicturus esses. Audi. Absolonem, posteaquã tribus lanceis trãsfossus esset, *tulerunt & proiecerunt eum in sal-* 2. Reg. 18.

Omnibus hominibus moriendi necessitatē esse impositā Absolonis figura ostendit.

Hugo de. S. Victore.

S. August.

Vnusquisq; nostrum est hic Absalon. Insidemus omnes mulo siue iumento, id est corpori nostro, quod veluti iumentū animā fert, atque ab illa regitur. *Ipsa enim caro*, vt Hugo de S. Victore ait, *est iumentum animæ*. Hoc autē iumentum atque hæc nostra pars animalis, nō incedit pedetentim, sed velociter currit, quia celerrimo cursu omnes ad finem nostrū, ad mortē videlicet, nulla interposita mora properamus. *Vitā enim præsens*, S. Augustino affirmante, *est cursus ad mortem*. In hoc cursu capillos per aërem spargimus, dum multæ inanes cogitationes, honorum, dignitatum, diuitiarum, voluptatum per cerebrū nostrū volitāt.

His cogitationibus, ô infelicitatem nostrā, quercui, quæ fortis & dura arbor est, affectui nimirum & amori præsentis sæculi, qui in corde nostro fortissimus & durissimus est, inuoluimur & adhæremus; ac proinde non perpēdimus nos aliquando mortē oppetituros, sed mundo & his quæ in mundo sunt plurimis annis gauisuros ac fruituros esse. Dum autē sic affixi & inuoluti sumus amori præsentis sęculi per vanas hasce cogitationes, Ecce tibi superuenit Ioab belli dux, id est tempus mortis, ductor siue præfectus, inuictus, infatigabilis, nunquam quiescens, sed destruens & consumens omnia. Ipsa verò mors est sūmus & generalis prępfectus. hic ductor, secum habet tres lanceas; tres videlicet differentias suas, prēteritum, præsens & futurum. Atque his lanceis, ô nos infælices, cor nostrum transadigit.

Cur Absalon in corde, non in alia cor-

Rectè autem dicit sacer textus, Absolonē à Ioab tribus lanceis in corde, non in alia corporis parte vulneratū fuisse. Sicut enim omne

ne cordis vulnus lethale est, & vnaquæque *poris parte*
harum lancearum per cor Absolonis transa- *vulneratus*
ctarum, ad necem illi adferendam sufficiebat, *fuisse dica-*
ita tempus, vnaqualibet lancearum suarum *tur.*
vita nos spoliat. Heu quam multos interemit tempus prẹteritum? quam innumeros præsẽs? quàm infinitos trucidabit futurũ? Nostra hac ætate, dicite amabo vos auditores, quàm multos vidistis quibus tempus præteritum necem attulit, quàm non paucos, quibus prẹsens vitã eripuit? quam innumeri erunt, quos futurum neci tradet? Quis autem ex his adduci potest, qui ab hisce lanceis interemptus non fuerit? Frater, si hucusque præteritum tempus vitam tibi non ademit, time vel præsens: si nec illud
vita te spoliat, à futuro certè nunquam effugi- *Salubris admonitio.*
es. Vtere quibus voles prẹseruatiuis, fuge vitiatum aërem, cauteria & scarificationes adhibe, cibos malẹdigestionis vita, boni duntaxat succi cibis vescere, parcitatem in victu, sobrietatem in cibis, abstinentiam in potu sectare, frequenta purgationes, fac omnia quæ ad sanitatis conseruationẽ vtilia esse nosti, attamen ad extremum, vna harum temporis lancearũ mortis præfectus vitã tibi eripiet: non poteris manus eius effugere. Rectè enim poeta ille ait.

Tendimus huc omnes, metam properamus ad vnam
Omnia sub leges mors vocat atra suas.

Et nihilo secius capillos in ventum spargis, quercui inuolueris, præsens sæculum tantummodo cogitas, rebus mundanis inhæres, quasi nunquam mundum hũc relicturus esses. Audi. Absolonem, posteaquã tribus lanceis trãs- 2.Reg. 18.
fossus esset, *tulerunt & proiecerunt eum in sal-*

tu, in foueam grandem, & cõportauerunt super eum aceruum lapidum magnum nimis. Ita etiam frater & te aliquando temporis lanceis confossum tollent, & fœtidissimo sepulchro iniectũ ingenti lapide siue marmore cõtegent. hic est finis tuus, hic est omnium nostrum terminus, & tamẽ, ô nos miseros, id minimè cogitamus. Quod vt aliquãto clarius dilucidatur, adferã huc insignem sententiam Sapientis, dignam profectò, quæ diligenti consideratione à nobis expendatur.

Salomon vt ad finis nostri expensionẽ nos inuitaret, mortuum quendam præteriti temporis lancea confossum cum viuente præsentis temporis lancea interimendo, imò cum vnoquoq; nostrum inter viuos adhuc agente, Eccles. 41. ita loquentem introducit. *Memor esto iudicij mei, sic enim erit & tuum: mihi heri, tibi hodie.* Retine hanc, ô homo, semper in memoria sẽtentiam, *Heri*, inquit, *mihi*, ecce lanceam prçteriti temporis: *tibi hodie*, ecce lanceam præsentis temporis. Duo hîc à Sapiente afferuntur, quæ à nobis diligenter veniunt expendenda. Primum est, quod mortem appellat iudiciũ: alterum est quod vitam nostrã adeò incertã, esse dicat, vt ne vnico quidem die nobis eam promittere valeamus. *Memor esto iudicij mei.* Ecce primum. *mihi heri, tibi hodie.* Ecce secundum. *hodie. hodie.* inquit, non hoc vespere, non cras. Sed indagemus prius rationes, quibus Salomõ permotus, mortẽ appellauit iudiciũ, quæ elegãtissimæ atq; auditu dignissimæ sũt.

Cur Salomon mortem appellet iudicium. Apellat namque mortẽ iudicium, quia ex iudicio & sententia à Deo lata, homo obnoxius morti factus est. Intelligite. Præceperat Deus

Deus homini in felicissimo innocentiæ statu, *Ratio.1.*
ne arboris vetitæ fructu vesceretur. *De omni,* *Gen.2.*
inquit, *ligno Paradisi comedes, de ligno autem sci-*
entiæ boni & mali, ne comedas. Quocunque
autem tempore hanc suam prohibitionem
transgrederetur, mortis in eum sententiã di-
ctauit *In qua hora,* inquit, *comederis ex eo, mor-* *Gen.2.*
te morieris. Transgressus est homo Dei man-
datum, & mortis sententiam à Deo latam in-
cidit. Atque hanc ob causam rectè Sapiens
mortem nominat iudicium. *Memor esto iudicij*
mei. Præterea vocat eam iudicium: quia cùm *Ratio.2.*
quis ex hac vita migrat, mortẽ hãc obit ex Dei
iudicio, qui sic determinauit vt moreretur, &
tali tẽpore ac modo decederet, quemadmo-
dum S. Iob ait. *Numerus mensium eius apud te*
est, constituisti terminos eius, qui præteriri non po-
terunt. Id autem iusto iudicio facit Deus. Vel *Insigne dile-*
enim probus est, vel improbus. Si probus est *ma, quod*
atq; integerrimæ vitæ, vel ex hoc mundo tẽ- *omnia iusto*
pestiuè tollit eum, idq̀ue vt vel à præsentibus *iudicio Deus*
miserijs ipsum eripiat, vel ad Paradisi gaudia *faciat.*
citius perducat, vel ne improbus efficiatur,
præpediat. Vel longæuã ei vitã concedit, idq́;
agit, vel vt merita ipsius crescant, vel vt alios
de via salutis pijs admonitionibus instruat,
vel vt plurimos bono exemplo suo à vitæ pra-
uitate ad honestatem traducat, Sin improbus
& sceleratus est, vel maturè illum hac luce
spoliat, idq́; vt quam citissimè in eius scelera
animaduertat, vel ne alijs offendiculo sit, vel
ne malo exemplo suo, alijs perditionis & rui-
næ causa fiat. Vel longiora vitæ spatia ei largi-
tur, itq́; agit vel vt bonos in patientia exer-
ceat, vel vt tempus illi ad mores suos mutan-

dos & emendandos concedat. Adimit etiam Deus hominibus cum probis tum improbis, cum iuuenibus tum senibus vitam, vt affinem affinis, amicum amici, amantem amati morte castiget. Quare siue quis tardè siue tēpestiue, siue lancea præsenti, siue futura morte oppetat semper id fit, secundum iustum & rectum Dei sic ordinantis iudicium. Ideoq; sapientissimè Salomon mortem appellat iudicium.

Ratio. 3. Adhæc mortē iudicij nomine notat, (quod nobis attenta mēte expendendum est) quia in morte corā tremendo iudice comparebimus qui omnes actiones & cogitationes cùm bonas tum malas, quas in omni vita nostra gessimus, & mente tractauimus, seuerissimè iudicaturus est, vt ea vel æterna gloria remuneret, vel sempiternis cruciatibus castiget. Hic autē iudex Deus est, qui in morte sententiam fert, nosq; vel perpetuis, aut temporaneis ignibus, vel sempiternis Paradisi gaudijs adiudicat. Vnde S. Chrysostomus quendam animā emittentem, hoc pacto loquentem introducit. *Pergam ante iudicem terribilem, vbi nescio quid mihi continget.*

S. Chrys. in tract. de patientia.

Quandoquidē igitur in morte animę nostrę à Iudice tam tremendo iudicandę sūt, magna sapiens ratione ductus fuit, vt morti nomen iudicij inderet: *Memor esto iudicij mei.*

Ratio. 4. Appellat eam denique nomine Iudicij, (quod etiam animo semper nobis reuoluendum est) quia quales in morte fuerimus, tales in extremo iudicij die iudicabimur: si probæ vitæ benè: si sceleratę vitę, malè. A fine atque à morte nostra, dependet sententia illa, quę de toto hoc composito, corpore simul & anima fe-

ferenda est, vel ad æternos ignes, vel ad perpetuam Paradisi felicitatem.

Audite S. Gregorium idem apertissimè affirmantem. *Qualis* ait, *hinc quisque egreditur, talis in iudicio apparebit, & repræsentabitur*. Et S. Augustinum, multò clarius ad Dioscorum ita scribentem. *In quo quemque inuenerit suus nouissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi nouissimus dies: quoniam qualis in die isto moritur, talis in die illo iudicabitur*. Ac proinde Salomon his rationibus ponderatis, sapienter mortem iudicij nomine signat. *Memor esto iudicij mei.* S. Gregor. in Dialog. S. August. in epistola ad Dioscor.

Cæterum ô infelicitatem nostram, ignoramus quando iudicium hoc futurum sit. Fieri posset quod hodie, ante vesperum, ante solis occasum exerceretur: ideoq; prudenter adijcit: *Heri mihi, tibi hodie*. Lancea præteriti temporis heri mortem mihi attulit, lancea verò præsentis temporis tibi hodie necem inferre potest. *Quis enim est*, ait magnum illud eloquentiæ flumen, *cui exploratum sit, se ad vesperum esse victurum*? Demus tamen quod tẽpus mortis subpræfectus lancea futuri temporis te interimet, teq; ex hoc mundo tollere differat, non est tamen quod inde gaudeas, sed acerbius plores. Cicero.

Noli enim putare, quòd mors & tempus ad vtilitatem tuam id faciant, sed potius vt in fine vitæ vehementius te angant & crucient. Nostine quomodo mors facere soleat? Facit vt marinus pirata: qui non statim nauẽ mercimonij causa in alias regiones vela dantem aggreditur, sed expectat primùm, vt pretiosis mercibus oneretur & locupletetur, vt maiorẽ postea prædam inde absportet & abstrahat, *Mors si tardat venire, id non ad nostram vtilitatem sed maiorẽ cruciatũ facit.*

cumq́ mercator se iam ditatum, & ingentibus lucris auctum, bonisque suis in magna tranquillitate gauisurum existimat, Pirata repentè nauem adoritur, omni ex parte oppugnat, capit, mercatorem vinctum abducit, atq; omnibus mercibus & diuitijs suis spoliat. Quantam angustiam, quam immane tormẽtum putas esse id animo illius, qui se felicem & omnibus mundi commoditatibus gauisurum reputabat, cùm ita ex improuiso cunctis rebus spoliatur, & ad hanc miseriam reducitur. Ita mors sæpè hominem nõ statim aggreditur, sed permittit eũ viuere, opibus augeri, atque ad amplissimos honores ac dignitates prouehi, & quando is se felicem in hoc mundo reputat, bonisq́ suis gauisurum sperat, ex improuisò, vt maiorem ei cruciatum adferat, illum aggreditur, febribus, doloribus, animi defectionibus oppugnat, superat, vitam adimit, diuitijs, honoribus, atque omnibus præsentis vitæ bonis & commoditatibus spoliat. Quantum dolorem, quantos angores, quàm acerbum animi cruciatum existimas mortẽ tali homini adferre, qui se opibus suis, tot laboribus ac sudoribus partis, gauisurũ ac fruiturũ cogitabat. Testatur id Salomon. *O mors,* inquit, *quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis.* Ei videlicet, qui animo tranquillo facultatibus paternis vel acquisitis se fruiturum sperabat.

Eccles. 41.

In quibus verbis nota Salomonẽ affirmare, solũ mortis memoriam ei amarã esse. *O mors, quàm amara est memoria tua*: si enim sola mortis memoria acerba ei est, quid erit mors ipsa? Huiuscemodi hominem proponit

Quam amara sit homini omnibus bonis affluenti

ponit nobis Christus apud Lucam, qui posteaquam supra modum ditatus esset & bonis suis se iam in pace fruiturum speraret, à piratis spoliatus, nec vel vna nocte viuere, ac bonis suis gaudere permissus fuit. Dicebat iste animæ suæ: *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe & epulare.* Dum hæc secum ratiocinatur, audit vocem de cœlo, dicentem sibi: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti cuius erunt?* Non erunt ea quæ congregasti tua, sed alij illis fruentur, anima verò tua violenter è corpore tuo abstrahetur, & à dœmonibus in infernum delata æternis ignibus mancipabitur. *Animam tuam repetunt à te.* Quamobrem fratres mei, nolite idcirco in hoc mundo longæuam vitã velle viuere, vt plurimas vobis opes cumuletis, quibus aucti, iucundam, lætam, & omnibus delitijs affluentem vitam deinceps traducatis: cùm enim mors adorsa vos fuerit, atque hæc omnia vobis ademerit, acerbiorem inde dolorem atque animi cruciatũ haurietis. Itaque hoc vobis persuasum habetote, si mors per pręfectum suum lancea pręsenti vos ferire tardat, atque ad futuram vos reseruat, id eam facere non propter vtilitatem vestram, sed vt cruciatus vestros in morte augeat.

mortis memoria.

Luca. 12.

Salubris exhortatio.

Verum quia paulo ante dixi, mortem vti præfecto Ioab ad vitam nobis eripiendam, ipsam verò esse huius prælij summum præfectum, siue ducem generalem; idcirco paucis demõstrabo, quomodo circa nos summi pręfecti arte atque officio vtatur. Attendite

Quando generalis belli dux ciuitatem aliquam cum toto exercitu obsidione cingit, vt

Quomodo mors sũmẽ

præfecti munere circa nos vtatur.

eam capiat, non statim omnibus simul coniũ- ctis viribus eam aggreditur, sed nunc ab vna, nũc ab alia parte illam oppugnat, modò mœ- nia, modò turres, modò propugnacula, mo- dò portas, modò valla, modò munitiones tormentis quatit. Quãdo autem vrbem pror- sus expugnare atque euertere statuit, omni- bus eam copijs ac viribus quaquauersum a- doritur, ignem cuniculis inijcit, muros terræ coæquat, portas perfringit, atque omni ex par- te vniuerso cũ exercitu irrumpit: milites ve- rò ruina non contenti, omnem insuper sub- stantiam & opes illius diripiunt, nec cuiquã hominum in ea parcunt. Quam tunc miseriã, quam consummationem, quæ detrimenta in- felicem hanc ciuitatem perpeti ac subire pu- tas. Ita fratres, nobiscum agit mors.

Illustratur id eleganti similitudine.

Homo est ciuitas quædã. Ierem.1.

Homo est enim veluti ciuitas quædam, sa- cra scriptura teste, quæ illum vocat ciuitatem munitam: *Dedi te*, inquit Deus ad Ieremiam, *in ciuitatem munitam.* Muri eius sunt caro; valla sunt humeri & dorsum: turres sunt brachia, manus, & pedes; pinnæ murorum sunt digiti: munitiones sunt latera, venter, spina dorsi, ac lumbi: portæ, os & alia sensuum organa: sum- mum propugnaculum caput. O bellã & pro- bè munitam ciuitatem. Hanc mors summus præfectus iuratissimus ciuitatis huius hostis, qui omnibus modis eam expugnare & com- prehendere nititur, ingenti cum exercitu in- firmitatum, & vermium ipsius consummati- onẽ expectantium, circumuallat: attamen sæ- penumerò nõ totis eam viribus adoritur, sed nunc vnam illius partem, modò aliam oppu- gnat: nunc muros schiaticis, luxationibus, ca- tharris

tharris ac defluxionibus; nunc turres & murorum pinnas, podagris, chiragris, & doloribus arthriticis: nunc munitiones, malis torsionibus, doloribus colicis & frigidis humoribus: nunc latera, calculis & inflammationibus; nunc portas apostematibus, parotidis, sanguinis fluxionibus, gangrænis, spasmis, dentium doloribus: nunc propugnacula, apoplexijs, delirijs, hemicranijs, oppugnat, sed particularibus his insultibus sæpè ciuitatem hanc vincere ac subiugare nequit. Nihilominus omnibus eam modis ac viribus euertere statuit. Quid igitur facit?

Vniuersis ad extremum machinis ac molitionibus eam aggreditur, vndique tormentis suis eam quatit, totum corpus malis humoribus opplet, sanguinẽ alterat & corrumpit, spiritus perturbat, sensus obfuscat, ignem cuniculis inijcit, id est, ardentibus febribus hominem pertentat, atque sic demum infelicem hanc ciuitatem capit, mœnia subuertit, membra & totum corpus illius ad terram sternit, & subtus terram sternit, atque illum innumerabili cum exercitu vermium ingreditur. O immundos ac tetros milites, qui omnia deuastant, demoliuntur, deprædantur: qui carnes eius ita depascunt, & in cinerem redigunt, vt vix ossa intacta relinquant. O trucem atq; immitem præfectum. O crudeliores milites, deuoratores & cõsumptores corporis nostri, qui totum illud in puluerem ac cinerem reducunt. Quapropter rectè ait Secundus Philosophus ad Adrianum Imperatorem. *Mors est dissolutio corporum, ineuitabilis euentus, latro hominis & resolutio omnium.* *Secundus philosophus.*

Vul-

Vultis hæc omnia exemplo quopiam illustrari? En vobis Lazarum. In cuius morte videtis impetum generalem. *Erat quidem languẽs Lazarus*. Videtis ciuitatem pessundatã & solo coæquatam. *Lazarus mortuus est*. Videtis milites vrbem ingressos, vt omnia consummarẽt atque diriperent. *Iam fœtet, quatriduanus est*. Quid vobis videtur, de inuincibili & victoriosa hac præliatrice? Quis ei poterit resistere? *Nemini parcit*. Magna fuit huius Lazari felicitas, quòd Christus ipsamet vita, opem ei allaturus superuenit: qui mortem fugauit, milites interemit, gladio nimirum tremendæ vocis suæ, quando ait: *Lazare veni foras*. muros prostratos erexit, & ciuitatem suæ integritati restituit: *prodijt qui erat mortuus*. Sed rarissimi sunt, quibus hic fauor obtingit. Id enim de solo Lazaro legitur, quod putredini atque vermium exesioni proximus putridus atque à vermibus exesus ad vitam redierit. Cupitisne alias nostri status conditiones nosse? Auscultate.

Iohan. 11.

VI.

Homo cur similis nubibus.

AN cognitum habetis quibus rebus in sacris literis æquiparemur? Nubibus Salomon nos comparat. *Transibit*, inquit, *vita nostra tanquam vestigium nubis, & sicut nebula dissoluetur*. Si nubes attentè intueamur, videntur illæ nobis aliquando speciem quæ se ferre equi, leonis, hominis armati equo insidentis, vel alterius rei: sed in momento figura, vestigium, aspectus hic mutatur, dissoluitur, atque ab oculis nostris eripitur, nec amplius comparet. Tales sumus & nos. Videmur aliquid esse: sed breuissimo temporis momento dis-

diſſoluitur compoſitum hoc noſtrum ex ani-ma & corpore, trāſit vita noſtra, euaneſcimus ex mundi oculis, redigimur in cineres, & am-plius non comparemus.

Hæc eſt conditio noſtra & tamen, ô miſe-riam & infelicitatem noſtram, dominatur a-nimis noſtris ingēs ſuperbia & elatio. Fratres. *Tranſibit vita noſtra tanquam veſtigium nubis, & ſicut nebula diſſoluetur, quæ fugata eſt à radijs Solis.* Hi radij ſolis, ſunt febres ardentes, dolores intolerandi, & alię infirmitates à Deo ſummo Sole proficientes. Sed tranſeamus ad alias ſa-crarum literarum comparationes, quibus nos ad arrogantiam noſtram comprimēdam & pudefaciendam, æquiparant.

S. Iob, de ſe & de vnoquoque noſtrum lo-quens, ait: *Memento Domine, quia ventus eſt vita* *Iob 7.*
mea. O elegantem vitæ noſtræ ſimilitudinem: *Vita noſtra*
Vero namque verius eſt, vento ſimilem eſſe *cur vento ſi-*
vitam noſtram. Cùm enim ventus vehemens *milis ſit.*
per aërem fertur, atque aures noſtras pertran- *Ratio. 1.*
ſit, ingentem ſibilum, ſonitum ſiue ſtridorem efficit, qui auribus magnum aliquid eſſe vide-tur, ſed in momento præterit, pergit vltra, nec amplius reuertitur, ſicq́ cum ſtrepitu ac ſibilo ſuo paulò poſt in nihilum reſoluitur. Tales ſumus & nos: qui per mundum hunc cum ali-quo ſonitu ac ſtrepitu, vanitatis, oſtentationis, ac magnificētiæ, tranſitum facimus: Sed bre-uiſſimo poſt tempore ſubito hinc tollimur & euaneſcimus, nunquam amplius, quamdiu mundus ſteterit, reuerſuri: nec maiorem poſt nos, noſtri memoriam relicturi, quàm ſi nun-quam fuiſſemus. Verè igitur S. Iob, ſuā & om-nium noſtrūm vitam vento comparat, & De-

um

um, alloquens ait : *Memento mei Domine, quia ventus est vita mea.*

Assimilatur præterea vento vita nostra: Quia omnis gloria mundi, venti & flatus instar est. Intelligite: Vidistis, opinor, aliquando maiorem pilam, quæ nihil in se continet præter ventum: hæc dum lusus feruet, magnum aliquid esse videtur, volat per aerẽ, magnum edit sonitum, terræ allisa resilit, omnes illam respiciunt, ab ea sibi cauent, atque etiam sese si periculum ab ea immineat, inclinant, & locum ei concedunt. Rectè verò si inspiciatur quid est? Nihil nisi pellis animalis cuiusdam vento plena, quam si acutiori ligno, aut subtiliori acumine ferri tangas & perfores, mox ventus omnis in ea inclusus expirat, rotunda forma perit, corrugatur & complanatur; si eã nullo vnquam tempore inflatã conspexisses, rem nihili esse reputares. Huic pilæ vento refertæ atque huic pelli inflatę similis est homo, in honoribus & mundi huius vanitatibus degens: omnes ei se inclinant, reuerentiam exhibent, domum illius frequentant, exitum eius præstolantur, ad fores illius excubant, difficulter ad colloquium illius admittuntur, offerunt ei libellos supplices, porrigunt memorialia; & vt breuiter dicam, timetur, honoratur, & obseruatur ab omnibus. Sed mors adueniens, leui eum infirmitate pungit, & confestim flatus omnis egreditur, species illius euanescit, vita spoliatur; in terram, in locum immundum, in sepulchrum fætens, tanquam res vilis & nihili proijcitur. Sicquẽ mors ostẽdit, quod illa hominis istius inflatio, illa ostentatio, illa magnificentia nihil aliud fuerit, quã

pellis vento referta. Ideoqúe rectè S. Ioh. ait. *Memento mei Domine quia ventus est vita mea.* Præterea.

In sacris literis homo appellatur vanitas. *Homo nihil nisi mera vanitas.* *Homo* inquit Propheta Dauid, *vanitati similis factus est.* Et alio in loco. *Vniuersa vanitas omnis homo viuens*. *Psal. 143.* *Psal. 38.* Quid autem est vanitas, nisi res quædam quæ magni aliquid esse videtur, sed *Ratio. 3.* reuera nihil est, & subito euanescit? Talis res est homo. Videtur esse praclarum & eximium aliquid, sed talis tantum est in apparentia exteriori, reuera enim nihil est, quia nullam habet firmitatem, neque stabilitatem: leuis infirmitas, exiguum vulnus facit, vt ab oculis nostris disspareat. Illustrabo hæc similitudine. *Cur homo vanitati similis sit.*

Vidistisne aliquãdo in agris herbam illam quæ in summitate florem habet sphærę instar rotundum & candicantem? Quam bellus flos *Ratio 1.* iste cùm exortus fuerit esse videtur? sed nihil est nisi mera vanitas. Minimus venti flatus, facit vt subitò disspareat, & hic illucqúe dispergatur. Talis est homo. Videtur esse flos pulcherrimus, præclaram de se speciem præbet, sed flatu exiguæ alicuius infirmitatis, vel doloris in eum sufflante, en statim perit, en ad terram posternitur. Hoc Regius propheta Dauid indicare voluit, quando ait: *Dies eius* *Psal. 102.* *tanquam flos agri sic efflorebit, quoniam spiritus*, (flatus videlicet, dolorum vel infirmitatum,) *pertransibit in illo & non subsistet, & non cognoscet amplius locum suum.* Adhæc. *Ratio 2.*

Vidistisne bullas illas, quæ ex pluuiarum guttis in aquam decidentibus, aut lapillis in eam iactis creantur? vel illos, quas pueri ex aqua & smigmate faciunt, & in aerem spargũt? Quid

Quid sunt illæ nisi vanitas? videntur quidem aliquid habere venustatis, sed vacuæ sunt, nihil præter aërem & vaporem intra se continẽtes: subitò subitò disparent, & in nihilum reuertuntur. Talis est homo, inflatus videlicet vel propter honores, vel propter stirpis nobilitatem, vel propter immensas opes, vel propter insignem pulchritudinem, vel propter florentem iuuentam, vel propter scientię magnitudinem, vel propter ingenij acumen, vel propter alia innumera: sed inanis est, aere, vapore subtili ac vento plenus, in momento, in ictu oculi euanescit, ab oculis eripitur, & in nihilum eximia illius species redigitur. Non videtis S. Iacobum id in epistola sua canonica testari? *Vita nostra*, inquit, *vapor est, ad modicum parens, & deinceps exterminabitur*. Nonne apertissimè hominem bullam, vaporem inflatum esse ait? Quapropter ô homo, rectè appellaris in sacris litteris vanitas. *Vniuersa vanitas omnis homo viuẽs. Homo vanitati similis factus est*. Audi amplius.

Iacob. 4.

Cur homo in sacris literis appelletur vniuersa vanitas.

Vehementer miror, quamobrem diuinus hic vates, in hac sententia hominem non simpliciter nominauerit vanitatem, sed dixerit. *Vniuersa vanitas*. O sancte Rex, quid te permouit, vt hominem hoc nomine vniuersæ vanitatis notares? Magna profectò ratione, auditores ad id faciendum adductus fuit. Homo enim est veluti quoddam vniuersi atq; omniũ rerum compendium. Esse habet cum lapidibus, viuere cum plantis, sentire cum animantibus, intelligere cum Angelis. Terram habet in carne, aquam in humoribus, aerem in anhelitu, ignẽ in calore, cœlos in motu & actionibus.

nibus. Vnde S. Gregorius. *Omnis creatura*, inquit, *est homo*. Quare si vanitas est in illis quæ esse habent; quę viuunt; quę sentiunt; quę intelligunt; in terra, aqua, aëre, igne & cęlis, asserēdum est has omnes vanitates simul esse in homine. Quia enim homo totius vniuersi cōpendium est: totius etiam vanitatis compēdium rectè nominabitur. Aptè igitur in sacris literis de ipso dicitur. *Vniuersa vanitas omnis homo viuens*. Dicit *viuens*, quia mortuus homo non est totius vniuersi compēdium. Sed viuens. O totius mundi compendium gloriare? O totius vanitatis summo pudore suffundere: cum vniuersa.n. vanitate tua subitò euanescis, extingueris, & in terram de qua sumptus es reuerteris. Flatu infirmitatis alicuius acutæ, mors faciet vt dispareas, nec vnquam, donec mundus steterit, amplius compareas. Neq; modò appellatur homo vanitas in sacris literis, sed etiam imago. Cur hoc? Notate.

S. Greg. in homilijs.

Homo cur imagini similis esse dicatur.

Imago nullam habet firmitatem, neq; soliditatem. Quæ autem in homine firmitas est aut soliditas, si tot mutationibus, tot variationibus subiectus est, vt etiam statim cum in lucem editus fuerit mori incipiat? Notandum verò quid dicant sacræ literæ ipsum in imagine pertransire: *in imagine pertransit*, hoc est, instar imaginis. Si flumen aliquod transnauiges, imago tui in eo repræsentata te sequitur, sed exiguam habet firmitatem ac stabilitatē: si enim te cōmoueris aut paululum à flumine discesseris, subitò disparet, & in nihilum redit. Huic imagini, fratres mei, homo similis est, huic nos omnes assimilamur. Transimus velut imago perexiguæ firmitatis ac stabilita-

Psal. 38.

tis flumen præsentis vitæ. Omni hora atque omni momento versamur in periculo dispa- rendi. Neque id magnæ operæ aut laboris est: vna febris ardens, aër peste infectus, cibus mali succi, gutta frigida à capite defluens, vel alius aliquis sinister casus, vt imaginem nostram de terra tollere, atque ne amplius cernamur, efficere sufficit. *In imagine, igitur, pertransit homo.*

Homo vmbræ similis est & cur.

Porrò non tantum nubibus, vento, vaporibus, flori, vanitati & imagini in sacris literis cōparamur: sed etiam in sacris literis vmbra nominamur. Sic enim in libro S. Iob scriptū est. *Fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.* Verè fratres mei, vmbra est esse nostrum. Vmbra enim nullam in se habet soliditatem; quæ autem soliditas in nobis est, si nihil sumus aliud quam vanitas? Vmbra in eodē statu non permanet; sed iuxta Solis motum variatur. Matutino tempore, lōgiuscula est, & paulatim ad meridiem vsq; ita decrescit, vt quasi nulla esse videatur; sub vesperam verò prorsus euanescit. Ita & homo in matutino infantiæ ac iuuentutis suæ longissimam videtur victurus vitam, sed vita illius paulatim breuiatur, & imminuitur: ac demum vespera, id est morte adueniente, omnino dispa- ret & euanescit. Quamobrem rectè S. Iob ait: *Fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.* Et Iuuenalis.

Iob. 14.

Fabula vana sumus, vita hæc est ventus & vmbra.

Homo variis rebus cōparatur.

Si ego, ita vt cœpi, omnia, quæ in sacris literis homini attribuuntur, colligere, & proferre velim, dies hodiernus me citius, quàm oratio deficiet. Quis enim nō videt, quàm multa

& varia sint sacrarum literarum loca, in quibus vita nostra rebus facilè deficientibus, velociter transeuntibus, ac breuissimo tempore durantibus comparatur?

Ibi enim assimilatur flori, à mane vsque ad vesperam duntaxat perduranti. *Qui quasi flos egreditur & conteritur.* *Flori. Iob. 14.*

Assimilatur fœno quod facile siccatur & aresit. *Tanquam fœnum velociter arescent.* *Fœno. Psal. 36.*

Assimilatur rori, qui à media nocte, vsq; ad solis exortum permanet. *Et quasi ros manè pertransiens.* *Rori. Ose. 6.*

Assimilatur spumæ aquarũ, quæ in momento euanescit. *Et quasi spuma, quæ à procella dispergitur.* *Spumæ. Sap. 5.*

Assimilatur scintillæ, quæ in ictu oculi extinguitur. *Comparatus sum fauillæ.* Et alibi: *Et sicut fauilla, quæ citò dispergitur.* *Scintillæ. Iob. 30. & 21.*

Assimilatur fumo, qui breuissimo tempore in auras dispergitur: *Defecerunt sicut fumus dies mei.* *Fumo. Psalm. 101.*

Assimilatur vmbræ, quæ semper variatur, & demum prorsus euanescit. *Et sicut vmbra quæ declinat, ablatus sum.* *Vmbræ. Psal. 108.*

Assimilatur herbæ, quæ vnius diei spatio, propter ingentem æstum siccatur, indurescit, & aresit. *Mane sicut herba transeat, vespere decidat, induret, & arescat.* *Herbæ. Psal. 89.*

Assimilatur aranearum telæ, quæ per exiguo venti flatu, aut leui alterius rei tactu, soluitur & dissipatur. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur.* *Aranearum telæ. Psal. 96.*

Assimilatur ceræ, quæ in ignis præsentia liquesit & absumitur. *Sicut cera quæ fluit auferetur, supercecidit ignis, & non viderunt Solem.* *Ceræ. Psal. 7[?].*

Stipulæ. Aſſimilatur ſtipulæ, ſiue paleis, quæ inutiles, ſine fructu, ac nullius prorſus durationis ſunt, ſed ſub aratris ſepeliri ſolent. *Et ſtipulam* Iob.13. *ſiccam perſequeris.*

Folijs. Aſſimilatur folijs, quæ ad omnem ventum concutiuntur, tremunt & huc illucq; mouẽtur. *Contra folium, quod vento rapitur, oſtendis po-* Iob.13. *tentiam tuam.*

Pulueri. Aſſimilatur pulueribus, quæ à vento ele- Pſalm.74. uantur & diſperguntur. *Sicut puluis ante faciem venti.*

O vitam noſtram infelicem. O vitam humanam inſtabilem.

En quomodo aſſimilatur vita noſtra rebus breuiſſimo tempore durantibus, & leuiter in nihilum redeuntibus. Quare S. Iob recte ait: Iob.14. *Breues dies hominis ſunt. Dies mei breuiabuntur.* 17.10. *Nunquid non paucitas dierũ meorum finietur bre-* Iſai.38. *ui?* Et Ezechias. *De mane vſque ad veſperam finies me.* Sed quid ad extremum proferam

Nihilo. Vita noſtra etiam nihilo comparatur, ſic enim ait S. Iob: *Parce mihi Domine: nihil enim ſunt* Iob.7. *dies mei.* Si enim tempus illud quo in mundo viuimus, cum annis mundi elapſis, & cum ijs, qui ad finem vſq; mundi elapſuri ſunt, cõponatur, nihil eſt: Multò magis adhuc ſi cum futuræ vitæ æternitate comparetur. Vita etiam præſens idcirco nihil eſſe dicitur, quia poſt breue tempus in nihilum redimus, nec vltra in mundo comparemus. Ad haſce miſerias perducit nos mors. O infelicem & miſeram vitam noſtram. O infortunatam & commiſeratione dignam conditionem noſtram.

Heu quam paruam hæc mors perſonarum rationem habet, perinde illi eſt, diues an pau-

per, magnus an paruus, nobilis an ignobilis, pulcher an deformis existas.

Quid causæ putatis esse, Auditores, quãdo defunctus aliquis per vrbem in feretro ad sepulturam terræ mandandus defertur, quod omnia illius mẽbra, dura, rigida, immobilia ac marmori similia sint, solum verò caput flexibile sit, & veluti folia à vento mota, in omnem partem agitari queat. O insigne mysterium. Clarum est omnibus, in sacris literis capitis motionem pro irrisione atque contemptu sumi, Vt in lib. Reg. *Spreuit te & subsannauit te, & post tergum tuum caput mouit filia Ierusalem.* Et in Psalmis. *Factus sum opprobrium illis, viderũt me & mouerunt capita sua.* Et in Euãgelio de Iudæis Christum irridentibus Matthæus ait: *Blasphemauerunt eum, mouentes capita sua & dicẽtes. Vah qui destruis templum Dei.*

Cur in defuncto cætera membra rigida solum verò caput flexibile sit.

4. Reg. 19.

Psal. 30.

Matth. 27.

Quis enim ignorare potest, per capitis motionem contemptum notari, cum manifestè videamus, eum qui alium irridere vult, caput huc illucq; motitare? Hinc igitur rationẽ cur in mortuo, solũ caput, non alia corporis pars, mobile sit, facillimè cognoscetis. Id enim idcirco fit, ô infelicitatem nostram, quia mors per omnes vicos & plateas vrbium, arcium, & pagorũ, nos deridet, quod sæculi huius fugacissimi, curis, negotijs, & cogitationibus ita innexi & implicati sumus. Audite & pudore suffundimini.

Cum aliquis ad sepulchrum defertur, illius defuncti capite mors in omnibus plateis, irridet eos, quos laborare, sudare, fatigari, longas & arduas profectiones suscipere, diuturnam seruitutem pati, vltroneis obsequijs alijs adblandiri

Mors irridet eos qui pro diuitijs acquirendis fatigant.

blandiri videt,vt opes conquirere, pecunias accumulare, dignitates & honores adipisci valeant:atque illos hisce verbis alloquitur.

O ciechi il tanto affaticar,che gioua?
Tutti tornate alla gran madre antica:
E'l nome vostro, a pena si ritroua.

Id est.O cæci,quid vobis tãtus labor ac fatigatio prodest?Omnes ad veterem matrem, terram videlicet,reuertemini,&nominis vestri vix vlla in terris remanebit memoria.

Irridet potentes.

Irridet eos,quos in amplis Imperijs , magnis dominijs,immensis opibus intolerantissimè gloriari conspicit,& eos sic affatur.

Che val signoreggiar tanti paesi,
E tributarie far le genti strane,
Et col sangue acquistar terra,e'thesoro?
Via più dolce si troua l'acqua,e'l pane,
E'l vetro,e'l legno,che le gemme,& l'oro.

Id est. Quid iuuat tot vrbibus ac regionibus dominari?Quid tot exteras nationes sibi subijcere,ac tributarias reddere?Quid cũ humani sanguinis effusione terras & thesauros acquirere?Dulciores multò sunt panis & aqua, vitrum & lignum,quàm gemmæ & aurum.

Irridet vanè gloriãtes de nobilitate ac sciẽtia.

Irridet eos,quos propter natalium splẽdorem,propter sciẽtiæ magnitudinem, propter terrenarũ facultatum affluentiã,propter honorum mundanorum amplitudinẽ, de seipsis gloriosius ac magnificentius loqui conspicatur;atque illos his verbis alloquitur.

Miser,chi speme in cosa mortal pone
(Ma chi non ve la pone?) es'ei si troua
Alla fine ingannato, è ben ragione.

Id est.Miser est,qui spem suam in rebus interituris,ac f gacibus collocat, (Et quis eam

in istis non collocat?)quare non mirum si ad extremum se circumuentum esse reperiat, id enim rationi consentaneum est.

Irridet eos quos de florenti iuuentute, corporis viribus, formæ elegantia, membrorum proportione, ornatu vestium, alijsq; vanitatibus inaniter extolli atq; arrogantes spiritus gerere intuetur, & eos hisce verbis affatur. *Irridet eos qui de corporis specie superbiunt.*

O tu homo, ò tu domna, che ten vai
Di giouentute, e di bellezza altiera,
Et di tua vita il termine non sai.
Io son colei, che sì importuna, & fera
Chiamata son da voi, & sorda, & cieca
Gente, à cui si fa notte innanzi sera.

Id est. O vir, ô mulier quæ propter iuuẽtutem, & formæ venustatem superbis, & vitæ tuæ terminum ignoras: ego ego sum illa, quæ à vobis immanis, importuna, cęca & surda nominor, quæ obscuram noctem ante vesperam induco.

O nos infœlices, quod hęc cęca, hęc surda, hæc nuda, hæc deformis & tetra mors omnes nos irrideat, omnibus illudat, nemini cuiuscunque ætatis, sexus, conditionis sit parcat. Non enim, vt S. Bernardus ait, *moribus non sapientiæ, non ætati denique parcit.* Et Dugo Philonius. *Nihil,* inquit, *terribilius morte, nihil crudelius. Nimirum, quæ ad aspiciendos homines cœca, ad audiendas preces surda, ad omnes mortales, citra vllius exceptionem perimendos, immisericors & atrox: neque bonorum, neque malorum habens rationem aliquam.* Et quomodo fieri potest vt in homines mortales manus suas inijcere formidet, quæ in ipsam Matrem vitæ, imo in ipsammet vitam crudeles manus suas im- *S. Bernardus in sermonibus. Dugo Philonius.*

immittere non timuit? Necem namque attulit Ieſu Chriſto vnigenæ Dei filio, qui erat ipſamet vita; qui de ſeipſo dixit, *Ego ſum via, veritas & vita*, & ſanctiſſimæ Mariæ Matri eius. *Ioan. 14.*

O quam cęca, quam ſurda, quam nuda, quã deformis, quam atrox & immanis eſt hæc mors quæ nullius rationem habet, ſed omnes æqualiter irridet.

Admonitio ad potentes. Exornate vos ô Summi Pontifices, ô Imperatores, ô Reges, ô Duces, ô Principes, ô Pręlati, thronis, coronis, diadematibus, ſceptris, & mitris, titulos vobis multiplicate; auro, gẽmis, purpura & byſſo vos induite & quid facietis cùm mors cæca vos adorſa fuerit, qua ratione aduerſus eam vos tutabimini, quãdoquidem honores veſtros, dignitates veſtras, inſignia veſtra, ornamenta veſtra, & pretioſa indumenta veſtra non reſpicit ac reueretur. Vbi eſt primus Papa S. Petrus? vbi ſucceſſor eius Linus? vbi qui eum excepit Cletus? Vbi qui in locum eius ſubrogatus eſt Clemẽs? Vbi magnanimus Aſſuerus? magnus Alexander? Cæſar inuictus? Octauianus Auguſtus? Vbi fortis Cyrus? audax Darius? ſuperbus Xerxes? arrogans Antiochus? mitis? Dauid? Vbi mirabilium patrator Moyſes? robuſtus Ioſue? manſuetus Samuel? iuſtus Symeon? Mortui ſunt, interierunt: *Mors nemini parcit.*

Ad ſapientes & doctos. Armate & cõmunite vos, ô ſapiẽtes ô docti ſapientia, ſciẽtia, legibus, eloquẽtia, rhetoricorum floſculis, poetarum coloribus. Et quid vobis omnia hęc proderũt contra mortẽ ſurdam, quæ non audit rationes, non perſuaſiones, non facundiam, non verſus elegantiſſimos? Vbi eſt ſapiens Pythagoras? diuinus Plato?

to? doctus Ariſtoteles? magnus legislator Lycurgus? Vbi eloquẽs Cicero? laureatus Homerus? & alter qui parem non habet Virgilius? Mortui ſunt, interierunt. *Mors nemini parcit.*

Ad diuites & Auaros.

Onerate vos, ô diuites, terrenis opibus, auro, argento, dignitatibus & officijs; accumulate pecunias ô Auari; marſupia veſtra diligẽter obfirmate; ciſtas & ſcrinia veſtra multis clauibus, ne furibus pateant, obſerate. Et quid hæc omnia vos iuuabunt contra Mortem nudam, quæ nullam opum, nullam theſaurorũ & pecuniarum veſtrarum rationem habet? Vbi eſt Midas ille auro refertus? plenus theſauris Marcus Craſſus? argenti contemptor & auri diues Salomõ? Vbi congregandorũ theſaurorũ primus auctor & inuentor Minias opulentiſſimus Cræſus? ditiſſimus Callicratus? Mortui ſunt, interierunt. *Mors nemini parcit.*

Ad milites.

Vires veſtras, ô equites, ô militum præfecti, ô milites: galeis, haſtis, ſcutis confirmate; accingite vos pugionibus, & enſibus; vibrate lãceas, mittite manus ad arcum, ad ſagittas, ad ſclopettos, ad tormenta bellica, ad globos ferreos, ad puluerem, ad plumbum, ad ferrũ, ad ignem. Et quomodo reſiſtere poteritis hiſce armis veſtris Morti exangui, quæ fortiſſimos & celeberrimos mundi Heroës proſtrauit & interemit? Vbi ſunt Sãpſones fortiſſimi? Hectores robuſtiſſimi? Achilles inuictiſſimi? Hercules ferociſſimi? Mortui ſunt, interierũt.

Nec vis Herculea fatum euitabit acerbum.

Mors nemini parcit.

Ad homines in pulchritu-

Confidite, ô viri, ô fœminę iuuenes, ac ſpecioſæ; in pulchritudine ac iuuẽtute veſtra. Et quid facietis contra Mortem deformem, quę nul-

ine confi-lentes. nullam habet rationem iuuentutis, ac venustatis vestrę? vbi est pulcher Narcissus? vbi decorus Absalō? vbi formosa Rachel? venusta Hester? animosa Iudith? vbi speciosa Helena propter quā Troia incēdio deflagrauit? Mortui sunt, interierunt. *Mors nemini parcit.*

Mors est certissima. Magnum quid est, Auditores, quod omnia sub sorte reuocentur, præter mortē quæ non sorte, sed necessario vnicuiq; impēdet. Si mulierem grauidam interrogem, masculum an fęmellā paritura sit? respōdebit, Fortasse sic, forte etiā nō. Si percūctari pergā: si masculus fuerit, peruenietne ad perfectā ætatem? fortè sic, fortè nō. Si eam ætatem attigerit, scolasne frequentabit? literis incumbet? eruditis viris annumerabitur? forte sic, fortè non.

Amplisne honoribus in Republica defungetur? fortè sic, fortè nō. Ducetne vxorem, & filios generabit? fortè sic, fortè non. Ecce quomodo omnia sub fortè reuocētur: At si ab ea sciscitер. Mortemne aliquādo oppetet? respōdebit è vestigio. Vtique sic, hic enim non amplius fortè locum habet, sed certissimè ex vita hac aliquando demigrabit. Vnde ingeniosus ille Poeta.

Sed rigidum ius est, & inuitabile mortis,
Stant rara, non vlla fila tenenda manu.

Medici quidem repererunt & literis commendarunt plurima, *de conseruanda valetudine*: at non, *De tuendo à morte.* Quia, *Mors nemini parcit.* Omnibus nobis, fratres, moriēdum est. Vnicuiq; qui in hanc lucem editus sit, hæc moriēdi necessitas imposita est: qui mori nolit, eum neq; nasci oportuit. Verùm enimuero dū hæc de morte dissero, vires meas & anheli-

helitum deficere ac quaſi emori ſentio: finite igitur me paululum quieſcere, vt ſic nouam quaſi vitam recipiens, maiora & excellentiora de morte vobis proponam.

SECVNDA PARS.

1.

MAgna illa cęleſtiũ diuitiarum tuba, Dei lingua, & Spiritus ſancti vox, S. Paulus Apoſtolus, de morte loquẽs, in hæc, ſublimis intelligentię & profundi iudicij verba prorupit. *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.* Quinq; ſunt hic verba, pauca quidem quoad ſententiam, ſed multa quoad intelligentiam. *Exponitur insignis D. Pauli ſentẽtia.* *Heb. 9.*

Dicit primò, Mori eſſe legem quandam. *Statutum eſt.* Secundò, hanc legem eſſe vniuerſalẽ, omnibus impoſitã. *Omnibus.* Tertiò, Eam poſitam eſſe hominibus, nõ alijs creaturis. *Hominibus.* Quartò, Eis ſemel duntaxat nõ pluries hãc mortis legem ſubeundam. *Semel.* Quintò, quis ſit vitæ noſtrę finis oſtenditur. *Mori.* O verba myſterijs referta, quarum ſenſa qui ad plenum vellet inueſtigare atque excutere, dies aliquot ei haudquaquam ſufficerẽt. Quamobrem pauca tãtum ex omnibus delibabo.

Primò dicit. Mori eſſe ſtatutum, decretum, legem. *Statutum eſt.* Quod vt rectius intelligatur, ſciendũ eſt, omnia regna, præter leges & ſtatuta cõmunia atq; vniuerſalia, habere etiã leges quaſdã particulares, cuique regno proprias. Auſcultate. Tria ſunt regna pręcipua, in tota mundi vniuerſitate. Regnũ cęleſte, Mũdi, & Inferni: quorum vnumquodq; ſpecialẽ habet legem ſiue ſtatutum ſibi duntaxat proprium, *Quomodo mors ſit ſtatutum.* *Ratio 1.*

prium, & ab alijs differens. Regnum cæleste, pro particulari lege ac statuto habet, quod nemo illic mortem oppetat.

Regnum inferni pro lege ac statuto speciali habet, quod qui illud incolunt, semper ac perpetuò moriantur; est.n.ibi æterna quædã ac sempiterna mors. Regnũ mundi inter duo hæc medium, habet etiã specialẽ aliquã legẽ siue statutũ, inter priores leges mediũ: quod videlicet omnes illic habitantes, moriantur quidem ad statuti cœlestis differentiã, at non semper, sed semel dũtaxat ad statuti infernalis diuersitatem. Ideoq; S. Paulus profundè considerans omnia hæc regna, & particulares ipsorum leges, cùm locuturus esset de omniũ nostrum, qui in regno mundi degimus, lege, dicit: *Statutum est omnibus hominibus semel mori.*

Ratio 2. Possem præterea dicere, S. Paulum idcirco nominare mortem, statutum siue legẽ, quod, quemadmodum leges & statuta regnorum, omnibus illud inhabitantibus cõmunia sunt: ita quoq; mors omnibus hominibus magnũ hoc mundi regnum incolẽtibus communis est. Ideoque *Statutum est omnibus hominibus semel mori.* Sed elegãtiorem vobis adferam rationem.

Ratio 3. Dicit magna illa cęli tuba, Mortem esse statutum: quia homo non fuit conditus à Deo vt moreretur, sed vt perenniter viueret: in hac quidem vita per gratiã & iustitiã originalẽ: in futura verò per gloriam. Nihilosecius tamen quandã legẽ statuit, vt si homo de arboris vetitæ fructu vesceretur, morti obnoxius fieret.

Transgressus est homo Dei mãdatum, ideoqúe legi & sententiæ à diuino numine latæ, obno-

obnoxius redditus eſt. Ideoq; rectè dicit vas electionis *Statutum eſt*. quaſi diceret. Iuxta legis diuinæ ſtatutum, homines propter diuini mandati tranſgreſſioné, condemnati & mortis legibus obnoxij facti fuerunt.

Sed tranſeamus ad ſecundum Apoſtolicæ ſententiæ verbum. Dicit, *omnibus*, vt intelligeremus nemineˆ exemptum ſiue liberum eſſe ab hac lege, cuiuſcunq; ſit ſtatus, gradus, conditionis. Omnes mortis debitū reddere coguntur. Pōtifices, Imperatores, Reges, Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Docti, Indocti, Nobiles, Ignobiles. Vt enim Ouidius in Metamorphoſi ait. *Omnes morimur.*

Serius aut citius ſedem properamus ad vnam, *Ouidius in metamorp.*
Tendimus huc omnes, hæc eſt domus vltima.

Vultiſne philoſophemur aliquantulū ſuper hoc verbo, *Omnibus*: nō quidē ſuper vnoquoque homine, ſed ſuper maximè illuſtribus viris ac fęminis ſæculorum præteritorum? Dicite mihi, amabo vos, fratres. Vbi ſunt du centi ſupra triginta ſummi Pōtifices: duodecim Gregorij: nouē Bonifacij: octo Innocentij: ſeptem Clementes: ſex Alexandri: quinq; Nicolai; quatuor Sixti: tres Syluestres: duo Agapiti, vnus Adeodatus? Puluis & cinis, Puluis & cinis. *Summi Pōtifices.*

Vbi ſunt ſex Adriani: duodecim Benedicti: quinq; Cęleſtini: duo Damaſi: quatuor Eugenij; quatuor Felices: tres Iulij: vnus Hilarius: tres Lucij: duo Marcelli: quatuor Honorij: quinq; Pij: quatuor Sergij: duo Theodori: ſex Vrbani: vnus Zacharias? Puluis & cinis. Puluis & cinis.

Vbi ſunt quatuor Anaſtaſij, tres Calixti: duo Dōni: vnus Euſebius: vnus Fabianus: duo Ge-

lasij: vnus Higinius: vnus Liberius; quinque Martini: vnus Hormiſdas: duo Pelagij, vnus Sebaſtianus: vnus Theleſphorus: tres Victores; vnus Zoſim⁹? Puluis & cinis. Puluis & cinis.

Vbi eſt vnus Anterus: vnus Anicetus: vnus Anacletus: vnus Chriſtophanus: vnus Cuno: vnus Cornelius: vnus Cletus: vnus Dionyſius: vnus Deus dedit: vnus Eutychianus: vnus Elutherus: vnus Euariſtus: vnus Formoſus: vnus Landus: vnus Linus: vnus Marcus: vnus Marcellinus; vnus Melchiades: vnus Pontianus: vnus Romanus: vnus Siſinnius: vnus Simachus: vnus Seuerinus: vnus Simplicius: vnus Xiricius: vnus Sotherus: vnus Valentinus: vnus Vitalianus: vnus Vigilius: duo Cōſtantini: duo Paſchales: quatuor Pauli: decē Stephani: tres & viginti Ioānes: vnus Petrus? Puluis & cinis. Puluis & cinis, quia id omnibus commune eſt. *Omnibus.*

Imperatores. Vbi ſunt centum & ſepties quini Imperatores? Et inter hos vbi ſunt ſeptem Henrici: ſex Conſtantini: quinque Ottones: quatuor Leones: tres Theodoſij: duo Claudij: vnus Octauianus? Puluis & cinis: puluis & cinis.

Vbi ſunt duo Alberti: totidem Anaſtaſii: quinque Caroli: duo Conſtantini: tres Frederici: duo Iuſtini: quinque Ludouici: duo Martiani: totidem Maximiliani: tres Tiberij: duo Rudolphi: vnus Iulius Cæſar cum ſeptuagintaquatuor alijs? Puluis & cinis: puluis & cinis.

Poeta quidā Italus. Non auditis inſignem illum Poetam Italum idem affirmantem.

Lui eran quei, che fur detti felici,
Pontefici regnanti, e Imperateri:
Hor ſono ignudi, miſeri, e infelici.

V'son hor le richizze? v' son gli honori?
E le, gemme, e gli scettri, e le corone,
E le mitre con purpurei colori?

Id est. Vbi sunt, qui in hac vita fœlices fuerunt æstimati, Pontifices & Imperatores summum in terris imperium obtinentes? Nudi sunt, miseri, & infœlices. Vbi sunt illorum diuitiæ? vbi honores? vbi gemmæ, sceptra, & coronæ? vbi mitræ cum purpuratis vestibus? Et alium Poetam Latinum.

Non Ducis imperium, non regia mitra, corona
Pontificis summi, Cardineusq; chorus.
Sceptra nec orbis itẽ, nec præsulis infula sancta?
Mortis ab extrema conditione vacant.

Dicite mihi fratres: Vbi sunt tot Philosophi sapientissimi? Aristippi, Empedocles, Democles, Archimedes, Diagoræ, Xenocrates, Democrates, Anaxagoræ, Pythagoræ, Diogenes, Socrates, Platones, Aristoteles? Mortem oppetierunt: hæc enim lex omnibus posita est. *Omnibus.* *Philosophi.*

Vbi tot facundissimi oratores? Pericles, Isocrates, Alcibiades, Gorgiæ, Polliones, Lucij Crassi, Xenophõtes, Hortensij, Demosthenes, Catones, Cicerones, Quintiliani? Interierunt: hæc enim lex omnibus cõstituta est. *Omnibus.* *Oratores.*

Vbi tot elegantissimi Poetæ; Sotades, AEschili, Pindari, Euripides, Aristarchi, Hesiodi, Menandri, Simonides, Sophocles, Anacreontij, Ennij, Statij, Pomponij, Persij, Claudiani, Varrones, Verrini, Plauti, Lucani, Homeri, Horatij, Terentij, Ouidij, Vergilij? Extincti sũt: hoc enim vniuersale decretũ est. *Omnibus.* *Poetæ.*

Vbi tot eximij legum latores: Moyses, Solones, Lycurgi, Androdami, Philolai, Boccori, Car- *Legislatores.*

Carneades, Numæ Pompilij?]vitam cũ morte commutarunt, hæc enim sors omnes manet. *Omnibus.*

Iuriscõsulti. Vbi tot Iurisconsulti doctissimi? Vlpiani, Iasones, Drusi, Bartoli, Baldi, Iustiniani, Decij? Animas suas efflarunt, omnibus enim moriendum est. *Omnibus.*

Grãmatici. Vbi tot artium humaniorum callentissimi Aristophanes, Creati, Epitersi, Didimi, Palamedes, Zenodoti, Elij, Apollonij, Hellidij, Sassi, Prisciani, Donati, Guarini, Hermolai, Emanueles, Vallæ, Perotti? Ex hac vita demigrarunt, hic est enim finis omnium. *Omnibus.*

Historici. Vbi tot acuratissimi & fide dignissimi historiarum scriptores? Thucidides, Hesychij, Iosephi, Themistogenes, Antipatres, Herodoti, Diodori, Egesippi, Isidori, Eutropij, Titi Liuij, Salustij, Plutarchi, Appiani, Plinij, Suetonij, Possidonij, Orosij, Zenones, Eusebij, Valerij Maximi, Cornelij Taciti, Iustini? Mortem occubuerunt, hæc enim omnibus definita est. *Omnibus.*

Astrologi. Vbi tot astrorum peritissimi Mathematici Manethes, Palamedes, Thaletes, Promethei, Eudosij, Protagoræ, Berosi, Theones, Anaximãdri, Heginij, Manilij, Tarmutij, Zoroastri, Architæ, Alani, Ptolomæi? Diem suum obierunt, Mors enim omnibus parata est. *Omnibus.*

Geometræ. Vbi tot subtiles Geometrę? Polemones, Timosthenes, Dicearchi, Pausaniæ, Marini, Theodori, Nicephori Euclides, Marmetini? Spiritum reddiderunt, hæc enim omnibus proposita est. *Omnibus.*

Musici. Vbi tot celebres Musici? Dauides, Xenophocles, Himęi, Amphiones, Philomeni, Antige-

genides, Tamiri, Chirones, Merſi, Ariones, Epidij, Lini, Lumonij, Philades, Orphei? vitam hanc deſeruerunt, hoc enim decretum omnibus commune eſt. *Omnibus.*

Vbi tot expertiſſimi Medici? Democides, Acrones, Diſippi, Hermogenes, Ariſtogenes, Themiſones, Leoniceni? Celſi, Oribaſij, Nicomachi, AEſculapij, Hippocrates, Auicēnæ, Galeni? Mortem obierunt, hæc enim omnibus conſtituta eſt. *Omnibus.* *Medici.*

Vbi tot pugnaciſſimi, & fama notiſſimi exercituum præfecti? Ioſue, Gedeones, Achilles, Hectores, Aiaces, Melciades, Tithei, Ariſtomani, Polidomi, Titanes, Curiones, Publij, Seruuli, Gracchi, Camilli, Fabij, Mithridates, Amilcares, Aſdrubales, Hannibales? Mortem oppetierunt, hæc enim eſt finis omnibus definitus. *Omnibus.* *Militū præfecti.*

Vbi tot Duces & Imperatores, qui propter profligatos hoſtes, & inſignes adeptas victorias, magna cum gloria triumpharunt? Ciri, Alexādri, Mumij, Supplicij, Marij, Sillæ, Caſſij, Scipiones, Metelli, Fuluij, Valerij, Pompei, Cæſares, Marci Antonij, Octauiani, Claudij, Aurelij? Vitam cum morte commutarūt, hic namque omnium terminus eſt. *Omnibus.* *Triumphatores.*

Vbi tot ſtatura & animo excelſi Gigantes? Nembchoti, Goliæ, Tiphæi, Enceladi, Antei, Titij, Poliphemi, Oreſtes, Athlantes, Hercules, Egeones, Etiones? Interierunt. Omnibus enim hæc ſors expectanda eſt. *Omnibus.* *Gigantes.*

Vbi tot celeberrimi Pictores atque ſculptores? Policreti, Timanti, Protogoni, Ariſtarchi, Timagori, Phidij, Polignoti, Apollodori, Praſitelli, Cimones, Paraſij, Zeuxes, Appel- *Pictores & ſculptores.*

les, Pamphilij, Raphaeles, & Michaeles angeli? Extincti sunt, omnibus enim mortis potio ebibenda est. *Omnibus.*

Mulieres formosæ.

Vbi tot eximia specie fœminæ, Poetarum & Historicorum scriptis tantoperè celebratæ Cibides, Didones, Democles, Tisbæ, Atalātes, Hersæ, Semiramides, Zenobiles, Helenæ, Danaæ, Amarilides, Lauiniæ, Lucretiæ? Mortuæ sunt: omnibus enim hæc conditio proposita est, omnes in puluerem abituri sunt. *Omnibus.*

Videtis modò quam rectè & conuenienter cœlestis hæc lingua dixerit: *Statutum est omnibus.* Veniamus nūc ad quartum verbum eiusdem sententiæ & de illo paulisper ratiocinemur. *Hominibus.*

Cur mors dicatur esse statutum siue lex.

Dicit Mortem esse statutum, hominibus positum non animantibus: Idqúe non immeritò. Quamuis enim omnia viuētia morti obnoxia sunt, non tamen mors illis pro statuto siue lege à Deo constituta est, quéadmodum hominibus. Diuina enim Maiestas animalibus ratione carentibus nullum tale mandatū dedit, vt si hoc agerent vel non agerent, morti obnoxia redderētur: sed semper in ea natura, qua creauit, illos reliquit, nullam præterea legem eis constituens. Quare S. Paulus rectè ait, mortem non animantibus sed hominibus duntaxat constitutā esse. Verū quia hoc verbo infra latè fusèque disserturi sumus, trāseamus ad postrema verba, videlicet, *semel mori.*

Pythagoræ opinio refutatur.

O quam profunda cum intelligentia, diuina hæc tuba, verba illa insonuit, *semel mori.* Exploratum habebat falsam esse imaginatonem illam Pythagoricam, qua sibi persuasum habent, animas nostras in morte trāsmigrare de

vno

vno corpore in aliud, atque vt illam ab animis nostris lauaret, ait: *Semel mori.*

Mors quid secundum Platonem.

Si enim vera esset opinio Pythagoræ, cum mors teste Platone, *nihil aliud sit, quam animæ & corporis à se inuicem dissolutio,* & dicente Aristotele, *recessus animæ à corpore*: sequeretur sæpius fieri in vna eademqúe anima hanc separationem, & ex consequenti eam mori; sed huic opponit sese hic Apostolus, omnibus Pithagoricis in hac sciẽtia longè anteferendus, qui dicit. *Semel mori.*

Platonis opinio refutatur.

Præterea dicit *Semel mori,* vt tolleret aliam persuasionem Platonicam itidem verò repugnantem, quod videlicet post, *magnum vt vocant annum*, id est post triginta sex millia annorũ, omnes homines qui mortem obierint, renasciturі, & denuò ad vitam aliquamdiu redituri, ac postea iterum ita mortem oppetituri sint; vt post eiusdem magni anni decursum, eandem perpetuò vicissitudinem renascendi ac moriendi, subeant. O persuasionem erroneam, contra quam gentium prædicator, omnibus Platonicis infinitis partibus eruditior atque scientior, clamat. *Semel mori.*

Millenariorũ hæresis confutatur.

Subruitur quoque ijsdem verbis, stolidissima hæresis illorum, qui aiebant homines in Iudicio quidem resurrecturos, sed post mille annos iterum mortem occubituros esse. O stolidos, ô rudes & ignaros, qui non audiunt hoc oraculum Spiritus sancti, ex ore Apostoli egressum: *Statutum est hominibus semel mori.* Semel nõ amplius. Cõcordat pulchrè cũ hac sententia S. Pauli Apostoli, gẽtilis ille poeta cũ ait.

Horatius in odis.

Sed omnes vna manet nox
Et calcanda semel via læthi.

Dicit denique *semel mori*, vt tu, Christiane, intelligeres, semel mori esse diuinæ voluntatis, atque legem à Deo constitutam, at sæpius mori, minimè; hęc est enim lex iniqua, & qualitas praua ab hominibus introducta. Sed fortè quęres, quis ille sit qui sæpius moritur? Peccator. Quot enim peccata committit, toties sibi necem adfert: peccatum enim est mors animæ. *Anima quæ peccauerit ipsa morietur.* Idcirco dicit, *semel mori*, vt intelligeremus, mori quoad corpus, in quo semel duntaxat mors obitur, esse diuinæ volũtatis: Mori verò quoad animam, in qua sæpe mors obiri potest, non esse diuinæ voluntatis, sed naturæ corruptæ & peruersæ hominum voluntatis, qui sic spõtaneè contra omnẽ Dei voluntatem mori volunt. qui nos tantummodo, *semel mori*, *semel mori*, ô Christiane, non *multoties* mori cupit.

Ad extremum quam multa & varia, super extrema hac vocula, *Mori*, dici possunt: Eximia enim reuera in se complectitur.

Mori quid sit explicatur.

Fratres. *Mori*, nihil aliud est, quam omnia quæ habentur, quæ possidẽtur, quæ sperantur relinquere. *Mori*, nihil aliud est, quam omnes mundi vanitates, omnẽ fastum, omnes voluptates deserere. *Mori*, nihil aliud est quam omnibus officijs, honoribus & dignitatibus spoliari. *Mori*, nihil aliud est, quam amicis, cognatis, & ipsa iucundissima mundi huius luce priuari. *Mori*, nihil aliud est, quam ad eum articulum peruenire, in quo tibi, Christiane, grauissimæ tentationes experiendæ sunt, quibus humani generis hostis te diuexabit, reuocando in memoriam omnia scelera perpetrata, & Deum vel seuerissimum iudicem faciendo, vt

sic

sic ad desperationem te inducat, vel nimis misericordem, vt sic in præsumptionem te præcipitet, ne de peccatis vti debes conteraris, velne diuinam iustitiam reformides, *Mori*, nihil aliud est, quam separatio animæ à corpore, & à corpore charissimo, vsq; ad diem vniuersalis iudicij. *Mori*, nihil aliud est, quam cruciatus maximus, agonia ineffabilis, quæ sentitur in hac animæ à corpore separatione, quæqúe est omnium rerum terribilium terribilissimum. *Mori*, nihil aliud est, quam ex hac vita, ex hoc mundo, ex hominum conuictu demigrare, & ambulalere itinera ignota, nunquam ante peragrata, neque nosse quis nos sociaturus, quisúe ductor noster futurus sit, Dæmones an Angeli, quodque sub vesperam hospitium habituri simus, in sempiternisne an temporaneis ignibus, an in cœlesti Paradiso.

Describit hæc pulchrè S. Chrysostomus, qui moribundū quendam hoc pacto loquentem introducit. *Valete amici: Iter enim pergam extraneum, quod nunquam ambulaui, in regionem longinquam, quam nemo vidit, & in sæculum alterum animarum, in regiones metuendas, per quas nullus me comitatur, & ante iudicem terribilem, vbi nescio quid mihi continget.* Et S. Bernardus in meditationibus, vbi sic ait: *Anima mea, quis erit ille pauor, cum dimissis omnibus, quorum tibi præsentia est tam iucunda, sola ingrederis ignotam penitus regionem; vbi occurrere cateruatim teterrima monstra videbis? Quis tibi in die tantæ necessitatis succurret? Quis tuebitur à rugientibus præparatis ad escam? Quis consolabitur? Quis deducet?* O eximiam considerationem, quæ vnicuiq; tremorem incutere,

Chrisost. in tractatu de patientia.

S. Bernar. in medit.

atque vt caſibus ſuis prouideat facere poteſt. *Mori*, denique nihil aliud eſt, quam relinquere domos commodas, hortos delitioſos, amæna habitacula, elegantia cubicula, lectos molles, & includi in exiguo obſcuro ac tenebroſo ſe-pulchro; habere pro lecto, oſſa mortuorum; pro ceruicali, capita pelle & carnibus nudata; pro linteaminibus, aranearum telas; pro lecti ſternijs, limũ & puluerẽ; pro lecti papilione durum ſupra ſe lapidem; pro ſocijs, vermes innumeros carnes humanas depaſcẽtes; pro vnguentis & aquis odoriferis, ſaniem è putridis corporibus defluentem; pro moſco intolerabilem fætorem. Omnia hæc, & alia multa complectitur in ſe verbum hoc *Mori*. Videtis igitur quam ſint omnia ſingula hæc Pauli Apoſtoli verba, *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori*, plena myſterijs tam eximijs, vt ad eorum perfectam enodationẽ vix integri aliquot dies ſufficere poſſint.

II.

Cur homo ſolus mortalis eſſe dicatur.

VErum enimuerò mirũ mihi videtur, cur cum omnia viuentia moriantur, attamen in tanta animalium multitudine ſolus homo dicatur eſſe mortalis. Sic enim definit eũ Philoſophus. *Homo eſt animal rationale & mortale.* Et S. Paulum iam audiuiſtis dicentem, ſtatutũ eſſe hominibus duntaxat non cæteris viuentibus ſemel mori. Et quod maiorem mihi excitat admirationem, Regius Pſalmiſta Dauid ait. *Vos autem ſicut homines moriemini*, non dicit, ſicut cætera animantia.

O Ariſtoteles, ô Paule, ô Dauid, ſi omnia animalia, tam ea quæ in aere volitant, quam ea quæ in aquis & terra viuunt, mortem obeunt:

cur

cur solos homines mortales esse, illosq́ dun-taxat mori, & vt homines mori non vt cętera animantia asseratis? videmini in hoc velle affirmare, mortem homini nō alijs animalibus esse propriam. Attendite, quia nec Philosophus hominē rectius definire, nec Apostolus & Propheta conueniētiorem de homine sententiam proferre potuerunt, ille quidem à natura, hi verò à Spiritu sancto docti.

Sciēdum itaque vobis est aliud esse mortē, aliud finem. Mors est priuatio quędā siue defectus perfectionis, quia quādo quis moritur, vt docti norunt, à sua perfectione deficit: quādo verò fini suo cōiungitur, maiorem acquirit perfectionem. Intelligite. Omnia animalia rationis expertia ad hominem tanquam ad proprium suum finem ordinata sunt: homo verò ad solum Deum tanquam ad verū finē, non ad aliud quid. Atque hanc ob causam illa mortua ab homine comedūtur, velut quę ad illius cibatum & sustentationem destinata sint; sicq́ fini suo coniunguntur, adeoqúe nihil de perfectione sua amittunt, sed maiorem consequuntur, quia ex carne animalis irrationalis, fit caro hominis rationalis: Quapropter quamuis moriantur, mors tamen illorum propriè non potest dici mors, quia (vti iam diximus) mors est defectus, hic autem nullus est defectus, sed maior perfectio. Non eadem est hominis conditio: hic enim moriendo non sociatur fini suo ea parte qua moritur, sed vermibus quorum esca fit, qui multò minoris sunt perfectionis quam homo. Quare cum mors hominis, sit priuatio & defectus perfectionis, rectè Philosophus, A- *Ratio I.*

postolus, & Propheta inquiunt, hominẽ propriè mori, non cætera animalia. Cæterum audite aliam præterea rationem, sententiam regij Prophetæ clarius explicantem.

Ratio 2.

Ait ille à Spiritu sancto edoctus; *Vos autem sicut homines moriemini*, vt nos terreret, & admoneret miseri & infelicis status nostri, qui etiam quoad ætatem & tempus moriẽdi, brutis animantibus inferiores & infeliciores sumus. Notate.

Omnia animalia rationis expertia, tum ea quæ in aëre, tum quæ in aquis & terra viuunt, habent in viuẽdo ac moriendo determinatũ sibi tempus, omnia. n. hæc ferè per annihilationem naturæ tempore præfixo, & conditioni speciei suę pręstituto, paucis exceptis, morti succumbunt. Elephas vt plurimum diuturniorem vitam viuit quam Ceruus, Ceruus quam Leo, Leo quam Equus, Equus quã Canis, sic si de alijs animãtibus, de quibus si speciatim ratiocinari velitis, reperietis ea omnia, ad certam quandam ætatem, speciei suæ determinatã vitam producere, & ante illam, vix vnquam, nisi interimantur, mori. Nõ eadem est ratio in hominibus, qui non habent in viuendo ac moriẽdo præstitutum sibi tempus. Omni tẽpore, omni ætate ex hac vita migrãt; rarissimi inter illos sunt qui propter naturæ annihilationẽ decedunt, sed omnes ferè propter grauissimas ægritudines ante senectutis aduentum hac vita defunguntur. Imo plures in ætate infantili, quã adulta ætate intereunt. Qui verbis meis fidem nõ habet, parentes de prolibus suis interroget, maiorem enim illarum partẽ ex hac vita in primis annis sublatã

cum

cum Christo regnare, quam in terris in adulta ætate viuere intelliget.

Hanc nostræ conditionis infelicitatem, probè intellexit Philippus Macedonum Rex, pater Alexandri Magni, qui ne suijpsius obliuisceretur, & in tanta felicitate atque omniũ rerum affluentia excęcaretur, aut in superbiã erigeretur, quẽdam inter aulicos suos alebat, cui hoc muneris dedit, vt quotidie his eũ verbis moneret. *Philippe recordare te hominem esse:* quod perinde est ac si dixisset. Caue ne in tanta gloria in superbiam extollaris, quia, vt homo, aliquando mortem oppetiturus es, qui nescit hodie ne an cras, extremum vitę spiritũ redditurus sit. O eximiam tanti Principis sapientiam, qui vt continuam infelicitatis humanæ conditionis memoriam ageret, illosq; in moriendo bestijs inferiores esse recordaretur, tali artificio vsus est. Quia igitur in omni tempore atq; omni ętate homines mortem oppetunt nõ cætera animalia, Propheta regius, vt nos huius rei denũtiatione ad salubrem timorem incitaret, faceretq; vt omni tempore ad mortem essemus parati, miseram & infelicem naturæ nostræ conditionem in memoriam nobis redigit; dicens. *Vos autem sicut homines moriemini*, non, *sicut* cætera animantia. Sed audite aliam huius facti rationem,

Egregium Philippi regis Macedonum factum.

Si etymologiam nominis, *Mors* indagauerimus, inueniemus eam à morsu sic appellatam esse, teste S. Augustino, qui ait. *Mors à morsu nomen accepit.* Morsus enim non tantum significat mordendi actum, sed etiam buccellam siue particulam aliquã cibi. Vnde dicitur morsus panis; id est; buccella siue particula panis.

Ratio 2. S. Augu. ser. 101. de temp.

Vt si è pane, vel pomo partem aliquam dentibus abstrahas, id est morsus, nam partem aliquam tollis, partẽ relinquis. Quia verò mors in homine, non in alijs animantibus id reuera facit, propriè homo mori & mortalis esse dicitur. Cũ enim necẽ illi adfert, nõ totũ aufert, sed partẽ, morsum dũtaxat siue buccellam: nã corpus solũ relicta anima, quę immortalis est, abstrahit. Non eadẽ est ratio animantium rationis expertium, ab illis enim non vnum duntaxat morsum, neq; vnam partem solam, sed omnia, corpus videlicet & animam simul tollit, nam emortuo illorum corpore, anima, quę non immediatè à Deo ; vti nostra conditur, sed iuxta communem Theologorum sentẽtiam, *è potentia materiæ educitur*, simul perit. Idcirco Regius propheta ad hanc deriuationem nominis mortis *à morsu* respiciens, homines ait propriè mori ac mortales esse, non alia viuentia. *Vos autem sicut homines moriemini*. O rationem breuem ac subtilem. Sed neque hic sistam, adferam & aliam elegantiorem atque huic loco, vt reor, magis propriam. Audite.

Ratio.3. Solus homo duabus mortibus mori potest, non cætera viuentia; harum vna temporalis est, alia æterna; illa corporis, hæc animæ, & animæ simul & corporis, sed post vniuersalem corporum resurrectionem.

Prima moritur per infirmitatem aut aliud accidens: secunda per peccatum; hac autem posteriore nullum animal irrationale mori potest, quia post mortẽ nõ superest illi⁹ anima, quę pati queat sẽpiternã mortẽ. Audite modo sacri textus expositionẽ, Loquebatur Regius Propheta Dauid, nõnullis qui propter ingen-

tem arrogantiam & mentis elationem, se Deos & Dei filios non homines esse autumabant. Quare in mentem redigit illis, nisi hanc superbiam deposuerint, submissioremq́ animum induerint, ipsos sempiternam mortē, qua homines non cętera animantia mori possunt, oppetituros esse. Idcirco ait: *Vos autem sicut homines moriemini.*

Hoc ita esse, liquet ex eodem Psalmo, vbi post hæc verba. *Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes*, statim subiungitur. *Vos autem sicut homines moriemini.* Quasi diceret. O peccatores, ô superbi, ô arrogantes, qui Dijs vos exæquare tentatis, qui DEI excelsi filios vos esse iactitatis, non venit vobis, miseri, in mentem, vos homines, perinde vt cæteros esse, vosq́ sicut homines non sicut animantia, mortem occubituros: ita videlicet, vt post mortem supersit anima vestra, quę in inferno, sempiternā mortem, quam nullum animal perpeti potest, pati queat. Hæc autē sic, vt dixi, de perpetua morte intelligenda esse, multò magis ex verbis mox sequentibus clarescit.

Ait namque. *Et sicut vnus de principibus cadetis.* Qui enim sunt hi principes alij, quam Dæmones, tenebrarū infernalium Principes, qui de cęlis in profundum abyssi, vt sempiterna morte cruciarētur, corruerunt. Cùm ergò Dauid ait: *Et sicut vnus de principibus cadetis*, vult hoc de infernali morte intelligi. Rectè igitur comminando illis hanc pænam ait: *Vos autem sicut homines moriemini*, non *sicut iumenta*, quæ ita mori nequeunt.

O præclaram rationem, quæ omnes peccatores meritò terrere atq; examinare deberet.

Ec-

Ecquid modo, auditores, de sacrarum literarum mysterijs vobis videtur?

III.

Homines assidue mori testimonijs & argumentis confirmatur.

NEque solum assero, omnem hominem, qui vita hac vtitur, moriturũ, sed etiam assiduè illum mori. O infelicissimam conditionem nostram; non modo morimur, verùm etiam nullo temporis puncto intermisso morimur. Quid enim est mors aliud quam vitæ priuatio? Nos autem statim posteaquam in lucem editi sumus, semper magis ac magis vita spoliamur. Vnde fit vt quo magis ætate crescimus, eò plus de vita nostra imminuitur: & quo diutius viuimus, eò minus de vita nobis reliquum sit. Hinc sapiens illa Thecuidis ad Regem Dauidem ait: *Omnes morimur & sicut aquæ dilabimur super terram, quæ non reuertentur.* Dicit, *morimur* in tempore præsenti, non *moriemur* in futuro, vt intelligeremus vitã nostrã esse mortem cõtinuam. Statim post primum in vitam hanc introitum, ô miseriam, morti nostræ principium facimus: in nostro autem ex vita hac discessu, mori cessamus. Quod probè, quamuis tardè, peccatores illi de quibus in lib. sapientiæ legimus, intellexerũt, qui aiunt: *Et nos nati continuò desinimus esse.* Omni die, omni hora, omni momento, Christiane, mors aliquam vitæ tuæ partem tollit: quando verò vitam hanc dimittis, mors eam totam tibi abstulit. Itaque clarum est, nos omnes assiduè atque omni tempore mori.

2. Reg. 14.

Sap. 5.

Vita nostra clepsidræ horariæ similis est.

Vultis nosse cui hac in parte similes simus? Comparamur clepsedris illis quæ arenularũ decursu horarum spatia mensurant atque distinguunt. Hæ namque semper currunt, & pau-

paulatim magis ac magis imminuũtur, quando verò ad vltimam illam lineam, quam puluis per angustum vitri foramen decurrens, efficit, peruenerunt, cursus finem faciunt, horámque elapsam esse indicant: tum vero totũ superius vasculum, ab inferiori vitreo vasculo absorptum esse intuemur. Ita & vita nostra statim post nostrum in hanc vitam ingressum, currere atque indies imminui, moríque incipit hic: enim cursus vitæq́ imminutio, nihil aliud est, quam continua mors: in vltimo vero spiritu quem in mortis agone reddimus, cursus hic cessat, vitæq́ nostrę hora finitur, adeoq́ omnis puluis, hoc est tota vita nostra à morte quæ est vasculum inferius deuoratur quæ sine cessatione atque sine vlla cõmiseratione vitam nostram absorbet. Quã nostrã infelicitaté Horatius secũ perpẽdés ait:

Mors vltima linea rerum est.

Puluis & vmbra sumus.

Hinc est, quod similis clepsedra tempori (quod sub alati senis specie pingitur) attribuitur: vt hoc nimirum artificio indicetur, cum tempore, hoc est omni anno, omni mẽse, omni die, omni hora, & omni momento, decessionem aliquam de vita nostra fieri, magisque ac magis vitæ termino nos propinquare. Itaq́ sapienter ait mulier illa Thecuitis. *Omnes morimur* in tempore præsenti, non *moriemur* in futuro. Verum vt clarius adhuc fiat, hominẽ viuentem assiduè mori, aliam proponam similitudinem, simplicem quidem, sed rei, vt opinor, accomodatissimam. Vita nostra, auditores, similis est vasi vinario, omnibus domesticis ad bibẽdũ proposito, quod quotidię magis

cunctis ad manum posito similis est.

gis ac magis imminuitur. Nam statim vt in lucem hanc introimus, mors vitam nostrã exugere incipit, paulatimq́; ita exhaurit, vt nihil amplius vitę in nobis reliquæ sit. Sicut autem nõnunquam vsuuenire solet, vt vas illud vinariũ, quod cõmuniter septuaginta vel octoginta dieb⁹ perduraret, si tres, quatuor, vel vnus dũtaxat insignes potatores superueniãt, septem, decem, duodecim, aut summũ quindecim diebus planè vacuetur. Ita sæpenumero accidit, quod vita nostra, quę ad septuaginta vel octoginta, non dico horas neque dies, sed annos perdurare posset, si tres, vel quatuor, vel vnus etiam duntaxat magni potatores superueniant, id est, si tertiana, quartana, vel vna continua & quotidiana febri pertentetur, in septem, decẽ, duodecim, vel summũ quindecim diebus finem accipiat. Et quẽadmodũ quando vas hoc, ita vt diximus, domesticis ad bibendum positum est, non dicitur in tẽpore futuro, hoc vinum bibetur, sed in pręsenti, hoc vinum bibitur. Ita cum mors à primo in hãc lucem ingressu vitam nostram exhaurire incipiat, non potest propriè de nobis dici, quod aliquando futurum sit vt moriamur: sed in præsenti, quod assiduè morimur.

S. Gregorius in serm.

Quod S. Gregorius secum considerans in hæc verba prorupit: *Quotidianus defectus corruptionis, quid est aliud, quàm quædam prolixitas mortis?* Et S. Augustinus: *Illo*, inquit, *die Adã & Eua mori cœperunt, quo mortis legem accepe-runt.* hoc est, quando peccato inobedientię se constrinxerunt, tum enim, ablata immortalitate, mori, id est, vitæ imminutionem sentire cœperũt. Sapienter igitur ait mulier illa The-

S. August. in quæst. in Genes.

cuitis.

euitis. *Omnes morimur*, in præſenti, non *moriemur* in futuro. Audite & aliud ſacrarum literarum idem confirmans teſtimonium.

IV.

Vita noſtra nauiganti ſimilis eſt.

S. Iob de ſeipſo atq; de vnoquoque noſtrûm loquens ait. *Dies mei petranſierunt, quaſi naues poma portantes.* Neque id ſine ratione; vita enim noſtra verè ac propriè nauiganti ſimilis eſt. Hic enim ſiue ſtet ſiue ſedeat; ſiue dormiat ſiue vigilet; ſiue ambulet ſiue quieſcat, ſiue comedat ſiue bibat; ſiue loquatur ſiue taceat; ſiue velit ſiue nolit; ſi nauigium remis propellatur, aut velis explicatis ventorum impulſu agatur, nullo temporis puncto intermiſſo, iter facit, atque nauigationis ſuæ ſiue loci, ad quem tendit, termino propius appropinquat. Ita & nos ſiue dormiamus ſiue vigilemus; ſiue ſedeamus ſiue ambulemus; ſiue mãducemus ſiue bibamus; ſiue loquamur ſiue taceamus; ſiue riſui, iocis, ac ludis indulgeamus, ſiue aliud quid operis agamus, omni tempore ad itineris noſtri finem tendimus, atque ad nauigationis, hoc eſt vitæ noſtrę terminum propius accedimus. Probè id nouerat Lactantius Firmianus, qui hanc noſtram miſeriam ſecum perpendens, ait. *Siue vigilantes, ſiue dormientes, ſiue tacentes, ſiue ambulantes, ſiue volentes, ſiue nolentes, per momenta temporum quotidie ad finem ducimur.*

Lactantius lib. 6 diuinarum inſtitut.

Clarum eſt, auditores, atq; ab omni ambiguitate alienum, nos hoc anno, mẽſe, hebdomada, quam ſuperioribus annis, menſibus, hebdomadibus, & hodie quã heri morti proximiores eſſe. Quin & diem hunc cum morte diuiſimus, nam ex horæ, quæ à matutina ſurrecti-

Quotidie morti magis ac magis ap-

propinquamus.

rectione nostra effluxerunt, à morte nobis ii sublatæ sunt. Quid amplius ? Hoc ipso etiam momento, morti aliquantò propinquiores sumus, quam quando vltima verba protuli. Audite sapientem Senecam hoc ipsum luculentis verbis affirmantem. *Quotidie*, inquit, *morimur; quotidie enim demitur aliqua pars vitæ ; & nunc quoque cum crescimus vita decrescit ; hunc ipsum quem agimus diem, cum morte diuidimus.*

Seneca epistola. 24.

Et tamen id minimè credimus.

Verumenimuerò quanquam omnes nauigiorũ instar ad vitę nostrę finem sine vlla cessatione currimus, plurimi tamen nostrũ se firmos ac stabiles manere, nec vnquam morituros esse sibi persuadent. O ingentem stultitiã!

Similis est hæc vesania, eius qui in nauigio constitutus, flumen aliquod transuadat. Is enim si aliam nauem contrario cursu velificantem conspicetur, illam pertransire, suam verò immobilem permanere : illam veloci cursu ferri, suam nihil omnino moueri existimat: & tamen sua nauis perinde vt altera per flumen transit, forsitan etiam velociori quam altera cursu. Ita nonnulli, in ea versantur mentis inopia, vt licet innumeros, veluti naues, per aquas huius mortalis vitæ ad mortem tendere videant, nihilominus arbitrentur, se optimo ac firmissimo in statu esse, ad mortem haudquaquam pergere, sed quodammodo immortales esse.

Ostenditur hæc nostra vesania insigni similitudine.

Declaratur idem alia similitudine.

At, ô vesanas hominum mentes, ô pectora cæca, quam magno in errrore versantur? Ambulant & currunt non secus ac cæteri ad mortem, forsitan etiam velocius cæteris. Quocirca S. Iob vt hanc stultitiam, & mentis errorẽ hominibus eriperet, admonet illos, vitam & dies

dies vniuscuiúsque similes esse nauigijs, assiduè transeuntibus. *Dies mei pertransierunt quasi naues.* Audite & aliam rationem cur dies hominis nauium instar pertransire asserat.

Vidistisne aliquando nauis plenis velis vndas sulcantes? Dum ita liquidum hoc elementum aquæ perambulant, relinquunt post se semitam, siue vestigium quoddam itineris sui, sed momentaneum & breuissimo perdurans tempore: paulò post enim aquæ coeũt, & complanantur, nec vllum amplius nauis retinent vestigium. Ita & in hoc mundo homines potentia, diuitijs, & honoribus, conspicui, quasi totidem excelsæ naues, aquas mortalis huius vitæ pertranseunt, atque post discessum aliquod sui, post se relinquũt vestigium: nam parua quędam illorum adhuc remanet in terris memoria: sed illa paulò post etiam tota euanescit, & in fumum abit, nec maior eorum viget recordatio, quàm si nunquam in mũdo vixissent ac floruissent. Quod multò magis id dici potest de paruis cymbis atque nauigijs, id est de obscuris & tenuis fortunæ atque conditionis hominibus, qui minimũ sui post se relinquunt vestigium, & breuissimo temporis spatio toti abeunt in obliuionem. Hoc Salomon in lib. Sapientię indicare voluit, quando ait. *Transierunt omnia tanquam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam, cuius, cùm præterierit, non est vestigium inuenire, neque semitam carinæ illius.* Idem & S. Iob his verbis significauit, cum dicit, *Dies mei pertransierunt quasi naues*: vbi conuenienter subiungit, *poma portantes.*

Sap. 5.

Nostis enim Naues poma ferentes post se relinquere, quacunque iter faciũt, gratum odo-

Cur nauibus poma portã-

tibus comparemur.

dorẽ, ſed qui exiguo tempore duret, euaneſcat, & in nihilum reuertatur. Sic & homines, magni æquè ac parui: diuites æquè ac pauperes, infirmi ęquè ac potentes, quamuis in tranſitu per hãc vitam, aliquem poſt ſe relinquant odorem, hic tamen ſubitò euaneſcit, in nihilum redit, atque illorum memoria funditùs perit, & in obliuionem tranſit. Ecce igitur, quàm verè comparati ſumus *nauibus poma portantibus*. Vultiſne & aliã audire rationẽ cur nauibus poma ferẽtibus ęquiparemur. Attẽdite.

Naues poma portantes, quia hoc genus mercium facillimè corrumpitur ac putredinem contrahit, poſteaquam à littore ſoluerũt, nullo in loco diuturnam moram faciunt, ſed iter ſuum ſine intermiſſione proſequuntur, quouſque ad præſtitutum locum appellant: Ita & nos poſteaquam ab vtero materno egreſſi ſumus, nunquam quieſcimus, nunquam diu in eodem ſtatu perſiſtimus: eodem S. Iob atteſtante qui ait: *Homo nunquam in eodem ſtatu permanet*. Sed aſſiduè ambulamus, quouſque ad tẽpus illud, quod Deus noſtræ nauigationis termino prębxit, id eſt ad mortem pertingamus. Hæc autem cõtinua ambulatio & acceſſus ad finem, quid aliud eſt, quam quędam vitę breuiatio & mors continua? Quapropter rectè ait S. Iob. *Quaſi naues poma portantes*. Et mulier illa Thecuitis: *Omnes morimur*, in pręſenti, non *moriemur*, in futuro. Maius adhuc aliquid hac de re proferam. Fauete linguis.

V.

AIo & verè aio, me loquentem vobiſcum, magis loqui cum mortuis, quàm cum viuentibus. Si enim oculos vndequaque circũfero

fero & vos omnes diligentius intueor, verè atque sine vlla fallacia vos magis mortuos quã viuos esse conspicio. Itane ô mortales, non intelligitis hanc vestram infelicitatẽ quòd magis mortuis quàm viuentibus annumerandi sitis? Haudquaquam. Demõstrabo igitur vobis paradoxũ hoc quod vobis admirabile videtur, verò verius esse. Attendite, obstupescite, & confundimini de miseria conditionis vestræ.

Sciendum igitur vobis est, iuxta sapientum sententiam septem esse hominis ętates. Prima, est infantia: secunda pueritia: tertia adolescentia: quarta iuuentus: quinta virilis ætas; sexta senectus: septima & vltima, ætas decrepita. Prima ad octauum vsq; annum se protendit: secunda ab octauo ad decimumquintum: tertia à decimoquinto, ad vicesimum secũdum: quarta à vigesimo secundo ad trigesimum: quinta à trigesimo ad quinquagesimum: sexta à quinquagesimo ad sexagesimum: septima à sexagesimo ad finem vsque vitæ. Neque dubium est, quin secundum harum ætatum in homine defectum, deficiat etiam vita illius: hæc autem vitæ defectio, quid aliud est quã mors? cùm mors iuxta philosophorum sententiam sit vitæ priuatio? O infantes qui septimum ætatis annum prætergressi estis, vnam in vobis partem verè mortuam habetis, videlicet infantiam; sex viuas, sed incertas, id est sex sequentes ætates. Incertas dico, quia in qua ætate mortem obituri sitis, clam vobis est. O pueri qui annum decimumquintũ superastis, duas in vobis partes habetis verè mortuas, infantiam nimirum & pueritiam, quinq; viuas sed in-

Septem sunt hominis ætates.

Apostrophe ad omnes singularum ætatum homines.

incertas:id eſt, quinque ſequens ætates. O iuuenes, qui annum viceſimum ſecundũ impleſtis, tres in vobis partes habetis verè mortuas, infantiam, pueritiam, & adoleſcentiam, quatuor viuas ſed incertas, id eſt, quatuor ſequentes ætates. O viri qui trigeſimum ætatis annum ſupergreſſi eſtis, quatuor in vobis partes habetis verè mortuas, infantiam, pueritiã, adoleſcentiam, & iuuentutem, tres viuas, ſed incertas, virilem videlicet ætatem, ſenectutẽ, & ætatem decrepitam. O ſenes qui annum quinquageſimum abſoluiſtis, quinque in vobis partes habetis verè mortuas, infantiã, pueritiam, adoleſcentiam, iuuentutem, & virilẽ ætatem, duas viuas ſed incertas, ſenectutem nimirum, & decrepitam ætatem. O ſenes decrepiti, qui ſexageſimum annum ſuperaſtis, maturi iam eſtis ad mortem, cãdela veſtra ad vnguem abſumpta eſt, puluis vitæ veſtræ totus defluxit, vinum veſtrum totum ad fundũ & fœces vſque exhauſtũ eſt, nauigatio veſtra finita, ad portum appellitis, ô infælices, ſex partes in vobis verè mortuas habetis, vnam duntaxat viuam, miſeram, & incertam, id eſt, ætatem decrepitam.

Probat homines magis mortuos quã viuos eſſe.

Ex hoc diſcurſu, auditores, facili negotio cognoſcere, atque manibus tantum non palpare poteſtis, vos magis eſſe mortuos quã viuos, meq́ue hodie mortuis potius quàm viuis loqui: nã maior pars veſtrûm, qui huc in magno numero ac frequentia conueniſtis, trigeſimum annum prætergreſſa eſt; vnde liquet in maxima veſtrûm parte, quatuor vitæ partes verè mortuas eſſe, videlicet infantiam, pueritiam, adoleſcentiam, & iuuentutem, tres tantum

tum viuere, illasq́; incertas esse, nimirum, virilē ætatem, senectutē, & decrepitam ætatem. Quam multi autē sunt inter vos, qui vitæ suæ quinas partes mortuas, & duas tantummodo viuētes habēt? Neq́; desunt, qui sex mortuas, & vnicam duntaxat viuā habeant. Iam verò nōne quaternarius numerus maior est ternario? quinarius binario? senarius vnitate? Itaque cùm maxima vestrûm pars, quatuor & amplius vitæ suæ partes mortuas, tres tātùm viuas, & in quibusdam etiam minus habeat, hinc euidenter intelligitis, verissimum esse quod dixi, vos mortuis poti⁹ quàm viuis annumerandos esse, meq́; hodierna luce magis ad mortuos quàm viuos sermonem habere.

Quid vobis, ô mortales, quin poti⁹, ô mortui, de misera & infœlici cōditione vestra videtur? Auscultate sapientē Senecam idē clarissimis verbis testificantem, *Mors*, inquit, *infantia est pueritia, mors pueritiæ est adolescentia, mors adolescentiæ est iuuentus, mors iuuentutis est virilitas, mors virilitatis est senectus, mors senectutis est decrepitas, mors decrepitatis est ipsa mors.* Adiūgamus nos Christiani verbis huius Ethnici philosophi. *Mors mortis est vita æterna.* Sed prosequamur cætera. *Seneca.*

Cur homo fructui cōparetur.

Cur putatis in sacris literis hominem fructum appellari? Vt in Deuteronomio: *Benedicetqúe fructui ventris tui.* Et in actibus Apostolorum. *De fructu lumbi eius sedere super sedē eius.* *Act. 2.* Quæ potest esse, auditores, similitudo hominis cum fructu, si fructus à plantis & arboribus non à muliere producitur? & si fructus ideo sic appellatur, quod eo in cibis fruimur, hocne de homine fieri consueuit? Sensum

 planè

planè myſticum ſub hac littera occultari neceſſe eſt. Gratumne habetis vt illũ vobis detegam? Attendite, & noſtræ humanæ naturæ infelicitatem deplorate.

Appellatur homo fructus: quia quẽadmodũ fructus arboris quando incipit foras erũpere, primum producit gemmam, poſtea trãſit in florem, deinde conuertitur in fructum, ſed durum & immaturum: deniq; fit maturus & tener, qui facillimè & ad minimum venti motum, minimam arboris cõcuſſionem, decidat. Hic manifeſtè cernitur, antequam fructus maturitatẽ ſuã conſequatur, ipsũ tria perdere, aut in tribus rebus emori. Quãdo floret, perit in ipſo gemma, quod eſt primum: quãdo fructus durus eſt adhuc & immaturus, perijt in ipſo flos: quod eſt ſecundum; quãdo maturitatem adeptus eſt, perijt in ipſo durities & immaturitas, quod eſt tertium.

Verum ſæpenumerò accidit, quòd fructus pereat & moriatur nonnunquam in gẽma, & ad florẽ non perueniat: nonnũquã in flore, & fructũ non progerminet; nõnunquã ipſe fructus durus decidat, antequam maturitatẽ ſuam conſequatur. Ita & homo prius eſt gemma videlicet, in infantia, pueritia & adoleſcentia ſua: deinde flos, in iuuentute, poſtea fructus durus & immaturus, in virili ætate: demũ fructus tener & maturus, in decrepita ætate, quæ ad minimam exiguæ alicuius infirmitatis cõcuſſionẽ, in terrã id, eſt. in ſepulchrũ cadit.

O Chriſtiane, quando vigeſimum ſecundũ annum prętergrederis, moritur in te gemma, quando ad trigeſimũ peruenis, moritur in te flos; quando quinquageſimũ imples, moritur in

in te fructus durus & immaturus, nec quicquã vltra tibi superest præter flaccidam & casui proximam senectutem. Sed (ô miserã hominum conditionem) quam multi extinguũtur in gemma, antequam ad florem iuuẽtutis perueniant? quam multi in flore, antequã ad fructum durum & immaturum virilis ętatis pertingant? quam multi in fructu immaturo, antequam ad fructum maturum senectutis appropinquent? Videtis ergo primo cur fructui similes esse dicamur. Intelligitis deinde quam sit misera & deploranda vitæ nostrę conditio; qui viuentes, mortui reuera sumus. Hoc fortè quidã ex veteribus mundi sapientibus secum expendebat quãdo ait: *Nos nunc mortui sumus, corpus enim nostrum nobis sepulchrum est*. Quia igitur in cunctis ætatibus continuo morimur, clarissimum esse cernitis dictum illud mulieris Thecuitis, *omnes morimur*, in præsenti, non *moriemur*, in futuro. Ponderemus modo paulisper verba sequentia, quæ non minus consideratione digna sunt, quam ea quæ hactenus exposuimus, Attendite.

VI.

SEquitur. *Et sicut aquæ dilabimur super terram, quæ non reuertentur*. Multa hic dicenda forent, sed nos pauca tantũmodo delibabimus. Notum atque testatum est omnibus, in aquis fluẽtibus, vnas ab alijs excipi, vnas alijs succedere: Primis præterlabentibus, aliæ in locum eorum subintrant, illæ autem quæ præterfluxere, vltra non cernuntur. Tales sumus & nos. Transimus magnum hoc flumẽ præsentis vitæ instar aquarum, & vnus alterum sequitur. Deficientibus parentibus, succedunt

Homo aquis comparatur & cur.

filij, & filiæ. Et his cum tempore extinctis, & alij filij atque filiæ loca eorum occupant: atque ita deinceps alij & alij: sicque homines alij in aliorũ hæreditatem & loca transeunt, vsque ad mundi terminum: illi autem qui præterierunt atque extremum vitæ suæ diem confecerunt, in sepulchris ita conduntur, vt amplius conspici nequeant. Audite S. Augustinum hac de re ita differentem. *Nascũtur, inquit, homines, moriuntur: & alijs morientibus, alij nascuntur; succedunt, accedunt & decedunt, nec manebunt.*

Vera est igitur ista sententia. *Et sicut aquæ dilabimur super terram.* Proferam & aliam similitudinem, illis qui marinorum fluctuum morem nouerunt, seruientem.

Simile. Qui Maris aquas aliquãdo conspicati sunt, non ignorãt, quomodo fluctus illius intumescant, quantaque cum celeritate alius post aliũ ad littus properent, littoribus allidantur, ibique vis eorum frãgatur & euanescant: Sequẽs præcedentem ad littus propellit, cui cum allisus & fractus fuerit, etiam ipse frangitur; hũc alius excipit, qui & ipse allisus frangitur; hunc iterum alius, cui eadem sors obtingit: sicq; deinceps marini fluctus se mutuo excipiunt & littori allisi franguntur. Similis ratio nobiscũ est, qui velut vndæ inflati sumus: vel propter iuuentutem, vel propter laterum firmitatem, vel propter formæ pulchritudinem, vel propter eruditionem, vel propter honores, vel propter diuitias: sed vnus propellit alterum, vnus post alium ad littus mortis summa cum festinatione properat, hic vnusquisque frãgitur, hic omnis ipsius inflatio detumescit & in ni-

nihilum redit, hic vnus alium excipit. Pater præcedit, alliditur ac frangitur ad littus mortis: sequitur filius, itidem frangitur eodem in littore, & collocatur supra eum in sepulchro; excipit hunc alter filius; alliditur etiam ad litus hoc, & sociatur eis in sepulchro: sicq; mutuo se homines sequuntur, alliduntur, franguntur, vsque ad mundi terminum.

Vnde Eucherius Lugdunensis. *Velut ex alto vndarum iactus, alijs atque alijs superuenientibus in littoris extrema frangitur: ita interminatum mortis succidine alliduntur ætates.* Rectè ergo mulier illa Thecuitis. *Et sicut aquæ dilabimur super terram.* *Eucherius Lugdunēsis.*

Sed loquamur etiam paulisper de aquis supra terram effusis: & sunt nonnullæ aquæ, quæ à pluuijs & imbribus collectæ, magnos efficiūt torrētes, atq; in mare influunt, ibiqúe terminū habent: Sunt & aliæ, quæ ab occultis terrarum, & montium venis scaturientes ingentia flumina implent, indeqúe in mare delapsa, finē suum consequuntur: Mare etenim est omnium fluuiorum & torrentium finis & receptaculū. Postquam in mare defluxerint, non comparent amplius: sicuti nec comparebant antequam ab imbribus collecti fuissent, vel è venis terrę egredi ac scaturire cæpissent. Tales sunt & homines: instar torrentium & fluminum velociter ad mare mortis defluūt, vt ibi finē accipiant, hoc mare mortis est omnium hominum receptaculū. Huc posteaquā ingressi fuerint, non aliter latent, atque prius cùm necdum in hanc lucem editi fuissent. *Alia similitudine id demonstratur.*

Testatur idem S. Augustinus luculētis hisce verbis. *Quomodo*, inquit *fluuius, repentè collectus* *S. August. in*

Psalmos. *ctus de pluuia, & de guttis imbrium, it in mare; nec apparet: quia neque apparebat antequam de pluuia colligeretur: sic & genus humanum de occultis colligitur, & profluit in mortem: rursus in occultum vergit*. Cùm igitur omnes ad amarum mortis mare properemus, conueniētissime de nobis dictum est. *Et sicut aquæ dilabimur super terram.* Amplius.

Alia item similitudine. Aquæ cœlestes siue pluuiæ atque imbres terram irrigantes breuissimo temporis spatio, à terra ita absorbentur, vt vltra conspici nequeant. Et quis non videt his aquis homines similes esse? qui non dudum in terris manēt, quin absorbeantur ab ea, & in sepulchris recondantur, ita vt amplius conspicui nō sint. Quare verum est. *Et sicut aquæ dilabimur super terram.* Præterea.

Alia item similitudine. Aquis assimilamur: quod diligenter nobis notandum est: quia sicut aquæ à primis venis vnde scaturiunt, & per quas transeunt, bonitatem suam vel malitiam, sortiuntur; adeò vt si illæ probæ sint, & aqua inde scaturiens, bona: sin vitiatæ & tetro aliquo odore infectæ, & aqua talis futura sit. Sic & vita nostra, est vena siue terra per quam transimus: hæc si bona fuerit in morte, quando præsentem hác vitam derelicturi sumus, & nos boni erimus: sin vitijs & sceleribus infecta maculataqúe, & nos itidem scelerati & improbi erimus. Non auditis S. Augustinum idem apertissimis verbis testificantem? *Non potest*, inquit, *malè mori, qui benè vixerit: & vix benè moritur qui malè vixerit.* Et Philosophum in lib. Ethicorum. *Qualis*, ait, *vnusquisque est, talis sibi debetur finis.* Quare spiritus sanctus, vt ad huius finis nostri

S. August. in lib. de vita Christiana.

Aristoteles.

boni

boni vel mali agnitionem nos perduceret, per os mulieris Thecuitis rectè ait. *Et sicut aqua dilabimur super terram.* Verumenimuerò quia hactenus nonnulla super his verbis quæ vos terrere possent commentatus sum: adducam modo & aliam expositionem quæ vobis solatio esse queat. Attendite.

Quando vas aliquod aqua plenum circa eundem fontem, ė quo eadē aqua hausta fuerat frangitur, & aqua effunditur, non perit, neque interit omnino: sed fonti suo rursum iungitur, atque iterum vt ante hauriri potest. Huic vasi similis est homo, qui in morte, propè fontem, vnde processit, id est terram, frangitur: ad hunc fontem quando animam exhalat, reuertitur; Sed non terreatur: non enim perit, neque interit omnino: sed quādo is qui à principio ipsū de terra formauit, placuerit, denuo illum ex hoc fonte eruet, atque ad vitam reducet. Quod Olympiodorus in cōmentarijs suis in Ecclesiastē his verbis pulchrè describit. *Hydria, inquit, iuxta fontem attrita, aqua non perit, nec euanescit, sed in fontem suum reuertitur; rursusq́; cum quis voluerit, aquā poterit haurire de fonte. Ita corpus nostrum in fontem suum (terram videlicet ipsam) redit: quando autem author ille voluerit, qui ab initio illud plasmauit, rursus haurietur.* Vt præclarum hoc mysterium sacræ literæ adumbrarent, inquiunt. *Et sicut aquæ dilabimur super terram.* Ne igitur, ô Christiane, terrearis & exanimeris, si piè ex hac vita emigras: non enim interis atque euanescis, sed fontem, atq; scaturiginem vnde processisti, ingrederis: is autem, qui te semel inde eduxit, iterū, quādo ei collibitum fue-

Elegans similitudo.

Olympiodorus.

fuerit,multò maiori cũ gloria & claritate,
de te educet. Quid modo auditores, de my
rijs,in hac diuinorũ librorũ sẽtẽtia inclusis
detur? an nõ magna & eximia sũt. Sed cócl
dã hanc ratiocinationẽ si prius mysticũ quẽ
morẽ nostræ Italiæ, qui mortalitatis nost
cõditionẽ examussim exprimit, declarauer

Vita nostra similis est saltationibus Italicis quæ accensis cum facibus aguntur.

Nostisne auditores qualis sit vita nostra? si
milis est choreis illis, quæ cum facibus pe
guntur, quarum tẽpore Bacchanaliorum
alijs chorearum diebus in multis Italiæ lo
vsus est. Conueniunt plures viri ac fœmi
sub vesperam in spaciosam atque hisce ch
reis destinatam aulam: occupant omnia
cumquaq; scamna & sedilia suo ordine. O
nibus congregatis surgit vnus, & instrum
torum musicorum melodiã sequens, atq
culam accensam manu gestans, choreas au
catur; postquam aliquamdiu solus chor
duxit, alteri porrigit faculam & residet. T
alter surgens choreas cum facula contin
quas cum ipse aliquanto temporis spatio pr
traxit, alteri similiter faculam tradens resid
idq́ue sic in orbem continuatur, quousq
singuli per ordinem choreas duxerint. Sal
tione hoc ritu peracta, surgunt omnes, atq
singuli ad domicilia sua discedunt.

O præclarum vitæ nostræ symbolum. Fa
accensa est vita præsens. Quando lucem ha
ingredimur, introimus in hasce choreas si
saltationes accensa cum facula. Hîc autem
deas patrem illum aliquamdiu choreas d
centem, dum currit, proficiscitur, negotiat
in spatiosa huius mundi aula; qui paulò p
fessum vadit, quando nimirũ vita functus

sepulchro collocatur: prius tamen relinquit faculam accensam alteri, id est vitam filio; qui cum etiam aliquanto temporis spatio saltationem hanc produxerit, & ipse residet, ac patri in sepulchro sociatur; dimittens faculã, id est, vitam filijs suis, vt & ipsi saltationem hanc aliquandiu continuent, tandem'q; ad sepulchri quietam sedem veniant. Sicqúe alij alios in orbem sequuntur, quousque singuli suo ordine saltationẽ hanc, in mundi termino peregerint: tum verò vniuersi è suis sedibus ac locis, id est, sepulchris surgent, & ad domicilia sua, id est, ad ædes illas quas sibi bonis, vel malis actionibus fabricauerint, se recipiẽt: & boni quidem ad cælestes mansiones, improbi verò ad infernas damnatorum sedes pergẽt. Iuxta illam B. Athanasij sententiam. *Qui bona gerunt, ibunt in vitam æternam; qui verò mala, in ignem æternum.* Quia igitur vnius vita alterius vitæ succedit, rectissimè ait mulier illa Thecuitis. *Et sicut aquæ dilabimur super terram.*

VII.

Hominum in habenda mortis memoria segnities.

MAgnam mihi parit admirationem hominum supina negligentia, ne dicam vesania; omni die, omni hora, omni momento vita nostra imminuitur: singulis penè horarum momentis mors aliquẽ ex hoc mundo eripit; nulli ætati, nulli sexui, nulli statui, nulli conditioni parcit: hominum nullam facit differẽtiam; & tamẽ ita parum aut omninò nihil his de rebus homines cogitant, quasi nunquam mortem essent oppetituri. *Quotidie*, ait S. Hieronymus, *morimur, quotidie commutamur, & tamen æternos nos esse credimus.* Hinc oritur illa vitæ nostræ dissolutio, & carnalium vitiorum

S. Hieron. in epist. ad Heliodorum.

rum

rum licentia. Hinc auaritiæ, ambitiones, proximi oppressiones. Hinc hominum dormitantia, quod mores suos non corrig[ant,] vitam ad virtutis præscriptum non instituan[t,] vt feliciter ac piè ex hac luce ad aliam migr[a]re possint. O socordiam, O segnitiem: quo[ti]die cernimus homines vita functos ad sepu[l]turã deferri, & tamen exiguam hæc in anim[is] nostris impressionem faciunt: statim namq[ue] huiusce rei memoriã amittimus, quasi m[or]tuum hunc nunquam conspexissemus. H[anc] nostrã negligentiam pulchrè ostendit somn[ium] illud Nabuchodonosoris de statua conn[...]

Declaratur hæc hominũ segnities figura Nabuchodonosori. Dan. 3.

Vidit namque rex Nabuchodonosor, [se]cundum quietẽ somnium quoddam siue vi[si]onẽ, quæ ipsum vehementer exterruit: se[d] vestigio totius visionis oblitus est: ideoq; co[n]gregatis sapiẽtibus & ariolis ait ad eos: *Vidi so[m]nium, & mente confusus, ignoro quid viderim; s[om]nium igitur & interpretationem indicate mihi.* [In] hac Nabuchodonosoris ignorãtia versam[ur] & nos. Videmus aliquando hominem diui[tii]s, honoribus & potentia summum, aureis & sericis indutum vestimentis, per vrbis compi[ta,] in asturcone, siue tolutario ęquo generosi[s]simo obequitantem. Videmus & alium insi[gni] forma, in optimo ętatis suæ flore, atque i[n] maxima vitæ suæ prosperitate, velis magnifi[]centiæ ac felicitatis explicatis gradientem. [...] venustam statuam. Dum ita mundo hoc [se] fruiturum, atque multis annis victurum spe[]rat, nec secum expendit, machinæ suæ pede[s] super quibus fundatus est, fictiles, atque e[x] fragili luto formatos esse: ecce mors impro[]uisa pedes eius, id est, corpus mortale, cõteri[t]

& vni-

& vniuersam maiestatem, hominis illius potentissimi: vniuersam pulchritudinẽ adolescẽtis illius speciosissimi ad terram prosternit; Paulò post igitur videmus eũ in feretro, multis cum lachrymis, & fletibus carorum, mœstis cantibus & accensis facibus ad sepulturã deferri, vel audimus eum subitò expirasse.

Tum verò pauefacti, nosipsos ingredimur, & de nostro similiter exitu cogitamus: & si nõ ore, corde certè dicimus. Eheu, hæccine est vitæ nostræ cõditio, nihil igitur aliud superest quam benè agere: nõ enim hic diu permanere licet, sed post breue forsitan tẽpus abeundũ & mihi erit. Sic igitur exterriti & salubri horrore ex alieno casu perfusi, nobiscum solicitè cogitamus de vita emẽdãda, agenda pœnitentia, corrigendis moribus, & nobismetipsis ad hominum piorum exemplum conformandis. Verum, quid fit? Defuncto terræ mãdato, & cãpanarum sonitu absoluto, ô nos stultos & mentis inopes: mortui & omnium bonorũ propositorum quæ conceperamus actutum obliuiscimur: ita vt verè de nobis dici possit. *Periit memoria eorum cum sonitu*: quia cum sonitu funeraliũ campanarum, mortis etiam ex animis nostris effluit memoria, & ad priorem vitam, & scelera multò etiã quam ante peiora perpetranda reuertimur. In quo, ô nostram peruersitatem, idẽ nobis accidit, quod pullis gallinaceis, à rapaci miluo raptis. Attendite elegantem hanc similitudinem.

Psalm. 9.

Inuenies forsitan in area aliqua ædium vrbanarum muris siue septibus cincta, plures pullos Gallinaceos, cum Gallina: qui glocitãdo teneras herbas, minuta grana, exiguos vermiculos,

Declaratur id eleganti similitudine.

miculos, & muscas, depascãtur. Cùm ecce ex
inopinatò rapax milluꝰ supernè aduolat, adũ-
cis vnguibus vnum abripit, in sublime tollit,
laniat, deuorat. Ex quo cęteri timidiores facti
diffugiunt, seseq; abdunt, alius inter ligna, &
paleas: alius in auijs foraminibus: alius sub a-
lis matris. Sed posteaquam aliquantisper ex
timore delituerunt, mali quod socio euenit
obliti, foras prodeũt, & iterum per areã hinc
inde vagãtur, victum vt ante, eadem cum vo-
luptate queritantes. Reuertitur interea rapax
auis ad solitam rapinam, aliumq; sublatum
lacerat, & deuorat, ipsi verò denuo fugam ca-
pescẽtes, sese eodem cũ timore abscondunt,
sed paulò post ad solitos cibos quærendos e-
grediuntur. Sicq; ipsi vagationem per aream:
miluus autem rapinam & dilaniationem tã-
diu continuant, quousq; omnes absumpti fu-
erint.

Ita & nos incauti & incircumspecti, per a-
reã voluptatum & delitiarum mundanarum
vagamur, vermiculos, herbulas, muscas, &
frumẽti grana cõquirẽtes, id est, res huiꝰ mũ-
di, quæ viles & parui momenti sunt, insecta-
mur: nihil interim de anima, de Deo, de rebus
cælestibus solliciti. Sed ecce de improuiso, ô
nos miseros, rapax superuenit miluꝰ, crudelis
videlicet mors: rapit fratrẽ, cognatum, ami-
cum socium, notũ fama vel aspectu, tollit eũ
ex hoc mundo, lacerat, deuorat vermium o-
pera in sepulchro. Eo tẽpore cùm aliquẽ ex
hac vita eripi videmus, aut vita functum esse
audimus, prorsus attoniti & horrore pleni, di-
cimus alter ad alterum; Heu talisne mortuus
est? Iesu. Iesu bone.

Itane ille tam potens? ille tam honoratus? ille tam opulentus? ille tam sapiens? ille tam iocundus & festiuus supremum vitæ diē confecit? Itane ille tam iuuenis, tam speciosus, tā breui tempore, quippe qui nobiscum hesterna die collocutus fuerit, animā efflauit? Heu quam cito commutata est, illa tam ingens potentia? tam excellens magnificentia? tam rara sapientia? Heu quam velociter trāsijt illa animi iucunditas, illa affabilitas, illa comitas, qua omnibus gratus erat? Heu quā properè euanuit, illa iuuentus, illa species, ille oris decor, qui paulò ante mundum nobilitabat? Nemo potest ambigere, homines reuera mori: neque id ludibrium siue iocum esse: video igitur necessarium esse, semetipsum ingredi, vitā corrigere, bonis actionibus incumbere. Intelligo me per hunc defunctū, qui in summo felicitatis suæ fastigio, in flore annorum suorum mortem obijt, admoneri, vt mortis assiduam habeam memoriam, atq; illius frequēti recordatione, ad vitę perfectionem, sanctimoniā & integritatē me, metipsum excitem: iuxta illud Iuuenalis.

Ipse iubet mortis te meminisse Deus,
Ipsa rapit iuuenes, prima florente iuuenta.

Dū in hisce cogitationibus, in hoc sācto timore, pijsq; propositis versamur, sępenumero velut pulli gallinacei, protectionis causa confugim⁹ sub alas piæ illius Matris quæ ait: *Quoties volui congregare vos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas.* Pergimus inquam, ad Christū cruci suffixum, brachijs pendentem expāsis, vt nos defendat & saluet: hic quærimus scelerū nostrorū indulgentiam: hic abscondimus

Matth. 23.

mus nos per meditationem & contemplat nem sub sancto crucis ligno; inter fragm spinarum & flagellorum: in foraminibus s ctissimorum vulnerũ. Verum quid euenit lapso vno vel altero ad summum die, obliu cimur piorum propositorum, elabitur è m moria mortis & defuncti recordatio; & r uertimur vt ante ad gaudẽdũ de rebus hu mũdanis, inanibus, abiectis, & homine ind nis. Redit interea mors, & alium ex cogna amicis, socijs, aut notis fama vel aspectu lit; & deinde iterũ aliũ; quousque paulat omnes rapuerit. Num late vos præclarum lud Ethnici cuiusdam sapientis dictum: O *nes*, inquit, *morti seruamur & nutrimur.*

Palladius.

Et quamuis quoties alicui vitam eripit, reamur, cõpungamur, ac salubri horrore cutiamur, nihilosecius exemplo mortis mali quod alteri euenit obliuiscimur: vnd fit vt nos etiã tandẽ, quando minimè cogi mus, mors adoriatur, & repentinò tollat; v Tibullus Poëta testatur. *Mors*, inquit,

Tibullus.

Imminet & tacito clam venit illa pede.

Verùm quòd maximè deplorãdum est, in uenit nos indispositos, & haudquaquã para tos: vnde fit, vt ô nos infelices, simul & corp vermiũ opera deuoret, & animã æternis ge hennæ ignibus cruciandã, Dæmonibus tra dat. O miserrimã conditionẽ nostrã, condit oni horũ pullorum longè inferiorem & inf liciorem. Quod enim hoc damnum illis acc dat, mirũ non est: quia rationes expertes sun nesciunt inter bonum & malum discernere pericula sua non intelligunt: si enim intellige rent, nunquam rapaci miluo se rapiendos, la

nian-

andos,ac deuorandos offerrent.

Vehementer autem admiratione dignum ſt,quod nos Chriſtiani,qui ratione & intelli- entia ducimur : qui duplici lumine,rationis idelicet ac fidei colluſtrati ſumus : qui inter onum & malum diſcernere nouimus : qui xplorata & cognita habemus noſtra pericu- quamuis quotidie aliquos vitam hãc deſe- reatq; ad aliam emigrare conſpiciamus,at- men tam ſtolidi & inſipientes ſimus, vt ex nprouiſo, & quod magis eſt imprӕparatos pacis mortis vnguibus nos abrũpi ſinamus, q; rectà, ô nos miſeros, ad Inferni clauſtra operemus. O peruerſam ignorãtiam,ô dia- licam cęcitatem,ô homines brutis animã- us ſtolidiores & inſipientiores. Miſericor- ſſime Deus, propter immenſam pietatem clementiam tuam, illumina tenebras no- ras:aufer à mẽtibus noſtris hãc ignorantiã t noſtram hanc ſegnitiem, heu nimis enor- nem,cognoſcentes,tanto diſcrimini,in ęter- am mortem corruendi noſmet ſubducere, tque illud totis viribus effugere ſtudeamus.

Chriſtianorum quorundam negligentia.

Verè beatus & fœlix eſt,qui antequam ve- iat rapax & crudelis hæc mors, identidem le illa cogitat : hic enim in omnibus actioni- us ſuis,diuinam maieſtatem offendere for- midabit,vana & tranſitoria hæc non appetet, omnibus inordinatis deſiderijs anteactæ vitę uæ interitum adferet, aut certè animo relu- ctabitur;ac demum cum timore,tremore ac ingenti reuerentia quaſi diuino cõſpectui in- ceſſanter aſſiſtẽs,viuet. Audite fratres S.Gre- gorium Papam: *Qui conſiderat*,inquit, *qualis e- rit in morte, ſemper pauidus erit in operatione,*

Beatus qui mortis ſæpè recordatur.

S Gregorius in moral.

nihil quod transit appetit, cunctis vitæ præterita desideriis contradicit, atque inde in oculis sui conditoris viuit.

Cęterùm quia mortis memoria hominibus admodum salutaris, tã facilè è mentibus nostris elabitur, etiamsi quotidie aliquos emori conspiciamus, sicq́ nobis accidit, quod Nabuchodonosoro regi, vt *mente confusi ignoremus quid viderimus*, operæ pretiũ mihi facturus videar, si veluti nouus Daniel eam in mentibus vestris quã profundissimè, quoad fieri potest, impressero; & latè fusèq́ de illius recordatione disseruero. Auscultate diligenter.

VIII.

Mortis memoria homini est vtilissima.

Dan. 2.

AIt Daniel ad Regem; Tu rex videbas statuam grandem & sublimem, ex auro, argento, ære, ferro & terra cõflatam, quæ in pedibus à lapide ex improuiso contrita, concidit, redactaq́ est quasi in fauillam ęstiuę areæ, quæ à vento dispersa sunt, nullusq́ locus inuentus est eis. Nota hîc Christiane, quod non locuturus sim tecum in tempore præterito *videbas*, sed in tempore præsenti: hoc pacto: *Tu vide statuam percussam à lapide, qui factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram.* Vide, id est, recordare illorum, qui ante te in mundo vixerunt, sicut & tu; qui à morte percussi, in terram lapsi contriti, in pulueres redacti, atq; in sepulchris, nunquam vltra quãdiu mundus steterit, compareturi, absconditi sunt. O quam magnam inde hauries vtilitatem si sæpenumerò defunctos à lapide hoc in terrã prostratos tibi proposueris. Non audis spiritum sanctum per os Sapiẽtis ad id te cohortantem? *Melius est*, inquit, *ire ad domum luctus, quam*

Eccles. 7.

am ad domum conuiuii: in illa enim finis cuncto-m admonetur hominum, & viuens cogitat quid turum sit. Quòd vero verius eſt: nam quan-cunque quis peruerſitatis & impietatis ſit, im exaudit in domo aliqua planctum qui ſuper mortuo, aut defūctum in feretro ia-tem conſpicit, fieri non poteſt, quin ſemet-ſum paulisper ingrediatur, peccatorem ſe ecognoſcat, & minimum ſuſpirans in cor-ſuo dicat. Heu, itane cunctis moriendum . Et quia mors in hoc defuncto proponit o-lis eius peccati fœditatem tanquam filiæ ab o natæ, vti S. Paulus teſtatur; *Per peccatum,* quit, *Mors intrauit in mundum*: fieri nō poteſt, in ſaltem intra ſemetipſum ſic argumen-ur & dicat. Rom. 5.

Si mors peccati & iniquitatis filia, tam tur-, horrida, & deformis eſt, vti patet ex defū-huius ſpecie; quantò turpius, horribilius, deformius debebit eſſe iniquitas mater ei⁹ peccatum pater eius, cùm filij parentibus rè ſimillimi eſſe ſoleant? Neq; hic ſiſtit, ſed d aliam pergit ratiocinationem & dicit . Si nors, quæ nobis exhibet imaginem atq; effi-iem peccati, tanquam filiæ ipſius, tam turpē ffecit hunc hominem, illumq; forma & or-namentis omnibus ſpoliauit: faciem namq; llius pallidam & macilentam reddidit, ocu-os profundauit, nares denigrauit, os rupit & anguine fœdauit: quāto magis peccatum de-ormem & inquinatam faciet animam pecca-oris à ſe enectam? Ecce, auditores, quomodo peccator, qui nō cogitabat ſe aliquando mo-riturum, neq; grauitatem & detrimenta pec-cati agnoſcebat, per planctum, quē audit fie-ri ſu-

Quā ſalubres ex defuncti aſpectu ratiocinationes ſumi poſſint.

ri super mortuo, aut per defunctũ, cuius horridam speciẽ intuetur, ad propriam mortẽ cõsiderandam, ad peccati fœditatem, & damna quæ animæ adfert intelligẽda, adducitur quod antea confusus à peruersa mente sua haudquaquam agnoscebat. Ex hac autẽ cognitione non rarò enascitur dolor peccati, emendatio vitæ, & pœnitentia iniquitatem interimens. Audite S. Chrysostomum id apertè verbis docentem. *A culpa, inquit, natæ sunt duæ filiæ, tristitia & mors: quæ duæ filiæ, hanc pessimam matrem destruunt.*

S. Chrysostomus.

Tristitia & mors peccati tineæ sunt.

Faciũt hæ duæ filiæ tristitia & mors, non aliter ac tinea, quæ à ligno enascitur, & post idem illud lignum à quo enata fuerat, erodit & absumit. Quia hę ab iniquitate siue peccato proficiscuntur, & postea destruunt & enecant peccatum. Cùm enim homo propter peccati mortis causam, tristitia & męrore salubri perfunditur, peccati odium & detestationem facillimè concipit: ac deinde per pænitentiam necem illi adfert. Quod S. Paulus considerãs ait ad Corinthios. *Ea quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.*

2. Cor 7.

Videtis igitur, quomodo tristitia è peccato enata, peccatũ interimat. Quod autem mors filia eius, itidem necem illi adferat, ambigi nequit. Nam memoria illius impensè prodest ad peccatum fugiendum, detestandum, puniendum & interimendum per sanctã pænitentiam & bonas actiones. Nõ auditis S. Augustinum id affirmantem? *Nihil, inquit, sic reuocat hominem à peccato; quemadmodum mortis meditatio.* Ideoq; rectissimè *S.* Chrysostomus ait tristitiam & mortem destruere atque interimere.

Mortis memoria peccatum enecat.

August. in 2. lib. cõtra Manich.

nere matrem suam iniquitatem: *quæ duæ filiæ,* n quit, *hanc peßimam matrem destruunt*. Sed ergamus vlterius.

Perspicuum est naturalium rerum inuestigatoribus, filios viperę matri, cuius beneficio generantur, vitam adimere. Quid mirum igitur, quod duæ hæ viperæ, tristitia & mors iniquitaté matrē suam & peccatum patrem suū necidēt? Si ex veneno à vipera sumpto fit theriaca, quę cōtra viperarū & aliorū venenatorū animaliū morsus efficacissimū est antidotū; quid mirū ꝙ ex duabus hisce filiabus fiat theriaca cōtra peccatū & venenatos illiꝰ morsus alexi pharmacū? Lactātius Firmianus affirmat, cineres viperæ cōbustæ, præstātissimū esse aduersus morsiones illius remediū. Ecquid autem censetis esse peccatum? quid iniquitaté? Est venenatissima vipera, quę mortiferis morsibus suis animas nostras enecat. An non sunt pestilentissimæ viperæ, sensualitas, voluptas, ambitio, superbia, inanis gloria, auaritia, ira, inuidia, acedia, gula, & cætera peccata omnia, quæ lethalia vulnera animis nostris infligunt? Quapropter, fratres, si ab his morsibus sanari vultis, ecce vobis præsentissimum remedium.

Lactantius in lib. de ira Dei.

Peccatum est venenatissima vipera.

Assumite cineres alterius viperæ: id est, proponite vobis ob oculos, cineres alicuius defuncti in cinerē redacti, qui eisdē peccatis in quibus vos modo viuitis, inuolutus extitit. O lasciue iuuenis, vt saneris à morsibus scelerum tuorum, accipe cineres viperæ: id est, recordare cinerū alterius iuuenis mortui in sepulchro iacentis, qui in eadem lasciuia, qua tu viuis, vitam transegit. O mulier sensuum deli-

Cinerum recordatio præstantissimum aduersus peccatum antidotum.

delitijs ac mundi vanitatibus dedita, vt cu-
ris à venenatis morsibus peccatorum tuo-
assume cineres viperæ, id est, reminiscere
nerum & sepulchri alterius fæminæ, quæ vi-
uens, eisdē, quibus tu, vitijs implicata erat.
ambitiose, ô superbe, vt à pestiferis morsib-
scelerum tuorum medelam cōsequaris, sp-
ge super te cineres viperæ, per cōtinuam me-
moriam cinerum & sepulchri alicuius defu-
cti, qui in vita manens, eodem ambitionis, su-
perbiæ, atque inanis gloriæ vitio laborab-
quo & tu. O auare, ô iracunde, ô inuide, ô gu-
lose, ô acediose, si à morsibus peccatorum tu-
am sanitatem adipisci optas, fac similiter. Re-
dige tibi in memoriam defunctum aliquē ti-
bi similem, iam terrę mandatum & in ciner-
reductum. Perpende tecum, quo animę ho-
amatorum & sectatorum mundi, emigraue-
rint. Audi S. Bernardū, qui ad hanc memori-
am & cinerum super te aspersionem luculen-
tis verbis adhortatur. *Attēde*, inquit, *vbi sunt a-
matores mundi, qui ante pauca tempore nobiscū e-
rāt, & quid fuerunt. Homines fuerūt, sicut & tu,
cōmederunt, & biberūt: riserunt, duxerunt in bonis
dies suos, & in puncto ad inferna descenderūt.
Hic caro eorum vermibus, illic anima eorū ignibus
deputatur sempiternis.*

S. Bernard. in medit.

O sanctam memoriam: ô vtilem cinerum
aspersionem. Si sic ageretis, certissimè à pec-
catorum vestrorū morsibus curaremini. *Vi-
dete*, igitur, *statuam percussam à lapide, qui factus
est mons magnus & impleuit vniuersam terram.*
Aspicite hominē in sepulchro iacentem, co-
gitate mortē, quæ illum prostrauit: huius sæ-
pè recordamini, hanc memoria tenete; cōsi-
derate

derate quo anima illius abierit, sic enim ad obligationem vestram perpendendã excitabimini, corã diuina maiestate vos humiliabitis: scelera vestra deseretis, & vitam quã ante emendatiorem, viuetis, quia *melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij.*

Cùm ad conuiuia & epulas pergitis, quam inde animæ vestræ capitis vtilitatem? Nullã certè, sed ingentia detrimenta: illic enim nihil nisi delitiæ ac voluptates, quæ aliud non sunt quam vitiorum illicia ac seminaria. Illic Dei, vestri ipsorum, & fælicissimę mortis memoriæ obliuiscimini. *Cor sapientum,* ait Sapiens, *vbi tristitia est. Cor stultorum vbi lætitia.* *Conuiuiorũ detrimenta.* *Eccles. 7.*

Quam præclarè ac sapienter Aegyptij. Qui (vti refert Herodotus) vt in epulis conseruarent honestatem, modestiam, temperantiam: & ne essent inter delitias dissoluti, & in omnem vitiorum licentiam effusi, statuerunt, vt in principio conuiuij statua quædam lignea, coloris ossei mortis speciẽ accuratissimę exprimens circumgestaretur: hęc autem quamdiu durarent epulæ, omnium oculis ibidem manebat exposita; illiꝰ verò lator, clara voce conuiuas hisce verbis alloquebatur. O vos, quotquot ad epulas hasce cõuenistis, vt cibis lautioribus & exquisitioribus vos expleatis, imaginem hanc attentè respicite, ac è memoria nunquã deponentes, quòd huic aliquãdo similes futuri sitis, comedite, bibite, lætamini & fruimini his epulis. *Præclarus Aegyptiorum mos.*

Hic erat primus cibus, quo reficiebantur: hoc sol & condimentum, quos cibos suos cõdiebãt. Quid autem hoc aliud erat, quam dicere: *Videte statuam percussam à lapide.* O præ-

clarũm ſtratagema, quod vos, AEgyptij, idcirco adinueniſtis, vt inter epulas temperantiam ac modeſtiam ſectaremini.

Videtis modò auditores, quomodo homines illi ſapiẽtiſſimi, quamuis fidei lumine deſtituti, vt omnes diſſolutiones & flagitia, quæ in conuiuijs dominari ſolent, vitarent, & honeſtè, temperatè, ac grauiter in tantis delitijs conuerſarentur, nullũ conuenientius mediũ reperire potuerunt, quam mortis memoriã.

Meritò igitur ô Chriſtiani, nos pudeat pigeatq́; qui inter epulas, huius memoriæ prorſus obliuiſcimur, ideoq́; in ijs fræna vitijs laxamus.

O diabolicas conuiuiorũ delitias. O fælicẽ mortis recordationem, *Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij*. Quapropter ô Chriſtiane, quoties conuiuijs, delitijs, voluptatibus interes, *Vide ſtatuam percuſſam à lapide*, ſic enim modeſtiæ ac temperantiæ non obliuiſceris, neque Deum & animam tuam quicquam offendes. Proſequamur vlterius.

Obſtupendum naturæ miraculum.

Solinus in lib. de mirabilibus mũdi, refert magnum quoddã naturæ miraculum, videlicet, duos reperiri fõtes, naturæ omnino inter ſe contrariæ: quorum ex vno qui biberit, nimio riſu emoritur; ex altero ſi biberit, riſus ceſſat, atq; ab imminenti mortis periculo eximitur. Quandoquidẽ ex reb⁹ naturalib⁹ myſteria ſpiritualia eruere licitũ eſt, en vobis duos hoſce fõtes demõſtro. Vnus eſt mortis obliuio: alter mortis memoria. Ex priori, Chriſtiane, ſi bibas, in periculoſã diſſolutionem ac vitæ licentiã incidis: nulla regeris prudentia, voluptatibus, iocis, cãtibus, riſui ac vaniſſimis

ludis

Iudiste totum tradis: sicq; tandē æterna morte morieris. O fōtem lethalem, qui ficta dulcedine amaram mortem infligit. Si autem ex altero bibas, ô te fęlicem, delitias, voluptates, risus, æternæ mortis semitas deseris: quid Deus à te requirat cogitas, vitam corrigis & ad virtutis præscriptum instituis: voluptates in pænitentiam, iocos in orationem, risus & cantica in lamentū, delitias in ieiunia, crapulas & ebrietatem in eleemosynas conuertis.

Verum est igitur, *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij.* Quapropter, *Vide statuam percussam à lapide.* O quam facili negotio risus, melodiæ, voluptates, hominem auertunt, & ad lapsum impellunt. Attendite.

Mundi voluptates & gaudia quā facilè hominis mentem peruertant, docetur in figura Nabuchodonosor.

Veniat vobis in mentē, auditores, quomodo Rex Nabuchodonosor cùm populū Israeliticum, ad impiam illam idololatriam & summā impietatem, ad adorādum videlicet auream statuam quam cōstituerat, vellet inducere; nihil conuenientius ad mentem ipsis eripiēdam, vt quid agerent haudquaquā aduerterent, esse iudicauerit, quàm instrumentorum musicorum dulcem harmoniā. Ideoque decreuit, vt antequā populi ad adorationem accederēt, prius varijs generibus instrumentorum musicorum omnia personarent, ait enim. *Cùm audieritis sonitum tubæ & fistulæ, & citharæ, & sarabucæ & psalterij, & symphoniæ, & vniuersi generis musicorum, cadentes adorate statuam auream.* (*Dan. 3.*) Exploratum namque habebat, nihil ita valere ad hominum iudicia peruertenda, quam mundi voluptates & gaudia. Quamobrē musica & instrumentorum harmonia, illos allicere, atque à probis cogitatio-

tationibus abstrahere volebat, vt suauitate hac, veluti veneficio aliquo dementati, grauissimum idololatriæ scelus secum non perpenderent, & statuam liberè, sine vllo conscientiæ remorsu adorarent.

Aduertitis modò, ad quam impium ac sceleratum facinus, idololatriam videlicet, delitiæ ac mundi voluptatis nos perducũt. Quare, *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum sit.* In domo mortui, siue illa sit sepulchrum, siue mansio in qua mortuus deploratur, homo finis sui & finis omnium hominum reminiscitur. Perpẽdit quid de se, cùm ex vita hac emigrauerit, futurum sit; quale post mortẽ suã, habitaculum sortiturus, quidq; cum ante iustissimum ac tremendum Dei tribunal, de actionibus suis rationem redditurus steterit, responsurus sit, & dicit intra se. *Quid sum miser tunc dicturus. quem patronum rogaturus, cum vix iustus est securus?* Atque ex hac consideratione concipit mundi atque omniũ illius voluptatum quę omnium maximorum scelerũ causę sunt contemptum, & vt benè mori possit vitã ac mores suos componere, atque ad virtutem conformare incipit.

Mortis memoria optimũ cõtra has voluptates remedium.

Intellexit hoc S. Hieronymus, qui ad Heliodorum scribens, sic ait. *Nihil æquè tibi proficit ad temperantiam omnium rerum, quàm frequens cogitatio breuis æui, & huius incerti: quicquid facis, respice mortem.* Quapropter, ô Christiani. *Videte statuam percussam à lapide.*

IX.

IX.

NOn retinetis memoria, quomodo magnanimis Dauid cum superbissimo Goliath Philistæo congrediens, nullis ad eum interimendum, quam proprijs eiusdem Philistei armis vsus fuerit; & quomodo eadem contra Regem Saul bello decertaturus sibi dari poposcerit? Veniens enim ad Achimelech Sacerdotem dixit ap eum; *si habes hic ad manum hastam aut gladium da mihi.* Cui Sacerdos. *Ecce hic gladius Goliath Philistæi, quem percußisti.* Et Dauid. *Non est huic alter similis, da mihi eum.* Singulari mysterio non caret, quod strenuus hic bellator, cum Goliath gigante manum cõserturus, arma Saulis respuerit cum Saule verò prælium initurus, gladium Goliath sibi dari postulauerit. Ex quo liquet, eum ijsdem armis contra Goliat gigantem, & contra Saulẽ regem vsum fuisse. Eximium sanè hic recõditum latet mysterium. Attendite.

Peccatũ & mundus per mortis recordationem superantur.

1. Reg. 21.

Declaratur id eleganti figura.

Quisque nostrum figuratur in hoc Dauide. Profligãdi enim sunt vnicuique nostrum duo potentissimi hostes, quorum vnus gigas, alter rex: Goliath nimirum, & Saul: quorum ille peccati, hic mundi figuram tenet. Gladius gigantis videlicet peccadi, est mors.

O gladium bicipitem & acutum. O remedium ad eundem gigantem, peccatũ videlicet deuincendum efficacissimum. Fit hoc quãdo eam assiduò in mente circumferimus, quãdo illius frequentissimè recordamur. Non auditis Spiritum sanctum id contestantem? *Memorare*, inquit, *nouißima tua, & in æternum non peccabis.* Eodem gladio Regem, id est, mundum profligamus. Quia considerando quod breui mor-

Eccl. 7.

mortem oppetituri, & omnia quæ in mundo sunt relicturi simus, magnificentiam, fastum, & vanitates illius aspernamur. Nã vti S. Hieronymus ait: *Facilè contemnit omnia qui semper cogitat se esse moriturum.* Et quia nullum reperitur in hac vita præsidium potentius, neque vllum antidotum efficacius cõtra peccatum & mundi vanitatem, quam mortis memoria, idcirco dicit Dauid: *Non est huic alter similis, da mihi eum.*

S. Hieron. in epistola ad Paulum.

Arripite, Christiani, gladium hunc acutissimum & ancipitem, quia *non est alter huic similis*: nam *melius est ire ad domum luctus quam ad domum conuiuij*. Quandoquidem ergo hæc morti memoria tantis nos cumulat beneficijs, ego veluti nouus Daniel, vnumquemq; vestrûm verbis eiusdem Danielis paululum commutatis alloquor & aio: *Videte statuam percussam à lapide.* Sed transeundum mihi est ad alia eximia beneficia, quæ ex sancta hac mortis memoria nobis proueniunt, atque de illis disserendum.

Qui mortis sæpè recordatur, Mundi, Carnis & Diaboli iuratissimorum humani generis hostium fallacias nõ difficulter agnoscit, qui vt nos circumueniant, frequenter vnum pro alio nobis obtrudunt.

Retinetis credo memoria (vt alium sacræ scripturæ locum, cõsideratione dignissimum vobis explicem,) astutiam illam, qua Propheta Daniel vsus est, ad cognoscendas & Regi patefaciendas falsorum Belis sacerdotum artes ac fraudes, qui populo persuaserãt à Belis idolo, vniuersam illam cibi potusq; præparationem absumi, quam ipsi nocturnis horis, cũ

Mortis memoria peccata & mũdi fraudes detegit.
Dan. 14.

vxori-

vxoribus & liberis deuorabant? Notum est enim, quomodo ex iussione Regis sub vesperam in templo coram idolo Belis, splendida & exquisitis epulis vinoq; præstanti refertissima mēsa, in templo poni cōsueuerit, & quomodo postea templi ostijs obfirmatis, falsi idolorum sacerdotes nocte cōcubia, per clādestinum introitum ingressi omnia abligurire soliti fuerint, atque asserere Belem escas illas, quas ipsi deuorauerant, absumpsisse: sicque alijs persuadebant aliquid, quod falsum erat. Sed Daniel, vt hasce fraudes illorum Regi detegeret, quodā vespere cùm mensa præparata ac ritè coram idolo disposita fuisset, clanculum sparsit cineres, per totum templi pauimentum. Sub noctē falsi ministri vt soliti erant, per clandestina ostia ingressi, cūcta absumpserunt; sed inter ambulandum, vestigia pedum suorum cineribus impressa reliquerunt: quorū indicio proditi, atq; à Rege postera die, fraus & malitia eorū agnita fuit, qui grauiter in eos postmodum animaduertit. *Illustratur id eleganti figura.*

O quā præclara sub hisce gestis Sacramēta latent, quæ modo vobis detegam. Notate. Idolum Bel, figuram peccati gerit. Falsi sacerdotes ac ministri, qui ei inseruiunt & sacrificia offerunt sunt: Mundus, Caro, & Diabolus, qui ministrant & seruiūt peccato, quoniam mille peccandi occasiones quotidie nobis offerunt. Templum sumus nos. *Templum Dei sanctum*, ait S. Paulus, *quod estis vos*: Quādo lethalibus peccatis implicati sumus ex veri Dei tēplo, falsi Belis fanum efficimur. Tum enim super altari cordis nostri, idolum peccati erigimus. Ministri eius, Mūdus videlicet, caro & Dia- *2.Cor. 6.*

Diabolus, vt nos in fraudē inducant, persua-dent nobis Belem manducare; id est, peccata esse delectationis, gaudij, voluptatis. Persua-dent etiam nobis delitias, vanitates, & omnia hæc transitoria esse cibū qui nos possit satia-re: cùm tamen nō noster sed illorum, quo ip-si cōtinuò fruuntur, cibus sit. Res enim tran-sitoriæ mundi sunt; quia illi manent. Delitiæ carnis sunt, quia istis gaudet. Vanitates cæte-ræ, diaboli sunt, quia in istis mirū in modum sibi placet.

Iam verò Christiani, cupitisne fraudes & fallacias horum falsorum ministrorū agno-cere? Spargite cineres supra templi pauimen-tum, id est, supra vosmetipsos & supra corpus vestrum. Mementote, inquam, vos esse mori-turos, & corpus in cinerē redigendum esse: tum enim clarissimè cognoscetis ipsorum fallaci-as ex vestigijs eorum, & falsa esse omnia quæ pollicentur.

Primò namq; intelligetis, in morte omnia, diuitias, honores, imperia mundi, magno cum animi cruciatu relinquēda, & de illorum bo-na vel mala administratione seuerissimam ra-tionem reddendam esse.

Secundo perspicietis, carnē cum omnibus delitijs & voluptatibus demum escam vermi-um futuram, in pus, fœtorem, & cineres redi-gendam, atq; de vita malè vel benè acta, rati-onem à nobis repetendam esse. Tertiò cerne-tis, oēs alias vanitates, quas diabolus suggerit, nihil nisi fumum & vmbram esse. En si sæpè recordemini quod in cineres conuertendi si-tis, quomodo inde clarissimè possitis intelli-gere falsorum sacerdotum ac ministrorum i-

doli

oli Belis, id est, peccati fraudes & fallacias, idete, igitur, *statuam percussam à lapide.*

X.

O quam diligenter hisce cineribus asperge- bat sese S. Iob, quando ait: *Solum mihi su- erest sepulchrum.* Quod perinde est ac si vir il- e ditissimus ac potentissimus dixisset: Ex om- ibus facultatibus & diuitijs, ex ingentibus sumptuosis quas extruxi ædificijs & domi- ilijs, nihil mihi amplius remanebit quam Se- ulchrum. *Solum mihi superest sepulchrum.* Hoc rit pallatium, hæc aula, hic lectus, hæc posses- o, hæ diuitiæ meæ. *Solum mihi superest sepul- rum.* *Iob. 17.*

Solum & vnicum, Auditores, sepulchrum erè potest appellari nostrum, non cæteræ uius mundi possessiones: quia illud semper rit nostrum, non hæ. *Sepulchrum solum verè potest dici nostrum.*

Cùm enim de possessionibus loquimur, di- imus rectè in tempore præterito, hortus ille, omus illa, pallatium illud, possessio illa, ca- trum illud, ciuitas illa, Regnũ illud fuit Fran- cisci, Petri, Ioannis, Pauli, Antonij, si mortem obierunt: non autem in tempore præsenti, est illius. Sed cùm de sepulchro loquimur, non dicimus, fuit talis, sed siue viuat, siue mortuus fit, semper dicimus: hoc sepulchrum est Fran- cisci, Petri, Ioannis, Pauli, Antonij. Quia illud est proprius locus eius, vbi semper futurus est, vsque ad extremum Iudicij diem. Cùm igi- tur sepulchrum propriè nostrum sit, sapienter ait S. Iob. *Solum mihi superest sepulchrum.* O verè fœlicem, qui cum sancto hoc Viro hisce cine- ribus, mortis videlicet & sepulchri assidua recordatione, sese conspergit. Quapropter,

Christiane, *Vide statuam percussam à lapide.*

Nemo ignorat, sepulchrum alio nomi vocari monumentum? Et quid est monum tum, si nomenclaturam nominis eius respi mus, aliud quam *monens mentem?* Admonet nim hominem eorum, quæ illi post hanc v euentura sunt. O nobiles. O Domini, me vestræ imprimite ritum illum, quē in coro tione Imperatorū adhibere, olim moris f

Præclarus mos veterū.

Ad Imperatorem, in augustissimo thro residentem, nobilium magna frequentia patum, corona imperiali iam coronandum sacro oleo inungēdū, accedebat lapicidq dam, ferens in manu diuersas marmorum lapidum species, atq; illum hisce verbis a quebatur: Eligat sibi inuictissima Maie tua, ex hisce lapidibus, quem voluerit, ex q sepulchrum tibi construatur. O præclar admonitionem, Principibus maximè viris vnicuique nostrum semper in mente hab dā. His enim verbis Imperatorē admone vt in tanta gloria recordaretur se mortal esse, & ex amplissimo imperio, nihil sibi a plius post mortem superfuturum, quā sepu chrum, quod verè ac propriè illius est.

Insign e S. Io onnis Elf- mosyijeeau. mnrcta

Magnus ille Alexandriæ ciuitatis Episc pus, S. Ioannes Eleemosynarius, in præcipu solennitatibus, quando pontificali cathedr splendidis ornamentis indutus, & clero a infinito populo circūdatus, vt magnus pat ac pastor, insidebat, cuidā ex ministris suis, officij dederat, vt his verbis se alloqueretur.

Monumentum tuum, O Domine, in hodiern vsque diem imperfectum est: Iube ergo vt aliqua do iam perficiatur. Incertū enim est, qua hora mo ven

entura sit. En quomodo vir sanctissimus et-
m in maxima gloria & maiestate sua, ad per
etuam habitationem suam, id est, sepulchrũ,
mper respiciebat, vt cum S. Iob dicere pos-
t: *Solum mihi superest sepulchrum.*

O homo superbe, ô mulier arrogãs & ela-
, retine hæc assiduè in memoria quæ modo
cturus sum, & de tuis vanitatibus pudore
ffundere, atque de imminentibus tibi mise-
is plora. Nosti, quomodo Pauo animal su-
rbissimũ, pennas suas vario colore pictas & *Elegans similitudo.*
nustatas, explicare, atq; in orbem pulchro
dine disponere consueuerit: Has inaniter
tentat, in his gaudet atq; sibi mirum in mo-
m placet. Quando autem deinde pedes su-
respicit, atque illos turpes, nigros ac defor-
es, atque pennarum pulchritudini non re-
ondẽtes aduertit, mox alas demittit, pennas
uoluit, & mæstam atque lachrymabilem à
vocem emittit. Ita & tibi ô homo qui elatos
iritus geris, & Pauone gloriosior es facien-
um est: Quãdo oculos conuertisti ad scien-
iam, ad opes, ad honores, quibus alijs pręcel-
is: quando intuitus es pulchritudinem, fastũ,
iliasque vanitates & ostentationes, quibus te
veluti plumis quibusdam circumdas, quiq́ue
te ad hanc superbiam adigunt, vt tibi Rex ali-
quis esse videaris. Tũ deflecte paulisper ocu-
los mentemq; ad pedes tuos: sic enim defor-
mitatem tuam agnosces. *Sortes eius*, ait scrip- *Thren. 1.*
tura, *in pedibus eius*. Per pedes finis accipitur:
quia sunt totius corporis extremitas & quasi
finis. Considera igitur finem tuum, id est,
mortẽ, sepulchrum deforme, fætidum, pure
ac sanie oppletum, hic est enim omnium ho-

minum finis. Quam tunc lachrymabiles v-
ces, quam pios gemitus, quam intima ex c-
de suspiria, propter scelerum tuorum pœni-
tiam, ad cælum emittes: & de omni vani-
atque ostētatione tua dices. O me infœlice
Solum mihi superest sepulchrum. Quamobrem
Christiane, *vide statuam percussam à lapide.* S-
pergamus ad cætera, quæ de vtilissima
mortis memoria dicenda restant.

Exhortatio ad principes viros.

O nobiles, ô diuites, ô potentes, qui v-
gemmæ inter cæteros homines lucetis: q-
vobis factu opus est, ne amittatis drach-
splendoris ac magnificētiæ vestræ, sed cl-
adhuc virtutibus & sancto timore resplē-
tis? En quid vos facere oporteat. Recorda-
ni frequenter mortis ac sepulchri. *Quanto*

Ecclesi. 3.

ior es, inquit Sapiens, *humilia te in omnibus, &*
ram Deo inuenies gratiam: hæc autē humili-
nulla ex consideratione redditur facilio-
prōptior, quā si vobiscum cogitetis vos m-
rituros & omnia in hoc mūdo relicturos e-

Nam certum & exploratum est, præse-
vitæ commoda & rerum affluentiā, mu-
in immania scelera præcipites egisse. Mani-
stum itidem est, mortis memoriam illis p-
mixtam, homines diuites, potentes, ac nob-
les intra veræ virtutis ac probitatis termi-
continere. Illustrabo id eleganti similitudi-

Elegans similitudo.

Aurum, quod apud homines magno
pretio est, tam est inimicum & contrariū spl-
dori gemmarum, vt si auro sine aliquo rem-
dio gēmæ includantur, omnē suam pulchr-
tudinem & splendorem amittat. Nihilom-
nus arte fit, vt aurum gemmis maioré add-
decorem. Auri frabri enim vt gēmas auro i-

cluda-

ludant, prius modica cera, foramē cui gemma includenda eſt, obducunt, eiq́; gemmam uperimponunt, atq; hac cera venuſtatem & plendorem gemmarum in auro conſeruat, O quotquot nobilitate, diuitijs ac potētia initi eſtis, iam ante dixi vos eſſe quaſi totidem emmas. quia præ cæteris lucetis; neq; modò émas, ſed etiam gemmas auro incluſas, quia ij veſtrûm quatuor, alij octo, alij decem, alij uindecim, alij viginti, alij triginta, alij quaraginta millia coronatorum in annuis prontibus habetis. Auro igitur cōiuncti ac ſoati, facilè ſplēdorem, excellentiam & magtudinē veſtram amittitis: hoc eſt, facilè catatis, humilitatis, patientiæ, diuini timoris, mperantiæ, iuſtitiæ, & omnium aliarū viritum, quæ vos ſpecioſiſſimos in diuinæ maſtatis oculis conſtituunt, iacturā patimini, & i omnia ſcelera, quę vos deformes reddunt, uitis. Verùm vt ſemper in eadem pulchritudine ac ſplēdore permanere valeatis, ecce vois remedium præſentiſſimum.

Ponite ceram inter virtutes ac prouentos eſtros; inter gloriam & aurum veſtrū: inter plendorem & opes veſtras. Habetote inquā in mēte, faces illas & cereos, qui in domo defunctis lumen præbent, cum quibus ad ſepulchrum, rigidi & inflexibiles in feretro deferuntur; quibus exequiæ & anniuerſaria eorū peraguntur. Et vt apertius dicam, frequens ſit vobis memoria & recordatio mortis & ſepulchri, quod in cera figuratur, quia queadmodum cera ex apum domunculis, quæ in fauo, melle ſublato, remanent, fit; Ita etiā ſepulchra ſunt domicilia, quæ nobis manent, præſen-

tis vitæ melle ſublato, melle dico, quia pr ſens vita dulcis nobis eſſe videtur. Ad conſe uandum ergo ô nobiles, virtutem ac prob tatem, quæ apud Deũ & homines maiore vobis addit claritatem ac ſplẽdorem, adiu gite vobis ceram hanc.

O vos fælices ſi hęc ſæpè vobiſcum exp deritis, & de opibus ac dignitatibus veſtris d xeritis, *Solum mihi supereſt ſepulchrum.* Qu circa, *videte ſtatuã percuſſam à lapide.* Amplius

Quis eſt quem lateat, locum & aërem na uum ad ſanitatẽ amiſſam plurimum prod ſe? Quamobrem medici cum aliquem ex patriam diuturna ęgritudine teneri conſp unt, auctores illi ſunt, vt natale ſolum reuiſ norunt enim tum ex præceptis medicinæ, ex vſu atq; experientia, quantum aer & loc natiuus partim ad ſanitatis conſeruatione partim ad ſanitatis amiſſæ reſtitutionem co ferat. Attendite, fratres mei, Omnes nos vi mus extra patriam, extra natale ſolum, te videlicet, è qua originem ſumpſimus. Pr pter ſcelera noſtra, lethalem in anima ægrit dinem incidimus. Quod igitur nobis rem dium, vt priſtinam incolumitatem recuper mus? En certiſſimam vobis medelam. Patri aer natiuus origo noſtra cogitatione nobis r petenda eſt: atque ſæpenumerò nobis cõſid randum, quod è terra formati, atq; in eãde redituri ſimus. En quomodo Spiritus ſanct verus animarum noſtrarum Medicus ad hu locum natiuum nos ableget, quando ait. *Me*

Eccle. 7. *morare nouiſſima tua, & in æternum non peccab*

Et S. Mater Eccleſia, quando his verbis ad e andem patriam repetendam nos adhortatur

Me

Memento homo quia cinis es & in cinerem reuerteris. Hoc autem facit, vt recordemur assiduè illius sententiæ S. Iob. *Solum mihi superest sepulchrum.* Quare auditores: *Videte statuam percussam à lapide.*

Mortis memoria securum nobis iter ad cœlũ facit.

Nostisne, fideles, mortis memoriam efficere vt rectum atq; securum in cælestẽ Patriam iter teneamus? Neminem qui aliquando mare nauigauerit, aut flumina trãsfretauerit, latere existimo, Nauclerum non in principio, neq; in medio, sed in fine nauigij, in puppi videlicet, consistere, atq; attentũ esse ad clauũ, à quo totius nauis bona directio pẽdet: si enim alibi foret, non posset nauigium, rectè moderari, sed certũ pateretur naufragium, antequã ad desideratum portum appelleret. Ita & nobis, qui in mari huius mundi degimus, faciẽdum est: sedendum nobis est ad puppim, si nauim vitæ nostræ rectè moderari, atque ad desideratum æternæ beatitudinis portum sine naufragio appellere volumus.

Noli, ô Christiane, in principio nauigij consistere, natiuitatem atq; prosapiam & generis tui nobilitatem considerando: neque in medio, diuitias, honores, voluptates, sanitatem, iuuentutem ac pulchritudinem tuam attendendo: sic enim malè nauim vitæ tuæ moderaberis, certũ adibis naufragiũ, submergeris in vitijs ac sceleribus, & à profunda inferni voragine absorbeberis. Sede ad puppim, cogita finẽ, mortem & sepulchrum tuum; hoc enim est puppis tua & omnium hominum, ita si feceris, rectissimè te reges clauo ratiõis: atq; nauigiũ vitæ tuæ optimè moderaberis, quousque ad tranquillissimum cælestis beatitudi-

nis portum appellas. Audi quomodo Spirit
sanctus te commonefaciat, vt ad puppim n
Eccles. 7. alibi sedeas, si à vitiorum gurgite absorbe
nolis, cùm ait. *Memorare nouissima tua, & in
ternum non peccabis.* Faciebat id sapientissim
ille nauarchus S. Iob, qui dicebat. *Solumm
superest sepulchrum.* Quocirca, *Vide statuam p
cussam à lapide.*

Mortis memoria rerum mundanarũ solicitudines temperat.

Naturalium rerum scrutatores aiunt, sa
guisugam quando carni adhæret, si cinerib
aspergatur, mox decidere. Sanguisugæ an
marũ nostrarum, quæ omnẽ bonum sangu
nem sanctarum virtutum ab illis exugũt, su
cogitationes, curæ atque solicitudines immo
dicæ, quibus mundani homines opprimu
tur. Hi enim carent vera charitate, carent vi
fide, carent firma in Deo fiducia: sunt in actio
nibus suis intemperantes, in tentationib
imbecilles, in molitionibus suis incauti & im
prudentes, in tribulationibus impatientes, i
operationibus iniusti: per fas nefasq́ue quo
concupierint acquirunt, benè agere nesciun
Missarum officia contemnunt, Conciones, a
diuinas laudes fastidiunt, templa non frequẽ-
tant, festos dies ea pietate, qua decet, non per-
agunt, orationi non incumbunt, inedia se non
affligunt, Ecclesiæ ieiunia violant, pauperibus
& egentibus non opitulantur. O quam noxiæ
sanguisugæ, sunt curæ huius sæculi, quæ tot a-
nimæ bona exugunt.

Vnicum ad eas vt decidãt, remedium, sunt
cineres. Et cuiusmodi Cineres? Mortis videli-
cet & sepulchri. O mortales mundi rebus im-
mersi, qui tot animi angoribus, tot cupidis co-
gitationibus, tot auaris solicitudinibus, quæ

vos opprimunt, & vera animarum vestrarum bona exugunt, æstuatis; aspergite vos cineribus, diligenter de morte ac sepulchro in quo in cineres conuertendi estis vobiscum tractate: recordemini quod omnia in hoc mūdo relicturi, & nudi, quemadmodum in lucē hanc ingressi estis, hinc emigraturi sitis, iuxta illud S. Iob. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Quamobrem, videte *statuam percussam à lapide.*

O homines qui plurimum in hoc mundo potestate ac opibus valetis, semper memoria circumferte præclarum illud factum magni Babiloniæ atque totius Asiæ Regis Saladini, qui christianis exercitibus, propter ipsorum inter se discordiam sępè in Syria, in Palæstina, in Ptolemaide, in Antiochia terrori fuit, quique post amplissimas obtentas victorias, & imperium longè lateque propagatum, sub Cœlestini Papæ III, & Barbarossæ Imperatoris regimine, diem suum obijt. Hic enim antequā spiritum efflaret, decreuit, vt in exequijs suis camisia, quam solam secum ad sepulchrū delaturus erat, circumgestaretur, & præconis voce per omnes vicos ac plateas clamaretur. Rex noster, tanti Imperij, & tot regnorum totius Asiæ princeps, ex omnibus thesauris, quos possidet, nihil secum, præter camisiam hanc, asportaturus est. *Præclarum Saladini Asiæ Regis factum.*

Quod eam ob rem fecit, quod tum primū intelligeret, omnem suam in thesauris accumulandis & imperio propagando solicitudinem, nihil fuisse præter fumum & vanitatem, vtpote cui modo cuncta relinquenda, & in ea nuditate, qua generatus fuerat, hinc abeundū

foret. Sicut poeta ille ait.

Nudus in terram veni, sic nudus abibo;
Quid frustra sudo, funera nuda videns?

Itaque vnusquisque nostrum, fratres, cum hoc Rege, *videat statuam percussam à lapide.* O quantam prodest ante mortem de morte identidem cogitare: ad Deum agnoscendum, ad mundi opes & voluptates aspernandas, ad vera bona insequenda.

XI.

Varijs sacrarũ litterarum figuris, mortis frequens memoria confirmatur.

3. Reg. 19.

NVnquid auditores, memoria tenetis, quid Heliæ in ostio speluncæ consistenti, & Deum in sibilo auræ tenuis transeuntem contemplanti, idem Deus dixerit? *Vade,* inquit ad Heliam, *& reuertere in viam tuam per desertum in Damascum: cumq; perueneris illuc vnges Hazael regem super Syriam, & Iehu filium Nansi, vnges regem super Israel: Elisæum autem vnges prophetam pro te?* O figuram dignam quæ à nobis attentissimè ponderetur. Audite mysterium hic adumbratum.

S. August.

Helias, qui interpretatur, *videns,* est homo, qui conditus fuit ad videndum & agnoscendum Deum, vti S. Aug. affirmat. *Deus,* inquit, *fecit hominem, vt summum bonum intelligeret,* hic debet cogitatione stare in ostio speluncæ, id est, sepulchri, atque mortem ac finem suũ sedulò meditari. Sic autem faciendo apparet illi Deus in sibilo auræ tenuis, quia dulciter ac suauiter ei illabitur, atque interna inspiratione ipsi ad cor loquitur ac dicit: Hic est finis tuꝰ & omnium hominum: noli ergo pro terrenis rebus acquirendis desudare, hæc enim post breue tempus, tibi etiam inuito deserenda sunt. Sed, *Reuertere in viã tuam per desertum in Da-*

in Damascum. Quid, auditores, putatis esse viam hominis propriam? Est diuina lex, & pręcepta sanctissima quæ Deus seruari mandauit: hinc enim Dauid ait: *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Desertum est pœnitentia; Damascus est gratia Dei; quia Damascus secundum Hebraicam interpretationem, significat succum sanguinis: & gratia Dei per merita sanguinis Christi nobis confertur. In hac igitur locutione, qua Deus Heliam alloquitur, figuratur homo, cui, postquam à recta mandatorum diuinorum semita per peccatum aberrauit, in speluncæ sepulchri sui ostio, per mortis meditationem consistenti, per internã inspirationem apparet Deus, & illi ad cor hoc pacto loquitur. Quid agis miser & infœlix? Cur in sceleribus tuis consenescis? Nõ vides, quod aliquando tenebricosam hanc speluncam ingressurus, & si extra gratiam meã obieris, infelicissimus in omnem æuiternitatẽ futurus sis? reuertere igitur, reuertere ad legis meæ, ac mandatorum meorum obseruantiam: amplectere seriò sanctam pœnitentiam, sic enim per meritum sanguinis filij mei, diuinam gratiam, qua tibi in æternam beatitudinem aditus concedetur, promereberis.

Ait deinde Deus ad Heliam, vt tres inungeret, duos Reges, & vnum Prophetam. *Vnges, inquit, Hazael regem super Syriam, & Iehu super Israel, & Elisæum Prophetam pro te.* Hi tres figurant animam, quæ tribus constat potentijs, intellectu, memoria, voluntate, quæ tribus hisce personis adumbrantur: intellectus in Elisæo: voluntas in Hazaele: memoria in Iehu. His ergo verbis innuitur: quod, quãdo homo

facit

facit quæ ipsi à Deo inspirantur, anima ipsi[us] fiat regina & prophetissa, id est, sapiens. Regina, quia dominatur appetitionibus inordinatis carnis & sensuum: Sapiens, quia intelligi[t] quid sibi ad perfectionem adipiscendam, f[a]ctu opus sit. Fit, inquam, Regina cælestis regni & sapiens, quia posteaquam hinc emigrauerit & Deo coniuncta fuerit, omnia quæ à creatura sciri possunt, penitissimè intelliget. O quantum prodest fratres mei, statio illa ad ostium speluncæ, sepulchri consideratio, mortis meditatio, ad cogitationes rerum mundanarum mitigandas, ad peccata fugienda, ad euitandam inferni regionem, Percipite.

Elegans similitudo. Quando quis per niues à clarissima solis luce illustratas iter instituit, albedo illa ita visum eius disgregat, atque phantasmata splendoris illius ita oculis eius manent impressa, vt domum vel speluncam ingrediens nihil videat, sed omnia candida ei esse videantur, atq; si procedat facilè in offendicula & præcipitia, quæ ibi sint; propter visus defectum, incidat. Remedium ad omnia distinctè intuenda hoc vnicum est: vt aliquanto temporis spatio in ostio habitaculi, siue in ore speluncæ subsistat, oculos non extrorsum ad niuem, sed introrsum conuertendo, sic enim paulatim lucida illa & albicantia phantasmata euanescent, & omnia offendicula & præcipitia intus latentia ei conspicua fiet, vt ea possit euitare. *Alia similitudo.* Nix alba, Christiani, sunt huius mundi voluptates, honores, diuitiæ. Quemadmodũ enim nix quamdiu simul coniuncta iacet candidissima est, at si ventus aliquis australis eam perflet, in aquam turbidam resoluitur. Ita & huius mundi opes ac hono-

honores, quamdiu homini cõiunctæ sunt, lucidæ & claræ esse videntur, ac si fortuna instabilem rotam suam conuertat, si ventus aliquis aduersus spiret, resoluuntur in aquam turbidam, id est, in fletus & lamenta. Quisquis per has niues rerum mundanarum cogitatione & affectu, aliquamdiu ambulat, ita excæcatur & earum phantasmata in oculis mẽtis eius tam firmiter inhærent, vt etiam vicinus ingressui in habitationem alterius vitæ, in speluncam sepulchri, & vnum iam pedem habens in tumulo, animam in inferno, nihil aliud sibi intueri atque cogitare posse videatur, quam ea quę sunt præsentis vitæ. Non considerat mortem pręsentem: non videt inferni pericula sibi imminentia; non prospicit tremendum illud iudicium, de se paulò post institueẽdum: nõ prouidet saluti suæ; non cauet sibi ne in abyssi infernalis horribile præcipitium corruat. Testatur idẽ S. Gregorius Papa hisce verbis: *Homines, inquit, carnales, rebus transitorijs occupati, ad iudicium trahuntur per sententiam, & tamẽ habendis rebus adhærẽt per curam: duræ etenim menti adesse mors non creditur, etiam cùm sentitur.*

S. Gregor. in Moralibus.

Fratres mei, quod remedium, vt hæc phantasmata tam densas homini tenebras offundẽtia tollantur? vt saluti eius prouideatur? vt securus hinc ad aliam vitã discedat, & sine animæ detrimẽto, sepulchrum ingrediatur? Ecce vnicum & apprimè necessarium remedium. Aliquanto temporis spatio cogitatione subsistendum illi erit, vt secum consideret futuræ vitæ statum, mortisq́ iam præsentis conditiones, quomodo videlicet omnia quæ congregauit, iam relicturus, & nihil præter sepul-

Mortis memoria vtilis ad cogitationes rerũ mũdanarum mitigandas.

chrum

chrum possessurus sit: sic enim faciendo rerũ transitoriarum cogitationes euanescent, & peccati offendicula, atque inferni præcipitia euitabit, & Deum in corde suo hoc pacto loquentem audiet : *Memento mortis tuæ & non peccabis.* Nam vti S. Hieronymus ait: *qui se continuò cogitat moriturum, contemnit præsentia, & ad futura festinat.* Quamobrem instar Eliæ stemus frequenter in spelunca, in sepulchris videlicet nostris ad contemplandum, hinc enim maximas vtilitates hauriemus.

Sed transeamus ad alia sacrarum literarũ loca, quæ piam hanc memoriam elegantius adumbrant, & mentibus nostris fortius imprimunt. Cur putatis Deum tantam gerere solicitudinem pennarum auibus in holocaustum offerendis detractarum, vt eas diligẽter colligi & in locum cinerum propè altare ad orientalem plagam proijci mãdauerit? Quid intererat hasce pennas in hunc potius, quàm in alium locum abijci? Quid opus erat in re minima tanta diligentia, nisi in his præclarũ aliquod mysterium signaretur? Eu mysterium sub hisce pennis absconditum.

Leuit. 1.

Nos sumus aues, qui offerri debemus Deo in holocaustum per diuinum amorem: pẽnæ nostræ quibus volamus & in altum tollimur sunt diuitiæ, honores, voluptates. Has iubet Deus abijci in locum cinerum quia vult nos hæc omnia, mortis recordatione miscere; considerando videlicet, nos in cinerem aliquando redituros, cuncta quæ mũdus habet deserturos, & nihil nobiscum laturos esse. *Diues,* ait Sapiens, *cùm dormierit nihil secum adfert.* At cur eas ad Orientalem plagã vult proijci? Quia

Eccl. 5.

Quia cupit, nos non tantum mortis, sed etiam orientis, id est, natiuitatis, & originis nostræ meminisse. Vult nos sæpè nobiscum expendere, quod de terra plasmati, nudi in hāc lucem effusi, & vti aues sine pennis rerum mundanarum in hunc mundū ingressi fuerimus. Ex qua consideratione mortis, originis atq; natiuitatis nostræ fiet, vt pennas hasce, id est, diuitias, honores, ac voluptates, quæ in via cœlesti plurimum nos præpediunt, aspernemur. Quamobrem, Christiane, *Vide statuam percussam à lapide.* Notate porro & alium diuinarum scripturarum locum.

Dicit Angelus ad Esdram. *Mensura mihi flatum venti.* Quid sibi vult hæc vēti mēsuratio? 4. *Esd.* 4.

Quis vnquam ventum, vaporem subtilissimum, inuisibiliter aera ferientem mensus est? De alio igitur vento, quam naturali, intelligebat hoc Angelus. His verbis, ô fideles, mēti eius imprimere cupiebat sanctam mortis memoriam: mors enim aliud nihil quam flatus exiguus, leuis ventus, breue suspirium, vt eleganter Italus ille Poeta inquit. *Mors est flatus ventus.*

Che altro, che vn sospir breue è la morte?

Id est, Quid aliud est mors, quam breue suspirium? Quod ergo Angelus ad Esdrā de venti mensuratione ait, idem est, ac si Esdræ, & vnicuique nostrûm dixisset. Recordare mortis, hanc profunda meditatione mensura: hanc animo tuo diligenter pondera: hanc intellectu quā attētissimè examina. *Mēsura mihi flatū vēti.* Expende tecū, quod si hodiè auro vestiris, cras terra possis circumdari. Si hodie delicatis epulis vesceris; cras vermium esca fieri valeas. Si hodie dom⁹, palatia, ciuitates,

prouinciæ,& regna amplissima tibi non sufficiunt,cras breue tugurium septem palmorum sub terra,tibi satis esse queat. *Videte*,igitur,*fi-tuam percussam à lapide*. Pergamus vltra.

Quid caussæ censetis esse,quod Ioseph,magni Patriarchæ Iacobi filius, morti proximus suis mandauerit; vt egredientes ex AEgypto ossa sua secum absportarent? *Asportate*, inquit, *ossa mea vobiscum de loco isto*, atq; adhoc agendum iuramento illos astrinxerit?

Gen. 50.

Quid ô Ioseph tua hoc intererat? quàm vtilitatem,quem fructum inde hausturus eras, si ossa tua in hoc potius loco, quam in alio collocarentur? Non egit hoc Iosephus ad suum cōmodū;post mortem nāq; parum vel nihil attinebat,vbi ossa illius manerent; sed ad eorum qui post se victuri erant vtilitatem.

Vt nimirum ossa illa secum ferentes, cōtinuam haberent mortis memoriam & interim dicerent: Hæc sunt ossa Patris nostri Iosephi, qui in Aegypto tam potens, tam honoratus, tam locuples,tam sapiens extitit: & nihilominus omnis gloria ipsius demum finē accepit, en hæc sunt ossa illius,q̄ hui⁹ rei fidem faciūt.

Si ergo mors nullam rationē habuit magnificentiæ ac potētiæ illius, quomodo nostri, qui longè inferiores illo sumus, habebit respectum? Quare nō debemus fiduciam nostrā in hac vita constituere, sed aliam vitam cogitare: & benè laudabiliterq́ue viuere, vt piè mori detur. Hoc præcipuè mouit Iosephum, quod Hebręis ex Aegpyto discedētibus,præciperet,vt ossa sua secum deferrent. O quam diligentem mortis huius & ossium memoriā habebat S. Iob,quando ait: *Solum mihi superest sepul-*

pulchrum. Idem fac tu, Christiane. *Vide statuam percussam à lapide.*

Cur existimatis S. Paulum nos velle mortis Christi meminisse, quoties ad sacram cōmunionem accedimus? *Quotiescunque*, ait, *mãducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Id facit, vt simul mortis nostræ memoriam nobis refricet: nouerat enim quantum ad vitam laudabiliter instituēdam, ad diligentem præparationem, & ad piam sacræ Eucharistiæ susceptionem ea prodesset. Nam mortem Christi cōmemorando, facilè in hanc argumentationē descendimus, & nobiscum ita ratiocinamur. 1.Cor.11.

Si Christus vitæ Dominus mortem obijt, quanto magis nos, qui mortis serui sumus mortem oppetiemur? Si in ipsum immortalis ac sempiterni Dei filium manus suas immittere non timuit: quomodo nobis hominum mortalium filijs manus inijcere formidabit? Quare si ille mortuus est, & nobis moriendum erit, id autem quando futurum sit, quoniã incertum est, oportebit nos sēper esse paratos, neq; Sacramentum hoc corporis & sanguinis Dominici indignè sumere, ne in æternã mortē corruamus? O præclarã S. Pauli Apost. cogitationē: Neq; minus præclariorē S. Iob, qui vt causam haberet in eadem præparatione ac dispositione ad mortem semper manendi, aiebat: *Solum mihi superest sepulchrū.* Vide igitur Christiane, *statuam percussam à lapide.* En, auditores, quomodo sacræ literæ in tot iam enumeratis & alijs quæ silentio prætérimus, locis, sanctissimã hãc mortis memoriã adũbrant: finem igitur partis huius secundæ

 faciam,

faciam, si hoc vnum addidero.

Elegans similitudo.

Notum vobis est, Domini & Equites Neapolitani, qui maiorem prę cæteris non dico Italiæ vrbibus, sed totius mundi, equorũ tractandorum peritiam profitemini: eos qui in catadromo aut statio, palmæ adipiscẽdæ causa decursuri, vel imaginario prælio decertaturi sunt, ante diem cursus aut prælij, equos suos eodem in loco exercere, atque ad metã decurrere consueuisse: Et cur hoc? Non alia sanè ob causam, quam vt equi, ad terram siue locũ assuescant, viam cursus cognoscant, & tutò gradiãtur, vt quando pro præmij consecutione certatur ac decurritur, vmbras, fossas, & alia offendicula non metuant, sed alacres ac securi ad metam omnibus neglectis impedimentis conuolent.

O Christiani, nõ dico nos equos, sed Christi equites esse. Est nobis omnibus præmium siue corona cælestis gloriæ proposita, pro qua decurrendum atque certandũ nobis est. Via cursus est, mors. *Statutum est enim omnibus hominibus semel mori.* Quid igitur nos facere oportet, vt viam hanc expeditè decurrere, atque propositum prẽmium adipisci valeamus? Ante tempus cursus, id est, ante mortem, peragranda & decurrẽda nobis est, cũ equis intellect⁹ & mentis hęc semita cursus: mors inquam sępè nobis reuoluenda, atque mẽti profundissimè infigẽda est, terra in quam reuersuri sumus, meditationis & contemplationis naribus identidem odoranda est, sepulchrũ frequenter aspiciendum: sic enim faciendo, quando tempus currẽdi, id est, moriendi aduenerit, securi & alacres stadium hoc decur-

remus, cum firma spe acquisitionis præmij e cœlestis.

Ita vt cum fortissimo athleta & cursore S. Paulo dicere possimus: *Cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Qui prius stadium hoc crebro perambulauerat, cum diceret: *Cupio dissolui & esse cũ Christo.* Idem hoc stadium sæpenumero magnus ille cursor & athleta, quem toties hactenus nominauimus S. Iob peragrabat, ideoque gaudens & alacer aiebat: *Solũ mihi superest sepulchrum.* Imitemur obsecro strenuos hosce athletas & decursores: sæpè de morte nobiscum philosophemur & tractemus: odoremur crebro terram in quam conuertendi sumus: sepulchrũ identidem præ oculis habeamus, vt cursum nostrũ benè ac fideliter consummare, ac deinde æternæ vitæ coronã adipisci valeamus. Sẽsit idem sapientissimus Seneca homo à Christiana fide alienus. Accipite verba illius. *Mortem, inquit, venientem nemo hilaris excipit, nisi qui se ad illam, diu composuerit.* Quapropter, Christiane, *Vide statuam percussam à lapide.*

S. Ambrosius de Basilisco memoria prodidit, quod si prior hominem intueatur, enecet illum: sin autem ab eo prior visus fuerit, emoriatur. Visne, Christiane, hunc tibi Basiliscum à me demõstrari? Eccũ illum. Est mors. Hanc enim si, antequàm ad te veniat, mente aspicias & reuoluas, occidis illam: vnde fit vt non amplius viua, sed mortua tibi se præsentet. At si illa priusquam eam intuearis & consideres, ad te venerit, & aspexerit te, O te miserum, & inue- *S. Ambros.*

inueniat te imparatum, æternam tibi necem inferet. Non audis? *Mors peccatorum pessima.* Venenatum hunc basiliscum prior vidit S. Iob, ne ab eo repentinò tolleretur, sed vt ipsum necaret, vnde dicebat. *Solum mihi superest sepulchrum.* Quamobrem, *Vide statuam percussam à lapide.*

XII.

Corpus nõstrum est quoddã sepulchrum mortuorum

MErito nobis assidua mortis esset habẽda memoria, quia venter noster aliud nihil est quam sepulchrum mortuorum, in quo dies aliquem sepelimus. Quis.n.inficias eat, animantia illa quæ comedendo, intra nos sepelimus, mortua esse? vesci.n.illis, nisi mortuis nequiremus, Quid? Vinum & panis quo in cibis continuò vtimur, nõne prius in vineis & agris vita vegetatiua vixerunt? Cur autem voluit Deus nos mortuis creaturis vesci, atq; illis in ventre nostro quasi sepulchro cõdere, nisi vt quotidiè cùm cibum sumimus, illas ante nos mortuas iacere cõspicientes, mortis recordaremur? atq; vt sepulchra illorum nobiscũ omni tempore deferentes, continua in nobis mortis perseueraret memoria, è qua animabus nostris ingens prouenit vtilitas. Audite Senecam idipsum ita scribentem. *Quicquid auium* inquit, *volitat, quicquid piscium natat, quicquid ferarum discurrit, nostris sepelitur vẽtribus, quare nunc nõ subito morimur, quia mortib' viuimus?* id est, quare nõ subitò morimur per mortis recordationem, qui mortib' viuim'?

Senec.li.10. suæ Rethor.

Cur ex mortis recordatione sæpè nihil compungamur.

Cognitamne habes, Christiane, causã, cur sæpenumero ex mortis recordatione nullam vtilitatem referas? vitam tuam non corrigas? à peccatis non te abstineas & cur sententia il-

la

a Spiritus sancti; *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis*, non verificetur in te? Hęc est causa. Quamuis. n. nouissimorum aliquãdo recorderis, attamen tam lõgè facis mortẽ à te, vt eam nihili æstimes, & rem exiguam atque parui momenti esse censeas.

Quando à longe aliquid aspicimus, quamuis magnum & vastũ sit, exiguum nihilosecius esse videtur, vt patet in stellis, quarum cùm quælibet multis partibus terra maior & amplior sit, attamen nonnullæ illarum, propter loci distantiam cum terra collatæ puncti instar esse videntur. Ita & tu, Christiane, parui reputas mortem, quia longè illam abesse tibi persuades, ideoq; vitam corrigere atque in melius mutare differs. Sed magnæ stultitiæ atque amentiæ est, diuturnam, imo vel in crastinum vsque, certam sibi vitam promittere. Audi Iuuenalem.

Non est mihi crede sapientis dicere, viuam:
Sera nimis vita est crastina, viue hodie.

Attende quid Deus apud Ieremiam comminetur tibi & omnibus mortem à longè cõsiderantibus: *Væ*, inquit, *vobis, quia longiores factæ sunt vmbræ vestræ vesperi*. Non loquitur Deus hic de vmbra, neque de vespere naturali; quia vmbræ matutino etiam tempore longæ sunt. Sed per vmbram intelligit mortẽ, quæ in multis alijs sacrarum literarum locis vmbra nominatur, vt apud eũdem Ieremiã. *Ponet eam in vmbram mortis*. Ita vt hic sit prædictorum verborum sensus. Vę vobis homines stolidissimi, qui mortem quam longissimè à vobis dissitam arbitramini, ac proinde vitam corrigere, atque bonis operibus incũbere nõ studetis,

Mors vt proxima nõ vt longè dissita cogitari debet. Hierem. 6.

Hierem. 13.

studetis, sicq; demum imparati & malè in a-
nima constituti ex hac vita disceditis, atq;
infelicitatem, ad perpetuum inferni vę desc-
ditis: *Væ vobis, quia longiores factæ sunt vmbræ v-
stræ vesperi* Per vesperum intelligitur senect-
quæ est vespera hominis, quia in hac æta-
nocti, morti nimirum, proximus est. Quam-
brem Deus hoc loco magis minatur senib'
hac stultitia existentibus, quã iuuenibus: qui-
bus dicit. *Longiores factæ sunt vmbræ vestræ v-
peri*: quia cũ in vespera vitę suæ constituti si-
nihilominus in hac putida & rancida ætat-
mortem à se procul abesse arbitrantur: q-
quando à mundo deberent esse maximè ali-
ni, atque diuino seruitio atque saluti anim-
suæ prorsus intenti, crescit in plurimis eoru-
ardens cupiditas opum, diuitiarum, præcip-
endi, atque in omni voluptate ac rerum affl-
entia vitam transigendi, mores non corrig-
veteraq; flagitia non deserunt, quasi morte-
procul dissitam esse certi forent, cùm tame-
proxima & in ianuis sit. Audi S. Greg. de ist-
ita scribentem. *Homines, inquit, carnales, nih-
aliud cogitant, nisi in hoc mundo, qualiter adhuc v-
uant: relinquendo omnia quæ possidenda disponu-
quia spes viuendi non frangitur, etiam cum vi-
terminatur.* Est quidem vesania hæc tam in iu-
uenibus quàm in senibus vehementer deplo-
randa, sed multò magis in senibus, cùm hi in
vespera senectutis suæ, illi verò in matutin-
iuuentutis degant. Quapropter apposititissim-
dicit Deus. *Væ vobis, quia longiores factæ su-
vmbræ vestræ vesperi.* O quam multa flagiti-
perpetrãtur, cum per iuuenes, tum per senes,
propterea quod mortem procul abesse, se-
diu

Senes qui longam sibi vitam promittunt reprehēdũtur.

S. Greg. in moralibus.

diu victuros existiment. O quam crudele venenum est animæ, longioris vitæ spes: nutrimentum & cibus est maximorum scelerũ, vt rectè Poeta ille cecinit.

Dulcis amor vitæ dirũ (mihi crede) venenum est. *Michael Verinus.*
Causaq; peccandi spes diuturna fuit.
O quam miserum est nescire mori, vitæq; cupido,
Peccandi multis papula quanta dedit.

Quod ergo illa Spiritus sancti sententia, *nõ peccabis* non verificetur in nobis, ex alia causa non prouenit, quã à nobismetipsis, qui mortẽ longè à nobis dissitam esse arbitramur. Si autem eã in nobis verificari volumus, opus est, vt eam nobis è vicino imminere esse persuadeamus, quasi cras, hodiè, aut hac hora morituri essemus, quod facilè posset accidere. *Quis enim est*, (vt Cicero ait:) *quamuis sit adolescens, cui sit exploratum se ad vesperum esse victurum.* *Cicero.*

Salubris admonitio. O Christiane, colloca te paulisper cogitatione in sepulchro, & dic tibimetipsi in corde tuo. Ego aliquando sum vita spoliandus, & cadaueris instar sepulchro inferendus. Veniet tempus cum hi oculi mei non intuebuntur amplius hanc lucem: hæ aures non percipiẽt suauia cantica & melodias: hæc labia non aperientur ad verba formanda: hæ manus nõ mouebuntur: hi pedes nõ ambulabunt: hoc corpus meũ sub terra recõdetur; vermium esca fiet, in cinerem & saniem redigetur: ossa à locis suis separabuntur, & pelle atque carnibus nudabuntur. Heu clam me est quando id futurũ sit, posset fieri hoc anno, hoc mense, hac hebdomada, cras, & si tum probæ atque integrę vitæ non fuero, quid fiet de me? quid de anima mea? quo illa perget, si pęnitentiam nõ egero?

egero? vitam non emendauero? peccata n
deseruero? O me infelicem, perget ad inf
num, ad mortem sempiternã. *Anima quæ p
cauerit, ipsa morietur.* O me infortunatum,
certus sum me habiturum tempus, debit
pro sceleribus admissis pœnitentiam agend
modò igitur dum tempus mihi superest, v
corrigam: modò faciam id seriò, à pecca
me deinceps abstinebo, & conuersionem m
am vltra non differam.

Ecce quam vtilia & sancta proposita nasc
tur in nobis ex frequenti mortis memori
cogitetur vt proxima, non vt longè à nob
dissita. Hactenus tam multa de morte di
rui, vt vox & anhelit⁹ me pęnè deserere vid
tur: quiescam ergo paulisper, ad hauriendu
spiritum, & vocem paululum viuificanda
moxq; ad sermonis huius tertiam partẽ gr
dum faciam, in qua demonstrabo, in mor
nemini tristandũ, sed potius gaudendũ es

PARS TERTIA.

I.

Vita nostra telæ comparatur.

CONsideranti mihi, & attentè cum anim
meo expendenti, vitæ & mortis nostr
conditionem, redit in memoriam insignis il
la Ezechiæ regis sententia, qui vitam huma

Esai. 38.

nam telæ comparat, cùm ait: *Præcisa est velut
texente vita mea: dum adhuc ordirer succidit me,
& de mane vsque ad vesperam finies me.* O ele
gantem & valdè accommodatam similitu
dinem. Talis enim reuera est vita nostra. At
tendite.

Dum tela pertexitur, triplici modo se ha
bet. Nam partim facta est, partim facienda, &
partim actu fit; Facta non cernitur, quia inuo
luta

uta eſt; Facienda conſpectui non patet, quia tidem inuoluta eſt: illa tantum quæ actu fit, omnium oculis expoſita eſt: ſed ea quã malè a Textore tractatur? Pedibus ſurſum deorsũ, dextrorſum ſiniſtrorſum impellitur, radio per medium traijcitur, ſtringitur reſtringitur, percutitur repercutitur, intus, foris, à pectine; O ſi ſenſu prædita eſſet, quantum dolorem, quantum cruciatum ex hac cõtinua ſui mala tractatione hauriret. Talis eſt vita noſtra, auditores: In tres partes diſtinguitur, in pręteritam, præſentem, & futuram. Præterita nõ videtur, quia iam tranſijt. Futura aſpectu non percipitur, quia nondum eſt: pręſens tantummodo cernitur. Sed, ô infęlicitatem noſtram, hæc ipſa cõtinuè malè tractatur. Surſum, deorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum impellitur. Surſum per excellentiam, deorſum per miſeriá: ſurſum per diuitias, deorſum per paupertatem: ſurſum per affluentiam voluptatum, deorſum per animi mœrorem: dextrorſum per lætitiam, ſiniſtrorſum par fletum: dextrorſum per proſperitatem, ſiniſtrorſum per aduerſitatem: dextrorſum per ſanitatem, ſiniſtrorſum per infirmitatem. *Homo nunquam in eodem ſtatu permanet.* *Iob 14.*

Traijcitur adhæc inſtabilis vita noſtra à radio: à paſſionibus, videlicet, internis, cordis angoribus, mentis cruciatibus: qui continuò affligunt, conficiunt, & erodiunt intima noſtra, vel propter opum amiſſionem, vel propter parentum & amicorum mortem, vel propter acceptas iniurias, vel propter rei alicuius concupitæ defraudationem, vel propter alterius rei quam abeſſe malimus præ-

ſentiam, vel propter zelum, vel propter od-
um, vel propter imminentis periculi metu,
vel propter alios innumeros caſus. O radij
acutiſſimos, qui medium huius telæ, id eſt,
tima noſtra penetrant, lacerant viſcera, affli-
gunt animum, cruciant mentē, & cor exed
atq; conficiunt. Neque hic finis malorum.

Stringitur, cæditur, opprimitur præte
infœlix hæc vita noſtra à pectine, id eſt, ab
firmitatibus internis & externis: febri
quartanis, tertianis, quotidianis, continuis
raticis, diarijs, hecticis: à ventris, later
cordis doloribus; animi defectionibus,
morum corruptione, capitis defluxioni
O quā innumeris malis, miſeri ſumus obn
xij, ſed neq; hic malorum noſtrorum term
nus: Eſt & aliud maius, quod nec Ezechi
rex in allata ſententia tacuit. Non audi
*Dum adhuc ordirer ſuccidit me, & de mane vſq
ad veſperam finies me.*

O infœlicitatem humanæ conditionis. In
exordio vita noſtra præciditur. Mors enim
ſtatim, poſteaquam in lucem editi ſumus, vi-
tam noſtram præcidere incipit. Hodie vnum
abſcindit diem, cras alium, perendie alium,
ſicqúe continuo vitam noſtram de die in di-
em, de hora in horā, magis ac magis reſecat,
quemadmodum textor modo hoc, modo il-
lud telæ filum, inter texendum abſcindit. I-
deoqúe rectè dicit Ezechias, *Dum adhuc ordi-
rer ſuccidit me.*

Vbi diligenter aduerte, quod dicat ſucci-
ſam eſſe vitam ſuam dum ordiretur eā: quod
fit, dum homo adhuc intra materna viſcera
degit; egreſſus autem tela vitæ ipſius texitur;
vt in-

t intelligeres, mortem sæpè non præstolari ominis in hanc lucem introitum, sed etiam iscera materna ingredi, atque dum formatur, lum præscindere, & vitam auferre. *Dum adhuc ordirer succidit me.* O quam multos hoc asto, vti nemo vestrum ignorare potest, succidit.

Sequitur. *De mane vsque ad vesperam finies me.* Vt demonstraret, quid de nobis illa faciat etiam cum nati sumus: *De mane vsque ad vesperam*, id est, eo ipso die, quo de vtero materno processimus, frequenter vitę nostræ finem imponit. Heu, quam multos eodem die, quo in hunc mundum ingrediuntur, ex hac vita confestim tollit. *De mane vsque ad vesperam finies me.* Sed paulò profundius rimemur hæc, vt inueniamus aliud manè, & aliam vesperam, quo sic omnes homines sub hac Ezechiæ Regis similitudine comprehendantur. Attendite.

Cognitum & exploratum vobis est, ex ijs quæ diximus, septem esse hominis ætates. Infantiam, pueritiam, adolescentiam, iuuentutem, virilitatem, senectam, & decrepitam ætatem. Harum ætatum vna est alterius vespera. Pueritia est vespera infantiæ, adolescentia pueritiæ, iuuentus adolescentiæ, virilitas iuuentutis, senectus virilitatis, decrepitas denique senectutis. Iam verò quam multi sunt qui à matutino infantiæ ad vesperam pueritiæ non perueniunt, quin vitam finiant? Quam innumeri, qui à matutino pueritiæ ad vesperam adolescentię non pertingunt, quin ex hoc mundo migrẽt? Quam non pauci, qui à matutino adolescentię ad vesperum iuuentutis

Septem sunt hominis ætates.

tutis non accedunt, quin ex hac vita eripia-
tur? vti liquet ex hodierno Euangelio in fi-
mæstæ huius viduæ, quem Christus resusci-
tauit. Quam multi à matutino iuuentutis
perueniūt ad vesperum virilitatis? Quam
numeri à matutino virilitatis, non accedu-
ad vesperum senectutis? Quam infiniti de-
que, à matutino senectutis, (si matutinum
appellare fas est, & non potius noctem) ad v-
sperum decrepitæ ætatis non pertingu-
quin hanc vitam deserant? Itaque verum
De mane vsque ad vesperam finies me. O raram
steria. O Sacramenta eximia, quæ ex diui-
libris ad infœlicem & miseram humanæ vi-
conditionem intelligendam eruuntur. A-
dite & consolamini.

II.

A Deo magis laudantur mortui quam viui.

QVamuis statua terræ allisa, atque à lapi-
in puluerem redacta, id est, quamuis ho-
mo à morte prostratus, & in sepulchro in ci-
neres & puluerem redactus sit, ob id tamen
auditores, non tristari, neque flere debemus
quia animaduertimus Dominum summam
sapiētiam maioribus præconijs afficere mor-
tem, quam vitam. Dicit enim per os Sapientis.
Laudaui magis mortuos, quam viuentes. Et per os
Regij Psaltis. *Pretiosa in conspectu Domini, mors*
Sanctorum eius. Et per os S. Ioannis Euangeli-
stæ ac prophetæ. *Beati mortui, qui in Domino mo-*
riuntur. Et Saluator hodie ad viduam, filij sui
vnigeniti funus acerbis lachrymis prosequen-
tem, ait.

Eccles. 4.
Psal. 115.
Apocal. 14.
Luca 7.

Noli flere. Quandoquidem ergo sapientissi-
mus Deus, tam copiosas morti potius quam
vitæ laudes attribuit, fieri non potest quin

bona

nasit,& dignior quæ gaudij quam quæ la-
crymarum causam præbeat.

Verum dicet aliquis curiosior: Si bona est, ergo à Deo omnium rerum bonarum cōdi- Eccles. [illegible]
refacta est. *Cuncta enim bona fecit Deus in tē-pore suo*, non autem per seipsam à peccato processit? Iam dixi & iterum dico Deum non fecisse mortem, quia ipse est ipsamet vita, in quo non potest esse idæa mortis, ea autem, quorum in ipso non est idæa, ipse non fecit. tamen bona, vtilis, & laude, quam reprehensione dignior est, neque huic sacer textus loco allegato contradicit: Verum vt hoc intelligatis, aduertite.

Vita & mors nostra dupliciter potest considerari. Vel in statu innocentiæ, vel culpæ; Si tam primo modo consideretis, hoc est, primam illam vitam, quam Deus homini, in formatione illius inspirauit, de qua Moyses ait: *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Est vita pretiosa, dulcis, amabilis, veluti ab ipsis Dei visceribus enata, & filia eius carissima. At si illam consideretis secundo modo, id est, post transgressionem Adami, corruptam, deformem, miseriæ & ærumnarum plenam, non est laude digna, non pretiosa, non amabilis: sed potius abominanda & odibilis. Quamobrem S. Chrysostomus & Epiphanius aiunt, quando Deus Adamum post inobedientiæ peccatum, de Paradiso eiecit, *Ne fortè sumeret de ligno vitæ & viueret in æternum*, non eam fuisse pœnam Adamo inflictam, sed misericordiam potius, qua in eum diuina bonitas vsa est; Quia abstulit ei occasionem, in hac vita tot miserijs & calamitatibus circūcinctæ, in

Vita & mors dupliciter possunt considerari.

Gen. 2.

Gen. [illegible]

qua

qua mortuum esse melius est quàm viu
immortaliter permanendi. Quid? An non
signis videtur vobis esse misericordia, q
ipsum è Paradisi amœnitate exturbãs, sta
certiorem reddiderit, quod breui temp
in hisce calamitatibus victurus, quod mi
hæc vita modicum duratura, & post mom
taneum interuallum morte finienda fo
Audite miserias & calamitates eius :] *Ma*
Gen. 3. *cta terra in opere tuo; spinas & tribulos germi*
bit tibi. In sudore vultus tui vesceris pane
Audite præterea quo termino eas Deus v
concludi. *Donec*, inquit, *reuertaris in terra*
de qua sumptus es : quia puluis es & in puluer
reuerteris. Quod perinde est, ac si dixisset p
ssimus ac clementissimus Deus. Quamuis
homo, terram habens maledictam: quam
eadem frumenti vice, spinas & tribulos
progerminatura sit: quamuis labore atq
dore victum quæritare sis iussus: attamen co
fortare, & animo hilari atq; alacri esto : na
hæ miseriæ tuæ non erunt æternę, sed tamd
eas patieris, quousq; reuertaris in terram
qua formatus es: nam vt originem tuã mi
mè ignores, puluis es & in puluerẽ reuerte

Considerata vita hisce duobus iam dic
modis, mortem etiam dupliciter iuxta d
plicem hanc vitam perpendite. Vel respect
primi status; quatenus contraria est prim
innocenti vitæ; vel respectu secundi statu
quatenus hominem secunda vita, misera
calamitosa, priuat. Si priori modo illam co
sideretis, est mors odibilis, amara & abom
nanda; veluti quæ immediatè ab inobedien
tiæ peccato primi hominis, totius generis no

Mors quo respectu sit odibilis, & detestãda: quo itẽ respectu sit desiderabilis & amplectenda:

stri

triantiquissima stirpe processit. At si posteriori modo illam consideretis, est mors dulcis, amabilis ac desiderabilis: illam enim benignissimus Deus, ad beneficium & vtilitatem nostram contulit, vt à calamitatibus & miserijs mundi huius nos eriperet. Auscultate magnum illum Latinæ linguæ parentem in Tusculanis quæstionibus id asserentem: *Mors*, inquit, *est portus malorum, perfugium ærumnosæ vitæ, effugium miseriarum.*

Cicero in suis Tusc.

Non erat mors bona primum: quia Deus illam non condiderat, sed postea bona effecta est, & multò melior quam secunda vita, ac proinde Deus illam vult.

Est autem hæc mors secundo modo considerata à Deo non *effectiuè*, sed *permissiue*, & vt grammatim dicam, non *causaliter* sed *occasionaliter*. Atque idcirco, considerando illam hoc pacto, dici potest, Deum fecisse mortem, quia illam, vt ab ærumnis & tribulationibus huius sæculi nos eripiat vult, & gratam habet.

In huius rei argumentum, cernitis in mundi exordio, cum quatuor duntaxat homines videlicet, Adam, Eua, Cain & Abel terram incolerent, Deum voluisse prius mori Abelem iustum: quam vel transgressorem Adamum, vel insipientem Euam, vel fatricidam Cainum. Dum igitur omnium qui degebant in terra iustissimum, optimum, sibiqúe carissimum prius hac vita fungi voluit, apertè monstrauit, post peccatum, mortem non esse malam, nec formidandam aut reijciendam, sed potius, tanquam optimum quid, desiderandam & amplectendam. Vnde S. Augustinus, *Vocantur*, inquit, *ante tempus boni, ne diu-*

Demonstratur mortem meliorem esse quam vitam.

S. August.

tius

S. Chrysost. *tius vexentur à noxiis.* Et S. Chrysostomus m tem post peccatum considerans ait. *Mors munus necessarium naturæ iam corruptæ, quæ n est fugienda sed potius amplectenda.* Et vetus il

Æschylus poeta. Poeta Aeschylus. *Mors*, inquit, *fœlicior & gl riosior est, quam vita.*

Redditur causa cur Christus in Lazari resuscitatione fleuerit.

Mortem ergo, quia à calamitatibus & m serijs huius mundi nos eximit, conuenien ac securè bonam & hac nostra vita multò m liorem affirmare poterimus. Cur enim pu tis Christum ante charissimi amici sui Laz sepulchrum consistentem in lachrymas rel lutum fuisse? Num ideò quia vita functus e rat? Nequaquam, cum post breue interual ipsum ad vitam reuocaturus esset. Sed cl mentissimus Dominus, (vti reor) idcirco fl bat, quod consideraret, amico suo Lazar multò melius esse vita carere, quàm viue & quod reducendo eum ad vitam, simul a huius mundi miserias & ærumnas reuocare Hanc ob causam, non propter mortem ill us, dum ante sepulchrum Lazari, illiu

Ioan. 11. resuscitandi causa consisteret, *lachryma est Iesus.* Cæterum aduertite hic alium diuin rum literarum locum, huic nostræ assertion

Deut. 30. apprimè congruentem.

Ait Moyses ad populum Israeliticum. *T stes inuoco cælum & terram, quod proposuerim vi tam & bonum.* Quo in loco, alia translatio ha bet, *vitam & mortem*. Cui consonant textu Græcus & Chaldaicus. Cum ergo vna trás latio dicit *Mortem*, alia verò *bonum*, apertè no bis significatur, mortem & bonum esse ea dem, atque à morte nihil mali, sed multa bo na nobis adferri. O sanctè Moyses sapiente

ais

Bonum & non *Mortem*, quia non ignobas eam nullius mali sed eximij boni causam esse; & non aliquod nocumentum, sed præclaras vtilitates, dum à miserijs sæculi huius nos tollit, adferre. Quod ipsum olim etiam gentiles idololatriæ dediti, ex falsorum & inanium Deorum suorum responsis atque augurijs didicerunt, Attendite.

Ethnici etiã ex Deorũ suorum responsis mortem bonam esse cognouerunt.

Multi graues auctores, inter quos Demosthenes, Cicero in 1. *Tusculanar. quæstionum*, & Plutarchus, memoriæ prodiderũt, Cleobim & Bitonem Argiæ Sacerdotis filios, matrem ad solenne & statum sacrificium, satis longè ab oppido ad fanum, ad quod illam curru vehi ius erat, propter nimiam iumentorum moram aduexisse. Sacerdos aduecta in fanum, cum currus esset ductus à filijs, precata Dea dicitur, vt illis præmium daret pro pietate, quod maximum homini dari posset à Deo; adolescentes posteaquam cum matre epulati essent, somno se dederunt, ac mane mortui inuenti sunt. Ijdem auctores de Trophonio & Agamede referunt, quod cum Apollini Delphis templum exædificauissent, venerantes Deum petierunt mercedem non paruam quidem operis & laboris sui, nihil certi, sed quod esset optimum homini: quibus Apollo se id daturum ostendit post eius diei diem tertium: qui vt illuxit, mortui sunt reperti.

Cur autem flagitantibus illis pro mercede, quod erat optimum, mortem statim obierunt? nisi vt ex eo intelligeremus, etiam inania gentilium simulachra & falsos Deos, ex voluntate & permissione veri Dei, de-

monstrasse,nihil melius aut salutarius ho-
ni dari posse,quam mortem; quādoqui-
in illa omnes labores ac miseriȩ sȩculi h-
terminantur; quod multò melius est, q-
hac ærūnosa vita diu degere. Vnde Salo-
Eccles.30. *Melior* inquit,*est mors,quam vita amara*.
suffragatur veterum sapientum nō mini-
Sophocles qui ait. *Multò satius est mori,*
vitam agere miseram. Et S. Ambrosius li-
commentariorum in Lucam,cum secum
tentè pensitaret, quid nobis commodi
adferat,in hanc præclaram prorupit sen-
tiam. *Mors non est metuenda fortibus, est*
randa sapientibus,& miseris expetenda. Ho-
sum optimè cognouerunt Thraces,qui,
Valerius Maximus. rente Valerio Maximo, eam ob rem
quam sapientissimi semper celebrati fu-
quod hominum natalitia cum fletu ac
stitia,mortem verò & exequias, festiuo
gaudio atque tripudijs peragerent; vnde
ctum illud. *Læta funera luctuosa natalitia*. C-
autem hoc? nisi quia considerabant hom-
nes nascendo in miserias præsentis sæculi
troire, moriendo verò ab ijsdem ærum-
eximi? Nam vti nobilis ille Poëta rectè ce-
nit.

Stultum est mortem,matrem timuisse quieti
Quam fugiunt morbi,mæstaq́; pauperies.

Multi Ethnicorū magno mortis desiderio flagrarunt. Iam vero quam multi gentilium,qui alia-
beatiorem vitam post hanc, minimè exp-
ctabant, mortem velut eximium bonu-
hoc solo fine, vt ab huius mundi calamita-
bus eriperentur,ardentibus votis exoptarū.
Neoptolemus. Hinc enim Sapiens Neoptolemus, mort-
desiderio æstuans aiebat. *O mors vtinam te c-*
pere,

vere, nostri arbitrij esset, vt te mihi sumerem omnium primò: quantumuis enim inimica, mihi gratissima fores. Et Euripides poeta prudentissimus eiusdem mortis flagranti cupiditate incensus dicebat. *Iam satis, ô vita, durasti, desine tandem.* Quid, nonne sapientissimus Menander in Epigrammatibus suis omnes adhortatur ad mortem quasi rem bonam, non extimescendam? Euripides. Menander.

Mortem, ait, *quid timetis, quietis genetricem?*
Sedantem morbos, & paupertatis dolores?

Et Poeta AEschilus nonne flammanti cum desiderio mortem precatur, vt se non repulet, sed ad se venietem clementer excipiat, dicens? *O mors ne quæso patiar repulsam quo minus ad te veniam?* Et Salustius in orationibus Catilinarijs, nonne mortem omnium miseriarum terminum appellat? *Mortem*, inquit, *ærumnarum requiem non cruciatum esse dico.* Et Cicero in Tusculanis quæstionibus nonne idipsum clarius affirmat? *Moriendum*, ait, *est omnibus, estq; finis miseriæ in morte.* Si autem hi Gentilium sapientes, qui alterius fœlicitatis vitæ nulla spe ducebantur, existimauerunt mortem esse bonam, dulcem, amabilem ac desiderabilem, eam solum ob causam quod hominem ex hisce miserijs eripiat, quid nos facere oporter, qui post mortem sempiternã vitam omnibus bonis, omniq; gaudio & consolatione affluentem speramus? Salustius. Cicero.

III.

Si miles post crebras irruptiones cruenti & dubij cuiusdam certaminis, victor & opimis spolijs onustus rediens insuetam sentit in animo lætitiam & exultationem, gaudens *Varijs similitudinibus declaratur*

in morte nõ esse tristandum sed gaudendũ.

dens nimirum de fęlici in domum suam re-
ditu, & præda acquisita; qua nos lætitia dec
exultare in morte, quod terribile illud certa
men, quo cum Dęmone, mundo & carne de
pugnabamus, absoluerimus, victoresq́ in cę
lũ q̃ domicilium nostrum est, reuertamur,
ibi nostræ fortitudinis & perseuerantiæ præ-
mijs omni æuo perfruamur? Si naucler' post
procellosas tẽpestates, post fluctus tumẽtes &
interitũ minitantes in securũ portũ appulsus
nouo quodã gaudio corripitur; quale nost
gaudium, qualis exultatio in morte esse de-
bet: quando transfretato periculo & infido
mari huius mundi, ad optatum æternæ bea
titudinis portum appellimus? *Mors* enim
Sotades. magnus ille Sapiens Sotades ait: *omnium mor
talium portus est.*

Si rusticus, post duros & asperos hyemis
labores propter spem futuræ messis exantla-
tos, ad æstatem perueniens, atque vberes pro-
uentus accipiens colligensq́ totu s lætitia ex-
ultat, quanta nos lætitia oportet exultare in
morte, quando aspera & laboriosa præsentis
vitæ hyeme transacta, ad æstatem alterius
gloriosæ ac bonis omnibus affluentissimæ
cælestis Paradisi vitæ peruenimus, vt amplis
& copiosis laborum nostrorum meritis ac
prouentibus fruamur. *Pretiosa mors*, inquit, S.
S. Bernardus. Bernard. in tractatu de Malachia, *tanquam fi-
nis laborum, tanquam victoriæ consummatio tan-
quam victoriæ consummatio, tanquam vitæ ianua,
& perfectæ securitatis ingreßio.*

Si peregrinus post longam profectionem
domum rediens, præ gaudio vix seipsum ca-
pit, & maiorem quam dici possit ex charo-
rum

rum parentũ, & amicorum aſpectu, eorumq́; congratulationibus, haurit conſolationem. quanto nos gaudio cõuenit exilire in morte, quod longam ærumnoſæ huius vitæ profectioné cõfecerimus, & æternas patriæ cęleſtis manſiones ingredi incipiamus? vbi magna cũ feſtiuitate, gaudijs, atque tripudijs ſuſcipiemur ab amantiſſimo Patre noſtro Deo, à dulciſſima matre noſtra Beatiſſ. Virgine Maria, à Sanctis omnibus, cariſſimis fratribus noſtris, ac demum ab Angelis beneuolentiſſimis amicis noſtris, qui nos prius à longè tantummodo intuebantur, & in nos intenti, magno cum deſiderio nos expectabant?

Nolite enim exiſtimare, fideles, quod moriẽdo cognatos & amicos omnes prorſus relinquamus, quin potius id vobis perſuadete, tunc primũ veros amicos & cognatos nos inuenire, eos videlicet, qui ante nos ex hoc mũdo abierunt: qui ſimul cum toto beatarum animarum cætu, immenſo cum iubilo, aduentum noſtrum præſtolantur, ad ſecum triumphandum in cæleſti regno, atque de ſua fœlicitate & immortalitate ſecuri, quantò maiori pollent ſcientia & potentia, tantò amplius precibus ſuis noſtram beatitudinem promouent. Teſtis huius rei eſt Cyprianus *ſerm. 4. de immortalitate. Magnus,* inquit, *illic nos carorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos copiſa turba deſiderat, iam de ſua immortalitate ſecura, & adhuc de noſtra ſalute ſollicita. Ad horum conſpectum & complexum venire, quanta & illis & nobis in commune lætitia eſt? Ad hos, fratres dilectiſsimi, auida cupiditate properemus, & cum his citò eſſe optemus.*

In morte amicos non omnino deſerimus, ſed meliores inuenimus.

S. Cyprianus.

Adiungam his præclarum aliquem S. Scripturæ locum id pulchrè adumbrantem. Attendite.

Iob. 7.

Dicit S. Iob: *Dies mei pertransierunt quasi naues poma portantes*. Horum verborum alias superius dedi expositiones, at modo hanc auditu dignissimam accipite declarationem. Notum est, vocem illam, *poma* apud Grammaticos esse genericam, & notare omne genus fructuum. Quemadmodum ergo illi qui nauibus aut cymbis suis fructus ex alijs terris aduehunt, iter velocissimè cupiunt absoluere, propterea quod hoc genus mercium facili negotio corrumpatur: & si retardentur, id ægerrimè ferunt: Ita etiam, quia vita nostra fragilis & innumeris corruptionibus & miserijs obnoxia est, hoc vnicum & maximum deberet esse nostrum desiderium, quomodo eandem citissimè conficere, & ad alteram vitam quamprimum peruenire possemus: & si quando retardaremur, magnum inde dolorem haurire. Vnde S. Iob vt demonstraret, hoc desiderio se semper flagrasse, ait. *Dies mei pertransierunt quasi naues poma portantes*: Quo etiam desiderio omnes nos, qui mare amarum præsentis vitæ nauigamus, ardere meritò deberemus.

Mors est transitus ad cælestem patriam.
Psal 45.

Mors enim ô Christiani, apud nos verè non potest appellari mors, sed potius transitus, ab ærumnosa & misera hac vita, ad aliam longè beatiorem. Non auditis Prophetam regium id confirmantem? *Transibo*, inquit, *ad locum tabernaculi admirabilis, vsque ad montem Dei?* Videtis quomodo mortem appellet transitum ad montem Dei, & ad cælū, vbi est vera gloria,

& vita fœlicissima. Vt non immeritò cuilibet Christiano in morte & post mortem dici possit illud elegantissimi Poetæ.

Già non si deue à te doglia, nè pianto
Che si muori nel mondo, in Ciel rinasci.

Id est. Non debetur tibi iam dolor aut plãctus, quin dum in mundo moreris, in cęlo renasceris. Cuius dictum cõforme est illi, quod sapientissimus Seneca in Epistolis ad Lucillũ Seneca
: *Dies mortis, quem tanquam extremum formidas, æterni natalis est. Depone igitur onus*. Quare quoniam illa tam magni boni nobis causa sit, quamuis eadem sit lapis, qui amicos & consanguineos nostros ad terram & in sepulchrum prosternit, verè possumus dicere cuilibet Christiano, in morte suorum, id quod Christus ad viduam cuius filium resuscitaturus erat, ait: *Noli flere*. Gaudium enim, gaudium inquam, non fletus debetur mortuis.

IV.

DIC mihi, ô Christiane, estne quisquam in mundo ita mentis inops, qui grauissimis debitis onustus, pro quibus annuatim creditoribus debitas exoluat pensiones, non maximoperè totam huius debiti summam vnica vice optet dissoluere, vt à molesta pensionum exactione liberaretur, quiq́ue soluta integra summa, non maximam animo hauriret lætitiam? Nemo sanè. Quia capitali summa numerata, cessant pensiones, quæ animũ debitoris vehementer affligunt. Attẽde, omnes nos duobus præcipuis debitis onusti sumus, quorum alterum est corpus, alterum anima, illud de terra factum est, hæc verò à Deo immediatè creata & nobis infusa est. Pro vtroq; assi-

assiduè nobis soluendæ sunt pensiones. Q
enim? Fames, sitis; frigus, calor; dolores, in
mitates, atque aliæ molestiæ corporis, non
pensiones séu fœnora quæ terræ annumer
tur, propter capitalé summam ipsius corp
quod à terra acceptum est? Et tristitia, mel
cholia, alijque angores, cruciatus, ac pass
nes animi, an non sunt pensiones, quæ
soluuntur, propter alterius debiti capita
summã, id est, animæ, quæ à Deo immed
processit? Quisquãne igitur erit, adeo mal
nę mentis, qui hæc debita quamprimũ di
uere non optet, vt ab harum tam graui
pensionem exactione vindicaretur? Q
quamne erit adeo vesanus ac stolidus, qu
exultet gaudio, quando viderit adesse ter
num horum debitorum numerandorum
morte, auditores, vtriusque huius debiti
pitalis summa perfectè dissoluitur. Tũ en
corpus terræ, anima autem Deo creatori
redditur. Iam verò debitis hisce solutis,
cernitis quam subito onerosæ illæ pension
Eccles. 12. quæ corpus & animam tantoperè affligeb
cessent? Vnde Sapiens ad integram debit
rum dissolutionem respiciens ait: *Reuerta*
puluis in terram suam, & spiritus redeat ad De
qui dedit illum. Reuertetur puluis in terram sua
id est, corpus ad terram, vnde principiu
sumpsit: *Et spiritus redeat ad Deum, qui dedit i*
Plutarchus. *lum*, id est, anima ad Deum illius Creatore
Magnus etiam Plutarchus, ad hanc solutio
nem respexit, quando *in Moralibus suis* ai
Quemadmodum mutuata pecunia æquo animo re
denda est; sic vitæ munus, quod mutuò accipimus
Dijs, citra querimoniam est reponendum. Forsa
etiam

etiam ſapientum non infimus Menander, ſummæ huius capitalis numerationem ſecum expendens, in illa verba gaudij plena, prorupit. *Mortuus felicior eſt quam viuus.* Quia igitur ô Chriſtiane, in mortis articulo duo hæc debita integrè diſſoluuntur, quamuis illa ad terram, & ſubtus terram, te & alios cognatos atque amicos tuos proſternat, tempera tibi à lachrymis, & illud Chriſti amplectere, *Noli flere.* *Menander.*

Verum reſpondebit forſan aliquis, cui parentum, filiorum, cognatorum, vel amicorũ quiſpiam morte ſublatus eſt: Non defleo animam illius, quæ in cæleſtia regna migrauit, ſed corpus quod in puluerem reſoluitur. At nec pro eo quidem tibi lachrymandum erat. Non enim mors illa, corporis mors eſt, ſed potius poſt longam curſitationem requies, & pacatus poſt diuturnas vigilias ſomnus. Nemo enim neſcius eſt, hominẽ quemlibet currentẽ, quãdo ad curſus ſui finem peruenit, etiamſi faciem retro conuertat, non tamen propterea mox ad eundem curſum repetendum redire, ſed prius aliquantiſper quieſcere, atque anhelitum reſumere, tuncq; ad currendum reuerti: adeo vt quies illa ſit primi curſus finis, & alterius principium. Similiter duo ſunt curſus hominis: (etiam quoad corpus) vnus eſt vitæ præſẽtis, alter futuræ: Poſtquam primum curſum confecimus, antequam ſecundum ordiamur, antequam videlicet, vitam corporis immutemus & nouam viuamus, quiete nobis opus eſt, quę inter pręſentem & futuram vitam intercedat, tanquã illius finis, & huius principium. Hæc autem

Mors eſt longa poſt curſum præſentis vitæ requies.

 quies,

quies, Auditores, quæ inter vtramque vitam interponitur, est mors. Posteaquam enim ad hunc terminum peruenimus, in sepulchro corpore quiescimus, vt postea nouam, gloriosam, & beatam vitam ordiamur. Audite S. Basilius. magnum illum Basilium in tractatu *de spiritu sancto* idem affirmantem. *In mutatione vitæ* inquit, *videtur necessarium, vt mors inter priorem vitam intercedat, quæ & præsentem finiat, & initium det futuræ.*

Quis igitur in morte, quamuis illa hominem prosternat, lamentis se tradet, quandoquidem illa finis & requies est laboriosi cursus præsentis huius vitæ, & alterius dulcissimæ & æternæ principium? Quapropter ô Christiane in morte cuiuslibet etiam tibi maximè chari *Noli flere.*

Mors est lõgus post diuturnas vigilias somnus. Appellatur pręterea somnus & non mors quia quemadmodum ille qui dormit, non semper dormiturus est, sed certus est se aliquando euigilaturum esse; ita & nos in morte dormitionem in sepulchro inchoamus: at tamen ibi non semper sopiti manebimus: sed excitabimur aliquando, & è duro & tenebroso illo lecto resurgemus. Audite doctissimum *S Epiphanius.* Epiphanium in lib. *de hæresibus. Non omnino*, inquit, *qui mortuus est, postquam mortuus fuerit, in eodem manet.* Quibus verbis aliud nihil innuit, quam quod non semper in sepulchro permansuri, sed à somno aliquando excitandi & resurrecturi simus. Audite præterea Dauidem clarissimis verbis, mortuos in *Psal. 87. 1 Thessal. 4.* sepulchris dormire, contestantem. *Sicut vulnerati,* ait, *dormientes in sequlchris.* Et S. Paulum mortuos dormientes appellantem. *Nolumus,* inquit,

quit, *vos fratres ignorare de dormientibus, vt non contristemini, sicut cæteri qui spem non habent.* Sed quid aio?

Nonne & ipsi gentilium sapientes, mortem somnum esse dictitarunt? *Morti*, ait magnus Cato, *nihil est tam simile, quam somnus*; Et Cicero in Tuscul. quæst. *Somnus est mortis imago.* Gorgias Leontinus philosophus (vti refert Demosthenes) cum morti proximus, debilitatis viribus, sensibusq; deficientibus somno se totum traderet, atque à familiaribus suis excitaretur, increparetur, & interrogaretur, cur esset tam somnolentus? Respondit: *Iam somnus incipit me fratri suo tradere.* Quod perinde est ac si dixisset? Hic meus somnus est quasi quoddam mortis præludium, nam hic me morti, quæ nihil aliud est quam somnus, & huius quem in me cernitis somni frater, tradet.

Cato. *Cicero.* *Gorgias.*

Sapiens ille Cinopeus Cinicus, cum morti vicinus, grauissimo ac profundissimo somno premeretur, quasi ludens & iocans animo hilari ad medicum, qui omnem operam vt ipsum teneret vigilantem, adhibebat, ne dormiret hortabatur, respondit: *Ne mireris frater; frater fratrem anteuertit.* Si ergo mors est somnus, cur tantoperè nos affligit? cur parentum aliorumq; affinium & amicorum mortes acerbis lachrymis deflemus?

Cinopeus.

Si ô Christiane, quando somno te opprimente ad lectum dormitum vadis, nullam inde animi molestiam capis, sed potius prōpta & alacri mente id agis; cur non etiam libenti ac hilari animo ad dormitionem in lecto sepulchri pergis? Dices forsitan: Cum ad

lectum

lectum dormiturus eo, mane iterum euig
at ſepulchrum ingrediens, minimè. Sed
non eſt bonum tuum ſed potius quędam
perfectio. Quia poſt breuem requiem ad
di miſerias reuerteris. Verum illa quie
pulchri, eſt requies longa & diuturna, &
illam ad mundanas haſce calamitates
non redis. Et quamuis ea ſomnus diutu
ſit, non tamen eſt æternus, nec diutius d
poteſt, quam vſq; ad Chriſti, mundum
iudicaturi, aduentum. Non audis S. Pa
hanc hominum à ſomno excitationem,
rum à lectis ſepulchrorum reſurrectio
Rom. 14. deſcribentem? *Omnes*, inquit, *reſurgemus.*
reuertemur vltra ad mundi miſerias, ſe
mus ad æternam cæleſtis Paradiſi fœli
tem; iuxta illam Domini ſententiam, cu
Matt. 25. cet: *Venite benedicti patris mei, poßidete re*
vobis paratum ab origine mundi. Quamob
cum tu vel tuorum aliquis mortem obi
liflere.

V.

INſigne hoc reſurrectionis noſtræ my
riũ, apertè nobis manifeſtatur, in illo
Lucæ 7. viduæ Naim reſuſcitato. Quid enim ſibi
Reſurrectionis noſtræ myſterium in filio Naim reſuſcitato pulchrè adumbratur. ille funeris contactus? *Tetigit loculum.* Illa
titorum ſtatio? *Et qui portabant ſteterunt.*
Chriſti vox? *Adoleſcens tibi dico ſurge.* Illa m
tui ſeſſio? *Et reſedit, qui erat mortuus.* Illa m
tui ad vitam reuocati locutio? *Et cœpit lo*
Illa denique matri redditio. *Et dedit eum m*
tri ſuæ? Nihil certè aliud, quam vniuerſal
corporum noſtrorum reſurrectionem? L
culi enim contactus, diuinam monſtrat v
tutem ac poteſtatem, qui die quadam le
l

am noſtrum, id eſt, mortuorum omnium ſepulchra continget. Statio quatuor portitorum; quatuor contrarias elementorum qualitates denotat, quæ inter ſe decertando & pugnando omnes homines ad corruptionē & mortem deducunt: quæ tum conſiſtent, quia manebunt in æquabili quadam temperie, nec amplius inter ſeſe diſcordabunt, adeóque nec corpora noſtra neci tradere poterunt. Vox Chriſti, vocem illam potentem, qua omnes ex obſcuris ſepulchrorum lectis euocabit dicens: *Surgite mortui venite ad iudicium.* Seſſio mortui reſuſcitati, æternam requiem ſignat, quæ poſt reſurrectionem ſequetur. Locutio eius, dulciſſima illa colloquia & ſermones monſtrat, quos tum iuſti cū Chriſto, cum Beatiſſ. eius genitrice Maria, cū ſanctis, atque inter ſeſe miſcebunt. Redditio demum, qua illum matri ſuæ reddidit, indicat quomodo omnes tradēdi ſimus velut filij chariſſimi, Eccleſiæ triumphanti in cœlis, quæ eſt mater noſtra, vti S. Paulus teſtatur. *Quæ ſurſum*, inquit, *eſt Ieruſalem libera eſt, quæ eſt* *Gal. 4.* *mater noſtra*: nam ſtatim poſteaquam reſuſcitati fuerimus, triumphantes in cælum tranſibimus (ſi tamen de numero electorum extiterimus) vt ibi ineffabili & feliciſſima illa beatitudine ac gloria in omne ęuum perfruamur. O præclarum Sacramentum, quod ſub mortui huius hiſtoria velatur & abſcōditur.

Ac proinde iuſtum eſſe arbitror, de hac reſurrectione, quę nobis chariſſima eſt, quęque in Euangelio hodierno nobis adumbratur, explicatiùs & vberiùs aliquid vobis proponere, eam præcipuè ob cauſam, quod, ſi illam ſero-

semper memoria retinuerimus, nūquam
tra mortem formidaturi, nec eam vel in
bis, vel in alijs caris nostris morientibus,
ploraturi simus. Hanc memoriam eleg
sententia commendat nobis sanctitate
minus quam eloquentia clarus Petrus Ch
sologus in *sermonibus suis*, cum ait: *Resurr*
nem mente, ore, oculis aspectet, tentet, cogitet C
stianus, vt totam mortis poßit calcare formid
Et quis nescit Seruatorem nostrum ad h
resurrectionem aspexisse, cum diceret ad
duam, cuius filius ad sepulchrum defer
tur, *Noli flere*? Quem & ego imitans, dico
ô Christiane, *Noli flere* propter alicuius tib
iam carissimi mortem: Audite attentis
mis quæ dicturus sum.

Petrus Chrysologus.

Nostisne quid nobis accidat quando in
pulchro recondimur? Idem nobis euen
æreæ statuæ peruetustæ, quæ propter tem
ris diuturnitatem, ab ærugine vitiata, exes
pro magna sui parte consumpta est. Hanc
tuarius vt restauret ac renouet, malleis co
fringit; eamq; sic in minutas partes redact
ardentissimæ fornaci inijcit. Vbi quamuis
mnino destrui videatur, quia tota ipsius fo
ma perit, attamen verè dici non potest, qu
destruatur; quia consumitur tantum defo
mitas, & imperfectiones, quibus antea ma
prædita erat. Quare non erit nobis cogitati
ne in metallo isto liquefacto subsistendu
sed vlterius eundum, & ipse finis attender
dus, quando videlicet metallum illud lique
factum & fusum, per occultos canales tra
siens, in statuam auratam elegantis speciei
formæ, omni defectu & macula carent
transib

Elegans similitudo à statuarijs desumpta resurrectionem nostrā exprimens.

transsibit & immutabitur; quæ postea in loco eminenti totius mundi oculis, magna cum aspicientium admiratione exponatur. Eodem modo Deus agit cum homine, qui est instar statuæ alicuius vetustissimæ, quia iam inde à mundi principio omnipotenti manu Dei formatus, tot annorum millibus mundum hunc incolit: hic per Adami protoparentis nostri peccatum, non modò in anima, verum etiam in corpore multos incurrit defectus, næuos & deformitates: Quid ergo Deus, primus hominis factor agit? Vt eum restauret & refingat, infirmitatis malleo ipsum totum soluit, prosternit, comminuit: atque in sepulchri fornacem inijcit. Hic autem non tota corporis eius substantia destruitur, sed potius ipsa mortalitas, & mors simul cum omnibus defectibus & imperfectionibus corporis consumitur. Testis huius rei est S. Chrysostomus *in opere imperfecto in Matth.* cum ait. *Corruptione corporis mors ipsa corrumpitur, & mortalitas destruitur, & non substantia corporis.* S. Chrysost.

O Christiane, quando hominem in sepulchro liquefieri, dissolui & in cinerem verti conspicis, noli hic sistere, sed cogitatione vlteriùs perge, & intelliges adfuturam aliquando diem, quando summus opifex & mundi huius architectus, ex cineribus illis, nouam faciet prodire statuam auream; hoc est nouũ corpus, gloriosum, & multò quam ante venustius atque splendidius. Confirmat hoc ipsum S. Chrysost. in illud Apostoli. *Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus:* Cuius hęc sunt verba. *Quemadmodum statua, quando in* S. Chrysost.

forna-

fornace confringitur, non deletur, sed renouatur: sic cum corpus nostrum moritur, non perit sed instauratur; Etenim statuarius, corpus aliquod ex ære in fornacem cum inijcit, auream tibi ac immortalem ex ære imaginem efficit: ita verò Deus ipse ex fictili ac mortali corpore in fornacem iniecto auream ac immortalem statuam effigiat.

1.Cor. 15. Non auditis S. Paulum, magnam illam Dei linguam idem affirmantem? *Seminatur,* inquit, *in corruptione, surget in incorruptionem; seminatur in ignobilitate, surget in gloriam. Seminatur in corruptione*, en statuam fornaci iniectam. *Surget in incorruptionem*, en statuam refusam ac reformatam. *Seminatur in ignobilitate*, en statuam deletam. *Surget in gloriam*, en statuam renouatam, atque de sepulchro gloriosam egressam.

Quæ statua tanta gloria decorata, postea in regni cœlestis sublimitate statim post resurrectionem collocabitur. Quapropter, ô Christiane, hanc renouationem quæ verè ac certò in omnibus morientibus complebitur, mente atque animo retinens, *Noli flere* in tua & carorum tuorum morte, quamuis per lapidem sine manibus abscissum ad terram prosternantur, & in puluerem redigantur.

Alia similitudo perelegans à tinctoribus petita. Nunquamne vidistis, auditores, quomodo tinctor vt preciosum & candidum pannum colore tingat purpureo; primò natiui coloris pannũ assumit, deinde in ahenũ ingens cõijcit, in omnem partem sæpius versat ac reuersat, ac demum probè percoctum & tinctum eximit: tum verò pannus iste multò quam ante pulchrior & gratior, multoqúe maioris digni-

dignitatis ac pretij redditus est. Qui postea ad publicam pompam & ostentationem in officinis exponitur. Eodem planè modo facit Deus nobiscum, vt nos renouet, atque perennis gloriæ colore tingat. In morte conijcit corpus nostrum, quæ est quasi pannus & vestis animæ in ahenum sepulchri, ibi vermium opera, nos in omnem partem versat, & reuersat. Veruntamen, (animum collapsum resumite fideles,) non semper illic sepulti manebimus: sed veniet aliquando dies vna; qua Dominus omnes nos ex aheno isto eximet, prorsus renouatos, & multò quam ante speciosiores ac splendidiores, nosquéin supremo illo cœlestis regni domicilio, omnium conspectui exponet. Audite facundissimum illum Græciæ oratorem & Archiepiscopum S. Chrysostomum, cuius hæc conceptio est. *Sicut*, inquit, *lana intingitur, naturalem habens colorem, vt coleretur purpurea, aut alicuius coloris accipiat dignitatem: sic & nos in morte descendimus corporales, & resurgemus spirituales.* Audite etiam S. Paulum magnam cæli tubam. *Seminatur*, inquit, *corpus animale, surget spirituale. Seminatur corpus animale*, hoc est, corpus naturale, aheno sepulchri iniectum; *Surget spirituale*, hoc est corpus restauratum, atque gloriosum beatumque effectum.

S. Chrysost.

1. Cor. 15.

Has ob causas ô Christiane, non est tibi in morte tua vel tuorum, tristandum aut flendum. Quapropter *Noli flere*. Sed audi & aliam rationem idem tibi persuadentem, & consolare.

Alia similitudo, ab ædificio ruinoso desumpta.

Deus in morte nobiscum agit, quod Dominus ruinosi alicuius domicilij, quod omni ex

ni ex parte casum minitatur. Quod vt resta ret ac renouet, primùm habitatores illius ei cit, his autem aliò ablegatis, totum soluit, terræ coæquat; tum verò denuò illud erigi sed multò quàm ante elegantiùs ac venust ùs, illoqúe perfecto, habitatores antea ex pulsos, ad illud inhabitandum reuocat. Isti ergo poterunt aduersus Dominum iustè cō moueri & indignari, quod eos è domo ill discedere iusserit? Nequaquam, imò læta potius eò quod illa, quæ Dominus facit, a domus ornatum & decorem spectent. No enim debent respicere ad præsentem ruin domusqúe totius euersionem, sed vltra pe gere & eam domum reædificatam ac reno tam iam animo præcipere, intueri, ac sib metipsis cum interno gaudio & exultatio dicere: hoc ædificium, multò quā ante sum ptuosius & elegantius, nos iterum aliquand inhabitabimus.

Ita, ô Christiani, facit nobiscum clemen tissimus Deus, vniuersalis omnium nostrum Dominus. Cōspiciens enim corpus nostrum quod est domicilium animæ, vel propter se nectutem, vel propter infirmitates ruinam minari, solo statuit coæquare, vt illud mult quam antè elegantius, renouet ac restaure Sed antequam id perficiat, demolitur & de ijcit illud in sepulchrum, & habitatorem eius spiritum siue animam eijcit, vt eam aliquan do maiori cum gaudio & lætitia iterum intro ducat, tum videlicet, quando magnificentio ri & excellentiori opere iterum erexerit ac re nouauerit domicilium illius, id est, corpus in vniuersali resurrectione.

Hos

Hoc forsan Ethnicus ille Sapiens, Gorgias Orator, (quamuis sublime hoc mysterium nō intelligeret) insinuare voluit, quando interrogatus an libens moreretur, Respondit *Maximè, nam tanquam ex putri & defluente domuncula non inuitus discedo.* Quapropter non debemus considerare præsentem ruinam corporis, prostrati, dissoluti & in sepulchro in cineres redacti, sed quale futurum sit, quando restauratū, & gloria dotatum fuerit, quādo etiam anima, quæ prius habitatrix illius fuerat, reuertetur. *Gorgias.*

Hunc eundem conceptum proponit nobis S. Chrysostomus in illa Apostoli verba, aliquoties allegata: *Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus:* non enim ab insigni hoc viro tum propter excellentem ipsius sanctimoniam, tum propter illius reconditam eruditionem & eximiam in enunciandis conceptibus facundiam auelli queo:) cum ait. *Deus corpus nostrum demolitur, & animum in eo habitantem, vt ex domo aliqua eijcit, vt cum aliam magnificentiore & clariore opere reædificauerit, illum maiori cum gloria introducat.* Audite præterea S. Paulum Doctorem gentium, eadem mysteria, sed verbis paucissimis, insinuantem: *Seminatur,* inquit, *in infirmitate, surget in virtutem. Seminatur in infirmitate,* hæc est domus quæ minatur ruinam, & in terram deijcitur. *Surget in virtutem,* hæc est domus post ruinam reædificata, multò fortior, pulchrior & excellentior. *S. Chrys.*

Resurrectio nostra sæpè animo repetenda vt

O Christiane quādo hanc resurrectionem sæpius mente animoqúe reuolueris, quando eam tibi crebrò ante oculos posueris, eamq;

mors non timeatur. vti iam præsentem aspexeris, mors nec animum neque sensus tuos valebit affligere, perturbare, aut mœrore afficere. Audi, quid Petrus Rauennas *in sermonibus suis* moneat. *Resonet, inquit, in ore nostro resurrectio semper: semper resurrectio ad nostræ mentis transmittatur auditum, vt mors quæ nostrum semper obsidet sensum cum terrore suo, cum lamentis suis, à nostris sensibus effugetur.* Quamobrem, noli desperare, noli temetipsum deformare, noli te mœrore & lachrymis conficere, quando amicorum, parentum aut affinium tuorum quispiam ex hac vita discedit: quia Deus animam illius tollit, & corpus terræ mandat, vt illud aliquando gloria dotatum restauret ac reparet, atque animam, ineffabili cum gaudio iterum introducat. Idcirco *Noli flere.*

VI.

Inuehitur in eos qui de filiorum & carorũ suorũ morte immodicè dolent. O Quam vesani, quam mentis ac rationis inopes, quam digni aspera obiurgatione sunt parentes, qui propter filiorum suorum mortem nullam admittunt consolationem, lachrymis sibi non temperant, animum suum tranquillare nolunt. Adhuc insipientiores sunt, dum de Deo, qui ex hoc mundo eos sustulit, quæruntur ac murmurant. O quam multi patres, quam non paucæ matres in hac stultitia & mentis inopia versantur? Quis enim non sæpius, illorum clamores, eiulatus, & lamenta exaudiuit? Nobilis ille Poëta Pictorius, hanc illorum vesaniam admirans ait.

Dilaceras crines, cælumq; vlulatibus imples,
Mæstaq; sanguineis vnguibus ora notas.

Cri-

Credis an extinctos huc posse resurgere na-tos?

Flere obitum, est addi vulnera vulneribus.

Stulti sunt, imò stultissimi, quia Deus libe-rosillorum pro bono non tantum ipsorum, sed etiam liberorum tollit. Magnũ enim re-ra & ingens beneficium est filijs, quando è vita hac, quam citissimè migrant.

Variis similitudinibus docet illos esse fœlices, qui in primis annis ex hoc mundo migrant.

Dicite mihi, obsecro vos, auditores, ecquis peregrinus non desiderat quamprimum re-uerti in patriam? ecquis mare nauigans nõ o-ptat ventum prosperum, & tranquillitatẽ sta-bilem, vt quam velocissimè ad portum naui-gationis finem liceat peruenire? Ecquis horũ, si hoc adeptus fuerit, & itineris sui cursum ce-lerrimè confecerit, nõ gaudio exilit. Iam an-te dixi, nos esse peregrinos, & nauigare per magnum mare huius mundi. Atque idcirco qui in pueritia, iuuentute, florida ac vigenti ætate mortem oppetunt, tanquam celerrimi viatores, & fortunatissimi nauigantes, ad su-pernam patriam, & tranquillum securumq́ue cœlestis beatitudinis portum, quam citissimè pertingunt. Cur ergo ô Christiane, in morte filiorum tuorum, tantopere contristaris? Cur lamentis te totum tradis? cur non potius gau-des, quòd ad beatissimam illam patriã & fœ-licissimum illum portum velociter appule-rint? Audi quid S. Cyprianus serm. 4. de om-nibus sanctis dicat. *Quis*, inquit, *non peregrè constitutus, properaret in patriam regredi? Quis non ad suos nauigare festinans ventum prosperum cupidus optaret, vt velociter charos liceret am-plecti? Patria nostra Paradisus est. Quid non pro-peramus & currimus, vt patriam nostram videre,*

S. Cyprian.

& parentes salutare possimus.

S. Ambrosius quotiescunque aliquem Episcopis aut Sacerdotibus vita functum accepisset, acerbè lachrymabatur, cum ab alijs interrogaretur, cur tam multis lac mis eorum, qui ex misera hac vita ad se piternam gloriam commigrassent, obi prosequeretur, respondit. Non eorum tum ex hoc mundo, & in cœlos ingres defleo, sed quod præcesserint, meque in ærumnarum valle post se reliquerint. S. L rentius cum videret S. Xystum summum tificem, prius morientem, atq; ad cœle gloriam martyrio coronatum se præcu vehementi fuit mœrore correptus. Quo nimaduertēs pater beatissimus, illius co landi causa, ait ad eum. *Noli fili mæstus esse, triduum me sequeris.* Ecce quomodo hi s non deplorabant aliorum mortem, sed in humano corpore vitam: non propter rum ex hoc mūdo emigrationem lachry bantur, sed ob suam in ærumnosa hac mansionem.

S. Ambros.

S. Laurent.

Magis deplorandi sunt qui diu viuunt, quam qui citò moriuntur.

Seneca.

Verè enim fratres mei, maiorem habe causam, deflendi eos, qui iter suum tardè ficiunt, qui ad nauigationis suæ finem ta perueniunt, qui longam, dico, in hoc sæc vitam viuunt: quam eos lachrymis proseq di, qui hinc velociter emigrant. Sciuit hoc pientissimus Seneca, homo gentilis, qui ep ait. *Si quis morte inter primos annos delatus est, magis queri debet, quam qui citò nauigauit.*

O sententiam dignam prorsus, quam nusquisque nostrum menti suæ quam pr fundissimè imprimat, ne vel suam, vel su

ru

rum mortem deploret. Hæc igitur ô Parentes, vobiscũ expendentes, *Nolite flere* in filiorum vestrorum funeribus, quin potius lætamini & festum diem agite: ad vtilitatem namque illorum, non nocumentum; ad gaudium, non mœstitiam id pertinet. Verùm vt efficaciùs consolemini, attendite quod dicturus sum.

Eleganti similitudine declarat filiorum mortem nõ esse deflendam.

Dic mihi obsecro, tu quisquis filiorum tuorum, ex hac vita egressum dolenter sustines. Si Rex Philippus, hoc tempore, diuitijs ac potentia supra cæteros reges eminens, filium tuum, omnium quos haberes, charissimum ac iucundissimum, à te posceret, vt illum inter præcipuos aulicos suos cooptaret; an non prompto ac libenti animo illum traderes? Nũ dando fleres? num lachrymis ac mœrore te conficeres? Nequaquam, imò gaudio potius exilires, etiamsi eum vltra visurus non esses. Cur ergo non multo maiorem hauris lætitiam, quando totius cæli ac terræ Rex & Dominus omnibus terræ Regibus longè maior & potentior, filium tibi eripit, vt secum viuat in aula non Hispaniæ, sed amplissimi cœlestis regni? Quæ autem Hispaniarum comparatio cum cælo? Neq; solum, vt secum maneat, sed etiam regnet, atque triumphet, & non purpura sed iucunditate vestiat. De illo enim qui ad supernum illud regnũ pertingit, scriptum est. *Stolam iucunditatis induit eum Dominus.* Quamobrem ob tãtum ipsius honorem, tantam magnificentiã, noli ô Pater, ô Mater, in filiorum tuorũ morte plorare, crines vellere, pectus lacerare, ac desperanti similia face-

facere; *Noli flere*; sed potius gaude, quod
cælorum eos ad supernum illud regnũ e
cauerit, vt illos beatificaret, glorificaret,
ingenti gloria & maiestate cumulatos,
cum perenniter regnare ac triũphare fac

Præclarum Philippi Hispaniarum regis factũ.

Quilibet sanè homo semper recordari
beret verborum illorum, quæ idem Re
morte filij sui maioris, (non inquam pri
geniti, notum est enim quam eximiũ in n
te illius zelum, quamque insignem re
nem ac fidem optimus hic rex demonstr
sed cæterorum natorum post illum natu
ximi, qui, si superuixisset, totius Hisp
princeps, & omnium Regnorum illius
cessor ac hæres futurus fuisset. Non enim
tere potest te. ô Neapolis, quod per litera
bi mandauerit, vt nulla faceres funeralia,
signum aliquod mœstitiæ propter filij m
tem præberes: Eo quod scriberet il
spretis atque contemptis huius mundi
nis, ad regnum cæleste, omnibus terrenis
gnis multò amplius, multò iucundius, m
tò beatius & florentius immortaliter reg
turum transijsse. Et cum ij, qui ad alios reg
Legatos mittunt, charissimum quemquẽ
amicis & familiaribus suis ad hoc deligãt
filium ad Regem cælestem, supremum tot
mundi monarcham, Legati & intercessor
officio simul functurum destinasse: nec al
um quemquam è familia sua eò amanda
debuisse, quam filium. Similia omnibus po
pulis sibi subiectis scripsit. O verba dig
quæ literis aureis describantur. & in marmo
reis columnis ad perpetuam memoriam in
sculpantur. O præclarum exemplum Re

gis integerrimi. O Regem sanctissimum, omnium Regum, Principum, Dominorum, atque omnium hominum exemplar in quod intuentur, ne mortem filiorum suorum dolenter ferant, aut nimio mœrore absorbeantur.

O Christiane, si optimus hic Monarcha, qui filium, quem omnium regnorum & dominiorum suorum heredem habiturus erat, eximio amore complectebatur, in morte illius, nullum voluit à subditis suis mæstitiæ ac doloris indicium exhiberi, cur tu, propter filij aut filiæ mortem, cui respectu immensarũ diuitiarum & amplissimorum dominiorum potérissimi Regis huius, paulò plus quam nihil relicturus eras, desperabis? in tenebris ac luctu versaberis? mœrore teipsum conficies? Quocirca quamuis lapis mortis, filium, filiam, siue aliquem ex cognatis, affinibus, aut amicis tuis ad terram prostrauerit, *Noli flere.* Quia contempta hæreditate terrena, ad regni cœlestis possessionem transit: & relictis mundi huius rebus atque diuitijs, in cœlum perenniter regnaturus & triumphaturus migrat, vt ibi Legati, Aduocati & intercessoris officio pro te fungatur. Audi quid magnus Isidorus lib. 3. *de summo bono* dicat. *Illi*, inquit, *plorandi sunt in morte, quos miseros, infernus ex hac vita recipit: non quos cœlestis aula lætificando inclusit.* *Isidorus.*

Præterea ô Pater, ô Mater, quando Deus filium aut filiam, quã immodico amore cõplecteris, tibi eripit, id facit, in bonum & vtilitatem tuam: atque tum primum dat signum, quod te plurimum diligat, quodque illi exi- *Deus liberos parentibus, ad ipsorum & bonũ aufert.*

mè charus & amicus sis. Exemplo quodam luculenter demonstrabo verum esse quod dico. Attende.

Eleganti similitudine id demonstratur.

Dic mihi, si duo simul ad lumen candelæ aleis aut chartis colluderent, quorum vnus aduersante fortuna semper ludum amitteret, iamq; in eo discrimine versaretur, quod omnium quæ in mundo possidet, iacturam vno aleæ iactu facturus esset, si tum aliquis assistentium, & ludum spectantium periculo illius animaduerso, eleganti arte halitu suo ventum faciens, lumen extingueret, vt à ludendo desisterent, nonne hoc veri amici magnum esset argumētum: & manifestū eximij amoris indicium? Vtiq;. Quia hoc agendo, ludum conuerteret in iocum, lusui finem imponeret, & magnum illud perdentis damnum auerteret, qui alioqui totius substantiæ suæ iacturam fecisset. O Pater, ô Mater ingens hoc beneficium, euidens hoc amoris signum exhibet tibi clementissimus Deus, quando filium aut filiam aufert.

Non ignoras in diuinis literis filium appellari lucernam: sic enim ait sapiens illa Thecuitis ad regem Dauid loquens de filio suo

2. Reg. 14. *Quærunt extinguere lucernam meam, quæ relicta est.* Interea dum lucerna hæc ardet; dum nimirum filius tuus vita fruitur, vt eum dites, & amplam ei hæreditatem relinquas, ludum cū dæmone auspicaris: quia, vt dici solet, per fas & nefas opes congregare, illumq; in hoc mundo honoratiorem ac florētiorem quam temetipsum reddere satagis.

Hei quam nimis verum est, quod propter filios, Dominus subditos suos tyrannicum in

morem

morem emũgit & excarnificat. Nobilis alios atque alios nocendi modos excogitat. Iudex sententias fert iniustas, nec vllam causarũ viduarũ ac pupillorum rationẽ habet; Aduocatus, omnẽ causam siue iustam siue iniustã ad defendendum suscipit. Notarius scripta falsificat, contractus illicitos erigit, testamenta celat; Medic⁹ ęgrotorum magnam optat esse copiam, atq; ægritudines eorum de die in diem extrahit. Mercator vsuras, dolos, atq; circumueniendi artes multiplicat. Opifex opera sua falsificat, atque pluris, quam valeãt, ea diuendit. O te igitur infœlicem parentem, qui vt filius tuus omnibus commodis ac delitijs affluat, vt filiam splendido alicui viro in matrimonium colloces, in hoc ludo rerum tuarum iacturam facis: perdis enim cõscientiam, perdis diuinum timorem, obliuisceris Dei atque sanctorum illius, amittis verecundiam, bonarum actionum iacturam pateris, omnes virtutes, atque adeo cęlum ipsum deperdis. O iacturam incomparabilem. Imo exponis te ingenti periculo, amittendi in sempiternum id, quo nihil melius ac pretiosius habes in mundo, videlicet animam tuã: quia nihil amplius restat, quam vt dęmon in morte plectat funem de præterita vita tua, atque animam tuam vinctam secum ad tenebrosã damnatorum regionem pertrahat, illamqúe in possessionem accipiat.

Sed pijssimus & clementissimus Deus, qui è summo cœlo ludum hunc intuetur, videns damnũ tuum incomparabile, & ingens discrimen perdendæ animæ tuę in quo versabaris animaduertens, infirmitatis alicuius ha-

litu, aut exiguo vento alicuius acutæ febriculæ, doloris ingentis, simptomatis insoliti, extinguit lucernam, eripit, inquam, lumen vitæ filio, aut filiæ tuæ. Cur autem id facit, nisi vt vltra non ludas, atque rerum tuarum vlteriorem iacturam facias? O veri amici signum. O singularis amoris indicium. Vides enim, quod sublata omni occasione & spe illũ, quem tantoperè diligebas ditandi, à ludo cessaturus, & tibijpsi dicturus sis. Cum filios non habeam, cur facultates & opes plurimas accumulem? cur memetipsum frustraneis laboribus conficiã? Melius est quod me paulisper colligam, de anima mea sollicitus sim, malè acquisita restituam, bonis operibus insistam. Hinc igitur fit, vt iam meliori & tranquilliori cum conscientia Deo viuere studeas, nulla in subditos vtaris tyrannide, nemini iniuriam facias, nihil nisi quod iustum & rectum sit approbes, malè agere erubescas, bonis actionib' insudes, non viuas vltra sine diuino timore, Dei atque sanctorum illius sæpè recorderis, de cœlo atque cælestibus rebus crebrò cogites, vias omnes quibus ad cœlestem beatitudinem pertingere possis inquiras, ac demum animæ tuæ attentissimam agas curã. O sanctã mutationẽ. Quamobrẽ ô Pater, ô Mater, propter tã eximiã animę tuę vtilitatẽ, propter singulare diuini amoris erga te indiciũ, ac denique propter filiorũ tuorũ bonũ, in morte illorum, *Noli flere*, sed potius gaude, cõsolare, & gratias age Dño vitæ ac mortis, ac vero saluatori animę tuę. Nũ ignoras quod maiorẽ salutis animæ tuæ, quã corporis filij tui rationem habere debeas? Illud viuens exponit te periculo

culo perdendi eam: moriens verò iterũ te incitat ad recipiendam & saluandam eam. Animaduertis ergo, quam ingens stultitia & mẽtis inopia sit flere, & mœrore contabescere in filiorum aut filiarum ex hac vita discessu.

Cæterũ multò adhuc amentiores sunt, qui dolent ac murmurant cõtra Deum, quãdo filius aliquis eis eripitur, quasi graui ab eo affecti fuissent iniuria. Amentes inquã sunt, imò amentissimi, quia citra omnem rationẽ murmurant, seq; iudicio prorsũ spoliatos esse demonstrant: cum Deus nihil eis abstulerit, sed quod suum erat repetierit, in quo nullam parentes partem, neq; ius vllum habebant. Intelligite veritatem eorum quæ assero.

Amentissimi sunt qui contra Deum propter filiorum suorũ mortẽ murmurãt.

Dic mihi ô Christiane, quæ ratio, quæ iustitiæ vis prohibet, ne quis depositum quod alteri commendauit, repetere, & quando collibitum fuerit recipere possit? Vt exẽpli causa, si quis alteri pretiosum aliquod margaritarũ, quod sub claue in scrinio siue cista aliqua custodiret tradidisset. & postea metuens, ne forsitã furto ablatum sit, aut quia sic libet, illud repeteret, an non alter statim ei depositũ reddere, sine vlteriori querulatione obligat^9 foret? Si autẽ de hoc quereretur, nonne homo amentissimus, omniq; iudicio ac ratione carere censendus esset? Vtique; nihil. n. eorũ quæ ipsius sunt alius aufert, sed suum dũtaxat margaritum, in quo nullam dominij partem potest prætexere, relicto illi scrinio siue theca, in qua illud asseruauerat. Nota diligenter ô Christiane quæ dico.

Eleganti similitudine id declaratur.

Summus mundi rector & Dominus, deponit apud nos pretiosas margaritas, quæ sũt

animæ

animæ rationales, quæ à diuina illius potentia plenè atque integrè prodeunt, quia ab illo ex nihilo creantur. Quando Deus vnam illorum creat, eam nobis mortalibus tradit veluti depositum, infundens & collocans eam in scrinio siue theca corporis filij aut filiæ illius quæ in hunc mundum editur. Hanc vel propter meram voluntatem suã, vel quia timet ne si diutius quam par est inter nos degat, Dęmonibus ea sibi furto eripiatur, è corpore in quo ea inclusa est, & veluti depositũ asseruatur, aufert. Non auditis sacram scripturam

Sap. 4. id confirmantem, *Raptus est*, inquit, *ne malitia mutaret intellectum eius*. Cum ergo Deus depositum suum tantummodo non aliquid nostrum reposcat, nemo poterit iusto iure mortem siue filij siue alterius cuiusquam dolenter ferre.

Tollit enim Deus quod suum erat, suam margaritam, suam animam, in qua nos nullam habemus partem: quia cum illam sine nobis cõdiderit, tota ipsius est: id vero quod nostrum erat, thecam videlicet siue scriniũ, id est, corpus a nobis generatũ, nobis relinquit. Cur ergo ô Pater, ô Mater, lachrymis te maceras? cur luctu ac mœrore contabescis? cur contra Deum murmuras, propter obitum filij? Nondũ intelligis, quod citra rationem id agas, cum ille nihil tibi quod tuum erat abstulerit, sed suam tantummodo margaritam, suam animam repetierit, relicta tibi domuncula siue scrinio, in quo eadem asseruata fuerat, id est, corpore quod generasti. Si fœtorem illius ac graueolentiam metuis, balsamo illud perunge, & retine illud apud te in domo, in cubicu-

lo, in lecto, quamdiu placet, Deus tibi illud nunquam eripiet, nunquam è domo tua tollet. Papę, tu ipse crudelis es in viscera & sanguinem siue carnem tuam: videns enim Deum abstulisse quod suum erat, paulo post etiam è domo eijcis id quod tuum est. Quamobré Dominus, ne illud in locum communem ac prophanum, vbi ferarum cibus fieret conijceres: sepulchra in locis sacris constituit, in quibus illud terræ mandares.

Audi ô Pater, ô Mater, prudens consilium quod dat sapientissimus Socrates, quamuis Ethnicus, & pudore suffundere. *Relinquenda,* inquit, *est anima, nec lachrymis, nec fletibus turbāda est.* Quocirca vt hanc vesaniam & mentis inopiam effugias, quamuis lapis mortis feriat & prosternat filium tuum, noli dolenter ferre, noli de Deo conqueri, quia quod suum est, non quod tuum, abstulit: ac proinde noli tristari, *Noli flere.*

VII.

QVam multi gentilium ô Christiane (recensebo enim illos ad perpetuā confusionem tuam) in mundo extiterunt, qui ex necibus filiorum suorum, nullam hauserunt tristitiam, nec vllum vel minimum doloris signum ostenderunt, quantumuis non crederēt neque sperarent, quod ad meliorem ac beatorē vitam transijssent, quemadmodum nos certò credimus, speramus, & cōfitemur? Audi.

Gentilium exemplis demōstrat, filiorū mortē non esse deflendam.

Lacon, inter Græcos celeberrimus, quando cettior redditus fuit, filium in bello cecidisse, non indoluit, nec vllam vel exiguam tristitiæ vocem emisit, sed animo hilari & ad modestiam composito ait ad nūcij huius ba-

Laconis. Plutar. in Laco.

iulos;

iulos; Idcirco genueram eum, vt eſſet, qui patria mori ac vitã profundere nõ dubitaret.

Q. Martij.

Quintus Martius Conſul Romanus, cum vnico filio ſibi obſequẽtiſſimo orbatus eſſet, facie nihil immutata, ipſo die exequiarum eius abijt in Curiam, totumq́ Senatum iuſſit congregari, vt cum eo de rebus ad Rempub. pertinentibus tractaret, atque conſultaret.

Periclis.

Pericles inter Athenienſes omnium facile primus, cum quatuor dierum ſpatio binis filijs ſpoliatus eſſet, admiranda virtute, nihil vnquam animo cõmotus aut turbat⁹ eſt, ſed iiſdem diebus ſerto coronatus (quod lætitiæ ſignum erat apud veteres) per vrbem inceſſit.

Sophoclis.

O quam ſapiens conſilium, hac in re ſuppeditat nobis Sophocles, qui homines ad natorum ſuorum natiuitatem deflendam, obitum vero gaudio proſequendam adhortatur. Oportet, inquit, *nos ratiocinantes plorare natũ, in maxima ingreſſum mala: & mortuum, vitæq́, ſubductum malis, efferre lætos, gratulanteſque ædibus.* O ſententiam dignam, quæ aureis literis deſcribatur.

Si ergo illi, in filiorum ſuorum exceſſu ſemetipſos ſolabantur, & ad lætitiam excitabant, conſideratione humanæ conditionis, quod nimirum omnes morti ſeu naturali, ſeu violentæ ſimus obnoxij, quodq́ per illa m ab huius mundi miſerijs eripiamur: quanto magis ô Chriſtiane temetipſum ſolari, imò plurimum gaudere debes, quando aliquis filiorum, filiarum, aut conſanguinitate tibi coniunctorum mortem obit: cõſiderando nimirum, præter communem illam omniũ mor-

Quid conſiderandum Chriſtiano vt filiorum mortẽ modeſte ferat.

alium cõditionem, ſublatam tibi eſſe occa-
ſionem malè agendi &perdendi animam,dũ
(vt iam dictum eſt,)illos opibus in hoc mun-
do vis augere ac florentes reddere: Deũ nul-
lam tibi irrogare iniuriam, dum tollit animã 1.
quæ ſua eſt : corpora illorum in ſepulchris 2.
ſomnum capere,&ad futuram aliquando di- 3.
em,quando ſplendidiores,illuſtriores atque
perfectiores,quàm modo ſint,reſurgent: eos 4.
hinc emigrando ad portum ſecurum, ad pa-
triam,ad Paradiſum,vbi perẽniter cum Deo 5.
regnent atque triumphent,tranſire : ac de-
mum illos forſitan,ſi diutius in mundo vixiſ-
ſent, ſcelera ſceleribus cumulando æternam
damnationẽ ſibi paraturos, atq; in morte ad
infeliciſſimam damnatorum ſedem migra-
turos fuiſſe.

O Pater,ô Mater, cui filius aut filia morte ſublata eſt,cur tantoperè doles, cur tantam animo mæſtitiam cõcipis? ſi.n.ei loqui poſſes, atque ab illo ſciſcitari,iterumne ad vitam reuerti,tecumque in terris viuere optet: procul dubio tibi reſponderet, Nequaquam, quid quęris damnum meum pater aut mater mea? Et ſi ille te quicunque mortem,aut vt rectius dicam abſceſſum illius defles, poſſet alloqui, leniter te obiurgaret, atque cum Poeta Italo, hæc tibi verba diceret.

Piangi Padre la vita,o la mia morte?
Se la vita,ti ſpiace il mio contento;
Se la morte,ecco io viuo io parlo,io ſento;
Io viuo dunque in piu felice ſorte.
Son meco le mondane angoſcie morte,
Il caldo,il freddo,il pianto ogni tormento;
Il corpo allhor,lo ſpirito non fu ſpento,

Che lieto gionse ala celeste corte.
Del mio tosto partir forse ti lagni?
Il mondo è vn laberinto, è non sai? doue
Notte sempre si vede, e mai l'aurora.
Se, perche non mi vedi, gli occhi bagni
Di lachryme, che'l cour da gli occhi pioue
Rasciunga il pianto si vedremo ancora.

Id est. Vitamne an mortem meam, defles ô Pater? Si vitam, molestè fers requiem & bonum meum. Si mortem, en viuo, loquor, sentio: viuo, inquam, multò quam ante beatius; mecum mortuæ sunt mundi molestiæ, calor, frigus, luctus & omne tormentum; corpus tantum non spiritus fuit exagitatus: is enim gaudens ad cæleste regnum transijt. De meo nimis repentino abitu fortè ploras? Verum nunquid te fugit mundum esse labyrinthum in quo mox semper & nunquam aurora cernitur? Si autem idcirco à lachrymis, quas cor tuum ab oculis profundit, tibi non temperas, quia me vltra non vides; exterge illas, quia iterum nos videbimus. Aut cum altero Poeta dicet tibi.

Et hora il mio morir, che si t'annoia
Ti farebbe allegrar, si tu sentissi
La millesima parte di mia gioga.

Hoc est mors mea quæ tibi luctum & molestiam parit, gaudium tibi adferret, si vel millesimam gloriæ ac gaudiorum meorum partem experiri posses.

Præsens vita mors potius quam vita appellanda est.
Ioan 5.

O Christiani, præsens hæc vita non est vita, sed potius mors quædã, illa vero superna vita, verè appellanda est vita; Non auditis Christum affirmantem? *Qui*, inquit, *verbum meum audit, & credit ei qui misit me, transiet à morte in*

vitam.

itam. Quibus verbis nihil aliud indicare vo-
uit, quàm eum qui credit in Deum, & illius
nandata custodit, egressurum ex hac vita,
juæ nihil est nisi mors quædam, ad supernã
llam & immortalem, in quam vitę nomẽ ve-
issimè quadrat. Sic de S. Agnete quãdo Mar-
yrio coronata ad cælum migrauit, scriptum
est. *Mortem perdidit & vitam inuenit.* Idem vi- *In vitā eius à S. Ambr. descripta.*
detur doctus Euripides multò ante tẽpore,
iis verbis enunciasse. *Viuere*, inquit, *mori est*, *Euripides.*
non autem viuere. quibus Christianum magis
ominem quam Ethnicum exprimit. Est i-
itur præsens hæc vita, mors quædam; illa
erò gloriosa, æterna, & immortalis, vita ve-
è appellanda. *Transiet à morte in vitam.* Quam-
brem ô Pater, ô Mater, etiamsi durus hic la-
is, effera mors, filium tuum, quem habebas
carissimum, prosternat, *Noli flere*, quia dere- *Peccatũ potius quam mors deflendum.*
liquit vitam hanc quæ morti similis est. & trã-
siuit ad aliam, quæ immortalis est. Porro, cur
tantoperè mortem lamentamur, deflemus; *Plato.*
& non potius peccatum, quod causa illius est?
De hoc magis nobis tristandum esset, ne assi-
milaremur canibus; *Qui*, vti diuinus Plato
ait, *lapides tactos mordent: ipsos autem, qui lase-
runt, non attingunt.* Namque dum mortem &
non peccatum deploramus, lapidem solum
nos atterentem mordemus, non autem pec-
catum, à quo lapis hic prodijt: mors enim, vti
in principio diximus, est lapis, qui à monte
peccati abscissus est. Ac proinde acerbius no-
bis plangendum foret propter peccatũ, quod
omne nocumentum nobis adfert, quam pro-
pter mortem, quæ vtilissima nobis est, nos'q;
ad æternam vitam perducit.

VIII.

Cur Deus probos ex hoc mundo tollat.

VErum dicet forsitan parentum aliq
Continere me nequeo, vt non defle
mortem filij mei, quia tam probus, tamq
cuti & singularis erat ingenij, vt non obsc
indicaret, si superuixisset, illum magnæ a
mationis virum, ac generis mei splendor
& gloriam futurum fuisse. Hoc est quod
potissimum cruciat, quod animo meo no
dieq́ue nullam concedit requiem. O Ch
stiane, neque hanc quidem ob causam
tristandum est, sed potius gaudendum. Q
Deus è mundo filium tuum, iuuenem p
bum, eximiæq; virtutis & expectationis,
flore atq; vigore annorũ suorum eripit, q
timet, ne annis crescentibus mores suos
mutet, adeoq́; illum perdat. Nouit enim p
bè, quod cacodæmon vitę hominis omni
pore tendat insidias, vt eum si vna in ętate
quit, in altera saltem circumueniat, sibiq́;
sequentem faciat.

Quia ergo Deus illum secum in cœlesti
gno vult esse ac triumphare, tollit eum du
adhuc probus est, ne crudelis hic hostis, al
quam in eo partem sibi vendicet. Solet eni
Dominus bonos in primis annis atq; in flor
da vigentiq́; ætate ex hoc mundo tollere, im
probis verò ac sceleratis longæuam ac pro
speram in hoc sæculo vitã impartiri: sed ho
facit ad proborum quidẽ vtilitatem, impro
borum verò æternam damnatonem. Ad ho
respexit sacra scriptura, quãdo homines va
rijs in locis fructus nominat. Vt in libr. Sapi
ent. *Natiuitatis fructus pascunt*. Et in Psalmis:
De fructu ventris tui ponam super sedem tuam, &
alijs

Sap. 16.
Psal. 131.

alijs similiter in locis. O rarum & singulare mysterium. O mysticam metaphoram. O locutionē lætam & formidabilē: lætam iustis, formidabilem peccatoribus. Attendite.

Cur homines fructus appellentur.

Nuncupātur fructus. Quia quemadmodū in hortis aliqui sunt fructus, qui ad leuem radiorum solarium contactum facilè maturescunt, & tempore veris colligi queunt, atq; si nimis diu in arbore relinquantur putrefiunt: quales sunt, pruna, cerasa, & alij similes, qui primis caloribus maturitatem suam adipiscuntur. Sūt & alij adeò natura duri, insuaues, & acerbi, qui quamuis radijs solaribus veris calefiant, ęstatis caloribus excoquantur, ventorū flatibus concutiantur, ab hortulano ꝓbè colantur & irrigentur, nihilo secius in eadem ea semper manēt duritie atque insuauitate, qui nisi igne torreantur & coquantur, cōmodè manducari nequeunt. Tales sunt, pira & poma nonnulla, quæ sub Autūni finē colligūtur. Ita etiā sunt aliqui homines, in magno huius mundi viridario, qui ad minimum diuinæ gratię radiū, ad leuem diuini amoris calorem, ad exiguū Spiritus sancti flatum in primis annis, & quasi, vt ita dicam, in vere ætatis seu vitæ suæ ad maturitatem perueniunt, perfectamq; probitatem assequuntur. Quos Dominus, metuens ne, si eos ex hoc mundo auferre tardet, vitijs ac malitiæ inquinentur, & inficientur, colligit in vere, id est, in primæuo ętatis suæ tempore, atque in cælum transfert. Non auditis Salomonem id contestantem? *Placens*, inquit, *Deo, factus dilectus, raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius*. Cui sententiæ suffragatur Sap. 4.

Euripides. Menander.

Euripides, dicẽs. *De⁹ sæpè, quos plurimi facit,*
citius aufert è vita. Et sapiens Menander, qu
Salomone forsan hoc didicit. *Dilectus*, ait,
in iuuentute moritur.

At è contrario sunt & alij homines ta
duri, acerbi, & ad benè agẽdum inutiles, (n
scio an dicam propter naturę corruptione
an propter malitiam) vt etiam sæpenume
radijs gratię præueniẽtis illustrati, diuinoru
beneficiorum calore inflãmati, Spirit⁹ san
vento afflati, diuini verbi prędicationibus
aquis irrigati, Doctorum, Theologorũ, a
rumq; Concionatorũ, correctionibus, adm
nitionibus, & reprehensionibus exculti, n
Iosecius in sua duritie, crudelitate, prote
& obstinatione in malis perseuerent. De
trisque ait Ecclesiast. *Iustus perit in iustitia,*
& impius multo viuit tempore in malitia sua.
magnus Apollinius Ethnicorum sapient
non minimus. *Homini fortunato*, ait, *breu*
vita, infortunato verò longa. Hisce impijs ho
nibus nonnunquam adhibet Deus ignem
bulationum, laborum, & calamitatum,
experiatur an eos ad probitatem aliquã po
perducere, aut certè si hoc igne illos non p
bet, ad extremum illos in sempiterna g
hennæ incendia conijcit. *Mittentur*, ait scri
tura, *in caminum ignis ardentis, ibi erit fletus*
stridor dentium. Ecce, quam bellè in diuinis l
teris appellamur fructus. Quocirca ô Chr
stianę, *Noli flere*, noli temetipsum affliger
noli lachrymis te macerare, quando Dom
nus filium aliquem, bonæ indolis iuuenem
ac magnæ spei, in vere ætatis suæ, è mund
tollit; Quia diuinæ maiestati illius etiam pla
cen

Eccl. 7.
Apollon.
Matt. 13.

cent, ea quæ bona & perfecta ſunt. Nonne Sapiens id clariſſimis verbis teſtatur, cum ait? *Placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatis.* Quin potius plange illos, qui vſque ad extremam ſenectutem viuunt, nec tamen ad maturitatem aut probitatem aliquam deueniunt, qui demum ad aliud nihil vtiles erunt, quam vt æternorum incendiorum ſint ſtipulæ ac fomentum. Audite ô Patres, ô Matres, ô boni, ô peccatores, quam aperta & perſpicua ſententia, doceat Seneca in Agamemnone, non mortuos ſed viuos deplorandos eſſe: ſic enim ait. Sap. 4.

Non ego quos rapuit mors, defleo, defleo viuos,

Quos vrunt longa fata futura metu.

Attendite porrò ad ea quæ dicturus ſum, ex illis enim intelligetis, mortem probis hominibus bonam eſſe, ac vita multò meliorem atque optatiorem.

Quid, obſecro, cauſæ eſt, quod iuſtis veteris teſtamenti pro diuinorum mandatorum obſeruantia promittitur vitæ longiturnitas, in nouo autem teſtamento Chriſtus mortem illis pollicetur? Illis enim dicitur. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram. Cuſtodite leges meas atque iudicia, quæ faciens homo viuet in eis.* His verò. *Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Et tradent vos in tribulationem & occident vos.* Quod perinde eſt ac ſi dixiſſet Chriſtus. Pro mei ſequela, pro mandatorum meorum cuſtodia, omnium odia incurretis, varijs tribulationibus affligemini, ac demum ad ipſam vſq; ne-

Exod. 20. Leuit. 18. Matt. 10.

Cur in veteri teſtamento iuſtis promittatur vi-

ta longitur-nitas, in no-uo autem mors. cem vos persequentur. Duobus etiam chari-
ßimis discipulis & cognatis suis, cum interro-
gati an calicem suum possent bibere, cum au-
Matt. 20. dacter ac proptè respondissent, *Possumus*, ait:
Calicem meum bibetis. Quasi dixisset. Postea-
quam omnia quæ iussi, perfeceritis, calicem
martyrij ac mortis, in omnium horum repé-
sionem vobis potandum præbebo. Vnde au-
tem hæc noui ac veteris testamenti diuersitas
oritur, Cũ tamẽ vnus idemq́ue sit Deus, Domi-
nus & lator vtriusque legis? Vnde tanta in
præmio contrarietas, vt in vna vita, in altera
mors promittatur? Causa hęc est: Quia patres
veteris testamenti, è vita hac emigrãtes, qui-
uis iustitiæ ac sanctitatis laude claruissent, non
statim cælos petebant, quia portæ regni cæle-
stis nõdum erant Christi sanguine reseratæ,
sed ad Lymbum, locum tenebrosum, in terræ
viscerib⁹ constitutum, & inferno contiguum
transibãt. Idcirco Diuina maiestas, existimãs
melius illis esse in hoc mundo viuere, quam
ad infera hæc loca migrare, mandatorum su-
orũ obseruatoribus vitæ longæuitatem pro-
mittebat. At in nouo testamento, quia homi-
nes in gratia morientes, nõ amplius ad Lym-
bũ, sed ad æternam cælestis Paradisi fęlicitatẽ
migrãt, reseratis nimirum per Christi passio-
nem ac mortem cœlorum ianuis, proinde
Dominus omnibus se sequentibus, & sanctis-
simas leges suas obseruantibus nõ vitam, sed
mortem pollicetur, quia hæc est via & ostiũ,
per quod transitur ad æternam & immortalẽ
Eccl. 22. vitam. Hinc veteris testamenti patribus, quia
Ezech. 24: ad Lymbum abibant, dictum est; *Super mor-
tuum modicum plora*: nobis vero ad cælos emi-
gran-

antibus per Ezechielem dicitur: *Non plan- neque plorabis, & mortuorum luctum non fa- cies*. Quando igitur, ô Christiane, aliquis filiorum aut consanguineorum tuorum, hinc ad cælos abscedit, *Noli flere*, sed potius lætare & diem festum age.

IX.

O Fideles quicunque Christi tenetis disciplinam, eique nomen in baptismo dedi- tis, volo vos omnes mecum bono & iucundo esse animo, nec mortem quicquam formidare, quia nulla nobis subest causa, cur eam metuere debeamus. Cur enim eam reformidemus, cū veniat ad nos exarmata, quia Christus eam omnibus armis, quibus nobis incōmodare posset, spoliauit? Quæ autem erant illius arma, quibus nos ferire, sauciare atque interimere poterat? Peccatum, quemadmodum S. Paulus ad Corinth. testatur. *Stimulus*, inquit, *mortis peccatū est*, at Christus morte sua in cruce obita, hunc stimulum abstulit, confregit atq; cōminuit, ac proinde nullū nobis vltra, si nolimus, potest nocumentū adferre.

Mors nihil nobis est metuenda quia exarmata venit ad nos

1. Cor. 15.

Nostisne quid acciderit morti cum Christum vita spoliare conaretur? Idem quod euenit vespæ, quando aculeo suo lapidem, in quem fortè offendit, adoritur: nullum enim lapidi potest inferre detrimentū, at sibimet ipsi plurimum nocet; nam confringit ac perdit aculeum suum, quo solo seipsam potest defendere, adeò vt deinceps nemini possit nocere. Ita & mortis arma erant aculeus siue stimulus peccati, quo omnibus nobis ingētia adferebat detrimenta: sed postea multò audacior effecta, voluit etiam in Christum pe-

tram duriſſimam , *Petra autem erat Chri*
1. Cor. 10. incurrere.In hoc autem inſultu,confregit
amiſit prorſus aculeum ſuũ:ita vt qui prius
illius memoriam terrebantur & exanima
tur, videntes à Chriſto arma illius ſublata
comminuta eſſe,inſultent & dicant ei cum
Paulo. *Vbi eſt mors, victoria tua ? vbi eſt mo*
ſtimulus tuus? Conſonat his doctiſſimus & ſ
ctiſſimus Athanaſius in tractat. *De paſſione D*
mini. Cuius hæc ſunt verba : *Quemadmod*
veſpa cum impetit petram, non eam lædit incur
ſed potius perdit aculeum. Sic & mors incurr
in vitam quæ eſt Chriſtus , non potuit eum ten
ſed ipſa potius aculeum perdidit; adeò , vt quos
us terrebat aculeo, nunc inſultent ac dicant ,
eſt mors aculeus tuus? Et aurea illa lingua S. I
annes Chryſoſtomus,qui de paſſione Dom
nica verba faciẽs ait: *Vbi eſt tuus, mors, acule*
Vbi tua contentio tartare? Vbi arma tua, vbi ſi
Chriſtus moriens illis te ſpoliauit. O tarta
ô inferne,quod prælium contra nos ſuſcitar
poteris,ſi peccatum ſublatum eſt? Cùm erg
mors exarmata ad nos veniat, non modò n
timenda, ſed nec vlla illius ratio habenda eſt
Audite maius aliquid.

Peccatũ non modò eſt mortis aculeus,ſed
etiam caput eius, quod quia à Chriſto Serua-
tore noſtro eſt contritum , idcirco ea nobis
formidanda non eſt. Si enim iter agendo in
ſemita fortè ſerpentem licet mortuum iace-
re conſpicaremini,nonne primo aſpectu, to-
to corpore contremiſceritis?at eum accura-
tius intuendo, & caput eius eliſum eſſe conſi-
derando,omnem metum deponeritis. Hic
ſerpens,eſt mors cuius Chriſtus, in ſacroſan-

cto baptiſmatis lauacro, caput, hoc eſt peccatum contriuit, nam illis aquis virtutem omne peccatum delendi contulit, iuxta illud oraculum Dauidicum. *Confregiſti capita Draconis in aquis.* Et non ſolùm contriuit caput illius, ſed etiam perpeſſione ac nece ſua truncum reddidit, iuxta illam S. Ioannis Baptiſtæ ſententiam. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Neque tantum contriuit & detruncauit, ſed etiam morte ſua penitus deleuit, quemadmodum canit Eccleſia. *Qui mortem noſtram, moriendo deſtruxit.* Quãuis igitur primo aſpectu illa nos terrere videtur, attamen ſi eam attentiùs intueamur, & capite illam contrito, trunco, ac penitus deleto eſſe cõſideremus, nulla amplius ſuberit nobis cauſa illã formidandi, ſed potiùs cõtẽnendi ac deridendi. Si .n. probi ac iuſti eſſe ſtuduerimus, nihil nobis nocumẽtũ adferre poterit. Metuat infidelis, quẽ prorsus viua, audax & armata adoritur, nõ Chriſtianus contra quem venit exarmata, mortua, & deſtructa. Ploret igitur ille, tu verò Chriſtiane, *Noli flere.*

Pſal. 73.

Ioan. 3.

Sed hic obijciet mihi aliquis ſubtilitatum curioſus indagator. Mors nunquam habuit vitã, quia mors & vita ſunt contraria, duo autem cõtraria vti ait Philoſophus, ſimul in eodem ſubiecto conſiſtere nequeunt. Quomodo igitur mors à Chriſto interfecta eſt, cum nemo vita ſpoliari poſſit, qui ea nullo vnquã tẽpore fruitus eſt? Subtile profectò dubium. Cæterũ audite illius ſolutionẽ, & intelligite quomodo mors prius vitã habuerit, poſtea nõ.

Quomodo mors aliquãdo vitã habuerit & à Chriſto occiſa fuerit.

Sciendum ergo & aduertendum vobis eſt, nonnulla habere vitam notam & manifeſtam oculis noſtris, ſimiliter & mortẽ, qualia ſunt,

herbæ,plantæ,animalia. Nonnulla verò,sic vitam habent occultam,ita & mortẽ: vt vi aloës & fellis est amaritudo, vita vini est si cutum sapiat, vita aceti est acrimonia,seu ac bitas: Mors illorũ est qualitatis huius dep ditio.Cognoscitis ergo istis inesse vitã & m tem quandam secretam,quia neutra cerni aut cognoscitur,nisi primum rem ipsam g stu examines. Vt si mel gustes,& dulce e percipias,dicis.O viuum mel:at si hanc sua tatem amisit,dicis esse mortuum. Ita si alo aut fel gustu probès,&amaritudinem eor sentias,viua, si amaritudine carent, mor esse cognoscis.Similiter si vinum delibes, ludqúe acutum sapere experiaris,dicis,O v num viuum.has qualitates si minimè reperi asseris vinum esse mortuum. Idem de acet si acre est,vinum,si acrimonia hac caret,mor tuum esse intelligis. Hinc ergo videtis pro prietates & qualitates rerum inanimatarum esse illarum vitam,& contra, earundem pri uationem,esse mortem ipsarum.

Ita & mors antequam Christus moreretur, instar fellis & aloes, vitam habebat amarissimam, propter eam nimirum proprietatem, qua omnibus erat aditus ad infernum. Omnes enim homines, quantauis etiam iustitiæ ac sanctitatis laude conspicui forent,ad ima terræ loca descendebant, vel ad infernũ damnatorum sedem,vel vt minimũ ad Lymbum.De illis enim legimus. *Quis est homo qui viuet & non videbit mortem? eruet animam suam de manu inferi?* At quia Christus moriens abstulit ei hanc vitam,hanc amaritudinem,vt non esset amplius inferni ianua, (nisi eis qui

spon-

spontanea voluntate eò migrare vellent,) & contulit ei dulcedinem suauissimam, vt esset porta cæli: idcircò à Christo interfecta, & mortua esse dicitur. Intelligitis modò vitam illius non fuisse talem, qualis est omnium viuentium, quæ simul cum morte non potest consistere: sed quandam proprietatem siue qualitatem, quæ postquam ei fuit ablata, rectè dicitur esse occisa & mortua. Cum igitur mortua, nec amplius inferni, sed cæli ianua sit ea nobis formidanda non est, sed potius tanquam carum & pretiosum quid amplectenda. *Pretiosa*, enim, *in conspectu Domini mors sanctorum eius*. Dicam adhuc vnicum de hac morte, & parti huic finem imponam. *Psal. 115.*

Nemo vestrum ignorat, eam, cum Christo necem inferret, Christum attigisse, ideoq́ue non modo à nobis non vitari & horrere, sed etiam in magna existimatione, tanquam eximiæ virtutis haberi debere. Quis enim si Rosarium aliquod siue granum sacrũ, quod magni alicuius sancti reliquias attigerit, cõsecutus fuerit, non singulari illud honore atq; deuotione prosequitur? non magno in pretio illud habet atque cõseruat? Cur igitur maiorem mortis rationem non habetis, & eam obuijs vlnis non amplexamini, quæ corpus illud sanctissimum Christi seruatoris nostri, quod omnium sanctorum venerãdas reliquias infinitis partibus superat, attigit? Ex cuius etiam eximiæ sanctitatis & maiestatis contactu, virtutem illã hausit, vt nos à miserijs huius mũdi eripiat, & in Paradisum introducat. *Mors quia Christũ attigit non modo non horreri, sed etiã magna in veneratione haberi debet.*

Christus ergo est is, qui eam nobis efficit gratam, amabilem, desiderabilem & dignam

quæ

quæ ab omnibus nobis in magna æstimation ac pretio habeatur. Hac consideratione seipsum magnus ille poeta Italus ad mortis desiderium excitabat, cum ait.

Et quel, che del suo sangue non fu auaro
Et co'l piè ruppe le tartaree porte,
Co'l suo morire par, che mi conforte
Dunque vien morte, il tuo morir m'è caro

Hoc est. Ille qui sanguini suo non pepercit, & tartareas portas pede contriuit, morte sua me roborat: quapropter veni mors, tua enim occisio mihi cara & iucunda est.

Noli ergo, ô Christiane propter tuam vel carorum tuorum mortem tristari, aut plágere, *Noli flere.* Cæterum quia eousque deueni, vt demonstrauerim vobis mortem esse ianuam ad cælestis Paradisi gaudia nos introducentem, in quo Angelici Spiritus, & beatorum animæ requiescunt, ego etiam paulisper quiescam, vt lassis membris meis paululũ roboratis, tátò efficacius vobis explicem, quis mortẽ metuere & non metuere debeat.

QVARTA PARS.

I.

Bonis nõ est timenda mors sed peccatoribus.

NEcessarium est, auditores, benè viuere, vt benè quis mori & mortem nihil timere valeat. Verè enim in mortis articulo, difficillimè salutem consequi poterit peccator. Reducite vobis in memoriam vetus illud flagellum, quo Dominus in Aegyptios animaduertit, quando ingenti procella igne atq; grãdine permixta, homines & iumenta in agris existẽtia pariter prostrauit & interemit, quẽadmodum Exodi 9. capite refertur: vbi ita legimus.

imus. *Pluit Dominus grandinem super terrãm Egypti; Et grando & ignis mista pariter fere-antur. Et percußit grando in omni terra AEgypti uncta quæ fuerunt in agris, ab homine vsque ad iu-uentum.* O mysterium eximium, sub hoc fla-gello reconditum. Vultisne vt illud patefaci-am: audite quicunque peccatis immersi estis, & infœlicem ruinam vestram extimescite. Exod. 9.

AEgyptus hebraicum verbum est, & inter-retatur *tenebræ* atq; denotat tenebrosam & æcam sceleratorum hominum vitam: qui uamuis oculis sint præditi, attamen detri-ента & mala quæ per peccatum accipiunt, & ona quæ amittunt, non vidẽt. Hi in agris ex-a domum suam vagantur, quia sunt extra iuinam gratiã & sacrã pœnitentiam: atque er agros mũdanarum vanitatum, inordina-orum sensus appetituum, atq; voluptatum uarum oberrãt: sed dum hoc agunt ecce in-opinatò superuenit illis à Deo tempestas igne permixta, infirmitates videlicet mortales, q̃ timori cõmixtæ sunt, ne propter sceleratam vitam suam, in æternum inferni ignẽ prçcipi-tes agantur: hæ autem infirmitates & corpo-ribus eorum necẽ adferũt, & animas immor-talibus gehennæ incendijs inuoluunt.

Et ideò rectè dicit sacer textus. *Percußit grando ab homine vsque ad iumentum.* Quia ho-mo duabus constat partibus, anima & carne: quarum illa eum hominẽ rationis capacem constituit, hæc vero, si iuxta appetitiones su-as inordinatas vitam moderetur, iumentum reddit: hanc interimunt infirmitates, illam verò ignis infernalis. Atq; idcirco tempestas

hæc

hæc igne permixta, *Percußit ab homine vsqu*
iumentum, vt vtriusq; mors nobis significa
tur. Hoc autem tibi euenit, ô miser & infœ
homo, dum vagaris & erras in agris mun
narum voluptatum, delectationum carnis
sensus appetituũ. Quare dum tempus ha
corrige vitam tuam: ingredere domum s
ctæ pœnitẽtiæ & diuinæ gratiæ: ibi enim q
uis tempestas mortalium infirmitatũ ex
prouisò te adoriatur, vt neci te tradat, non
rit igne commixta, quia tum non formida
gehennæ incendia, nec anima tua flammi
lis inextinguibilibus inuoluetur, sed eriti
mortalis & vitam viuet fœlicissimam, & o
nibus bonis affluẽtissimam in omnem sæ
lorum æternitatẽ. O te beatum, si ea quæ
co, quam citissimè perfeceris, & vsq; ad mo
tem in hoc proposito & pia viuendi ratio
permanseris.

II.

Iusti mortẽ habent in desiderio.

FRatres mei in eo tota vis, non formidand
mortis, sed potius magnã ex ea animi ex
ultationem hauriendæ consistit, si piè ac reli
giosè, vti bonos decet Christianos, in mund
viuamus. Nam iusto homini, mors nihil detr
menti sed plurimum vtilitatis adfert. Audit
Isaiam. *Veniat*, inquit, *pax, requiescat in cubili s* *Esai. 57.*
qui ambulauit in directione sua. Quibus verb
hoc Propheta voluit dicere. Eum qui rectam
& iustam virtutum ac bonorum operum se
mitam ingreditur, animi tranquillitate in ha
vita fruiturum, & post mortem in cælestibu
mansionibus requieturum.

O quam iucundo & hilari animo, discedũ
è calamitoso hoc mundo, ex tristi hac miseri

arum

rum valle, homines vera iustitia & sanctitate exculti; quia cũ se hîc peregrinos & aduenas esse exploratum habeant, tota animorum contentione atque cupiditate, ad domum suam, id est, ad supernam cœlestis Paradisi patriam anhelant, vbi aduentum eorum præstolãtur, Deus Pater illorum, Angeli amici eorum, ac beatorum animæ fratres eorum.

Elegãtissimâ litudine id ostenditur.

Qui extra domum suam, longè à patria cõstitutus est, atque in alienis ædibus habitare, & præter quotidianam hospitij solutionem, multa ibi incommoda perpeti cogitur, dum charissimæ patriæ suæ, atq; incommodorum quæ sustinet, nec non continuæ sumptuum in se factorum, exactionis meminit, parcam atq; moderatam vitam viuit, nec affectum suum in domo, in qua hospitatur, nec in alia quauis re, qua extra patriam vtitur, constituit: sed tota cogitatione atque desiderio in patria versatur, ad quam se aliquando reuersurum, atque cum parentibus & amicis gauisurum esse sperat. Ideoq; imminente discessus ac reuersionis in patriam tempore, sine vlla tristitia, imo gaudẽs & exultans migrat. O exoptatum tempus, O beatam diem. Ita & homines iusti dum in hoc mundo secum expendunt, se in hoc mundo lõgè à carissima cælestis Paradisi patria exulare atq; in angusto corporis huius habitaculo, quod à natura ipsis ad tẽpus præfinitum conceditur, cõmorari, nec non quotidianum pro hospitij huius vsura pendere fœnus siue tributũ, quale sunt, tribulationes, molestiæ, necessitates, ægritudines, & aliæ miseriæ, quas propter corpus hoc assiduè patimur: idcircò, tẽperatè ac frugaliter viuũt: nec affe-

ctum suum in hac habitatione, aut in alia qu
uis re sæculi huius cõstituunt. Vnde ingruẽ
tẽpore atq; hora discedẽdi ex hoc mũdo, re
linquendi, hospitium, corpus deserẽdi, nul
animo sentiunt molestiam, sed ineffabilẽ læ
tiam & exultationem, atq; iucundi & hilar
hinc abscedunt, firma cum spe, quod ad cæl
stis patriæ fœlicitatem emigrent. Audite sap
entissimũ Senecam, qui quãuis non cogitar
neq; speraret fœlicissimam hanc patriam, a
tamen in epistolis suis eundẽ conceptum n
bis proponit, cum ait. *Qui intelligunt domicili*
corporis, ad breue tempus à natura accommo
tum esse, & viuunt temperantius, & libent
moriuntur. Quapropter ô Christiane, piam
religiosam vitam institue, verè iustus esse c
tende, sic enim gaudẽs ex hac vita discedes,
in morte vocẽ illam lætus audies. *Noli flere.*

Alia similitudine demonstrat, quod Deus cum iustis hominibus in hac vita facere soleat.

Quomodo enim fieri potest, vt qui benè vi
xit, & Domini sui voluntatẽ in omnibus fec
non hilari animo vitam hãc deserat, si tũ per
git, vt mercede ac præmio laborum, & præ
clararum actionum suarum fruatur? Nũquid
auditores, certũ & exploratũ vobis est, quid
Deus cum hominibus probis ac iustis faciat
Gerit se erga illos, vti Dominus erga fidelem
seruum, qui multis annis ei seruiturus est, cui
etiam indigenti & petenti laborum suorum
mercedem dietim, hebdomadatim, seu an
nuatim non reddit, sed eam reseruat, quoad
usque tempus seruitutis suæ compleuerit, vt
tum totam simul mercedem ei numeret, ac
seruus gaudens in domum suam discedat, pe
cunia quam lucratus est, fruiturus, nec vllam
deinceps vllius rei necessitatem passurus.

Contra illi seruo euenit, qui dietim, vel hebdomadatim mercedem suam accipit, quia paulatim eam consumit, & annis seruitutis elapsis malè contentus atque prouisus recedit, cum aliam mercedem vltra non speret, mutuatque, ne cum abscesserit, fame pereat. Idem facit Deus, vniuersorum Dominus, fidelibus seruis suis, id est, hominibus vera iustitia & sanctitate præstantibus: non annumerat illis premium siue mercedem seruitutis & bonorum operum, quamdiu in seruitute, nimirum in laboriosissima hac vita degunt, etiamsi videat illos egentes ac necessitatem patientes, sed reseruat eam penes se, vt posteaquam tempus seruitutis & laborum in morte absoluerint, totam eis simul restituat: vtque illi meritis & opibus aucti, ex mundi huius domicilio, animo hilari & iucundo, ad habitationem suam cælestem abeant, & ibi laborum suorum premio ac mercede fruantur; certi quod iustus ac liberalis Deus, qui nihil in hac vita eis annumerauit, eos ibi mercede sua non sit defraudaturus, sed eā multiplicato fœnore restituturus. Hoc est quod sapiens in Prouerbijs inferre voluit, quando ait. *Sperat autem iustus in morte sua*, Et Ecclesiasticus. *Timenti Deum, benè erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur*. id est, benedictionem æternæ mercedis consequetur. Contra euenit illis, qui de quolibet bono opere à Domino in hac vita mercedem suam dietim accipiūt: qui cū nihil amplius sperent, inuiti ex hoc mundo discedūt, metuentes ne in altera vita fame & siti moriātur, quia à sacris literis auribus suis intonari audiunt illud Dauidis: *Famem patientur*

Prouerb. 14.
Eccles. 3.

entur & canes.

Vultisne Auditores huius diuersitatis
emplum aliquod ex Euangelio vobis prop
ni? Ecce occurrit nobis diues Epulo, qui c
bonorum operum suorum mercedē in
vita consecutus esset, in altera vita, tanta
pressus rerum omnium penuria, vt ne vn
quidem aquæ guttam, qua æstuantis lin
incendia refrigeraret, impetrare potuerit.
Lazarus mendicus, fidelissimus Dei ser
cui cum ærumnarum ac infirmitatum, q
in hac vita assiduò perpessus fuerat, null
set facta retributio, adeo diues meritis ad
vitam migrauit, vt ibi abundè omnibus r
in sinu Abrahæ, id est, in fœlicissima Para
fœlicitate afflueret. Vnde etiam firmiter
bis possumus persuadere, illũ in morte b
volentem atq; gaudētem ex hoc mundo
cessisse: contrà diuitem, cum magno an
dolore & cruciatu, mortem obijsse. Quap
pter ô Christiane, si peccator es, & hic ope
bonorum quæ fecisti mercedem adipisce
in morte tua plange, iusta enim tibi plora
adest occasio, quia ad perpetuum Inferni
properas: at si probus & iustus es, *Noli fle*
quia ad cælestem patriam pergis, vt ibi i
mortaliter cum beatis animabus gaudeas
que triumphes. O igitur ter quaterque f
licem illum, qui benè agit, quia in morte s
magnam inde hauriet consolationem, anim
qúe lætitiam.

Iob 5. *Vt mors nõ timeatur, copiosa me-*

Audite sanctum Iob. *Ingredieris*, inquit,
abundantia sepulchrum, sicut infertur acer
tritici in tempore suo. Quod perinde est ac
dixisset. O homo si in mortis articulo, quā

tem-

empus illud appropinquauit, quo sepulchrũ ngressurus es, meritis atque virtutibus onustus fueris, inexplicabilem inde animus tuus hauriet iucunditatem atque lætitiam, non secus atque agricola, cum post labores & molestias plurimas exhaustas, vberem tempore messis frumenti copiam collegit & in granarium intulit, securus est enim se fame nõ moriturum, sed ijs quæ Deus dedit, fruiturum. *ritorũ & bonorũ operũ messis in hac vita cõgregãda.*

Quocirca, ô Christiane, amplectere huius sancti viri consilium, & virtutum, meritorum, atque bonorum operum cumulos tibi congrega, ex his enim maximam in morte senties consolationem & animi iubilum: cõsiderans nimirum quod copiosam meritorũ messem tecum in cælum deferas, adeoqúe metuere non possis aliquod famis aut penuriæ incommodum, sed potius tutò sperare, te cum beatis animabus triumphaturum atque ineffabilibus cœlestis glorię bonis fruiturum esse. O te igitur beatum. O beatos amicos & cõsanguineos tuos, si in mortis articulo, quãdo sepulchrum ingressuri sunt, hoc pacto meritis cumulatos atq; onustos se inuenerint, tũc enim, quamuis lapis mortis eos prosternat, & interimat, optimo iure tibi & illis dici poterit: *Noli, flere* sed gaudio exulta.

Aduertite præterea, quàm apertis verbis S. Ioannes, in Apocaly. doceat, iustis & bonis mortem non esse formidandam, sed potius optandam & amplectendam, cum illis non modo nihil adferat detrimẽti, sed etiam plurimum adiumenti. *Qui vicerit*, inquit, *non lædetur à morte secunda*, Vbi notandum, quòd dicendo, *non lædetur à morte secunda*, demonstrat du- *Apoca 2. Mors duplex.*

duplicem esse mortem; primam & secūda.
Si enim est mors secunda, necesse est, esse
primam: quia secunda primam supponit. Ho-
mo ergo binas habet mortes. Quænam au-
tem sunt illæ?

Peccatum est prima, separatio animæ à
corpore, est secūda. Peccatum est mors, quæ
separat animam à Deo, qui est vita ipsius & e
mors prima, quia prius extitit peccatū quā
mors corporis, causa enim effectu suo prior
est; at peccatum vti superius iam diximus, est
causa mortis corporeæ: hoc ergo prima mors
est, illa vero secunda. Et quia tres habemus
hostes capitales nostræ salutis, mundum, car-
nem & diabolum. S. Ioannes hoc vult innue-
re: eum qui hos inimicos deuicerit, in secun-
da morte quæ corporis est, nullam passurum
animi molestiam, nullam mentis angorem,
sed lætum & gaudentem hinc discessurum.
Qui vicerit, non lædetur à morte secunda: vel dica-
mus sic & fortè melius.

S. Ioannem hoc loco ita intelligendum es-
se: eum qui per bonā vitam & synceram pœ-
nitentiam, peccatum, primam mortem supe-
rauerit, nullum in secunda morte corporis
passurum esse detrimentum, hoc est, in suo ex
hac vita discessu, nullum sensurum esse ani-
mo cruciatum, nullum in corde mœrorem,
sed hilarem atque iucundum ad gaudia cæ-
lestia migraturum.

Non auditis quid Deus victori pollicea-
tur? *Vincenti*, inquit, *dabo manna absconditum*: *Apoc. 2.*
intelligens nimirum per manna hoc ęternam
beatitudinē. Quamobrem ô Christiane, oēs
tuos conatus eo conuerte, vt bonus sis, atque
hos inimicos tuos iuratissimos, profliges,

enim nulla tibi suppetet causa formidinis
at lachrymarum in morte, sed lætus à Chri-
o audies, *Noli flere.* Plorent & angantur in
oc mortis articulo, qui sepulchrũ cum hac
meritorum abundantia non ingrediũtur, qui
cta probitate ac iustitia contenti, veram san-
ctimoniam contempserunt.

III.

IN mortis articulo, auditores, peccator me-
tuit, iustus minimè, idq; optimo iure. Cum
enim hic omnia Dei mãdata adimpleuerit, de
diuinarum promissionũ veritate securus, atq;
firmã in Deo habẽs fiduciã, nec supplicia nec
Dæmones formidat: impius autem cum nihil
bonorum perfecerit, & Dæmones, & imminen-
tium tormentorum grauitatem extimescit.
Declarabo id eleganti similitudine.

Peccator in morte dæmones & inferni tormenta metuit, non iustus.

Quẽadmodum quando quis noctu sub ar-
ce quadam iter agit, si nomen siue symbolum
excubitoribus datum ignorat, pauore cõcu-
titur, capilli surriguntur, à iaculis & sclopet-
tis sibi metuit, ac vitam omni momento per-
dere formidat. At qui nomẽ hoc siue symbo-
lum nouit, sine aliquo timore iter suum pro-
sequitur, quia excubitoribus vociferãtibus &
quis transeat nosse cupientibus, nomen siue
symbolum confestim poterit edicere, quod
omnem hominem illac transeuntẽ, securum
reddit. Ita etiã in periculoso & angusto mor-
tis transitu, qui nomẽ illud, quod vnumquẽ-
que per illum gradiẽtem, reddit imperterri-
tum, ignorat, timet & horrore cõcutitur: qui
verò nouit, non modo securus, sed etiam gau
dẽs & alacer iter suum peragit. Quod autem
est illud nomẽ, quod ab omni nos eximit pa-

Demonstratur id elegãti similitudine.

Charitas in morte ab omni timore nos liberat. 1. Ioan. 4.

uore? Charitas. De qua S. Ioannes in Epi suis ait: *Perfecta charitas foras mittit tim* Qui etiã ibidem docet quid sit ista cha *Hæc, inquit, est charitas Dei, vt mandata ei stodiamus.* Itaque nomen hoc quod in ob ro & periculoso mortis transitu, securum bis iter præbet, nihil aliud est, quàm ser Dei mandata. O benedictum nomen. O nomen. O ter beatum, qui hoc nomen p perdidicit, & seruat. Hoc nomen quia pe tor ediscere ac seruare contempsit, in a stissimo illo mortis transitu; expauesci iustitiam ne ab æternæ damnationis sen tiam excipiat: & dæmonum ferocitatem ab illis in sempiterna gehennæ incendia trahatur. At iustus, cui id obseruare curę nihil horum metuit, sed gaudenti & iucu animo illum pertransit, firma nimirum suffultus, quòd in fœlicissimam cœlestis P disi ciuitatem introducẽdus sit. Quapro ô Christiane, si mortem formidare non da operam vt hoc nomen noueris, in cha te viuas, Dei mandata diligenter custodias liud enim melius atq; salubrius consilium bi suppeditare nequeo.

Qualis inter iustos & peccatores sit diuersitas exemplo declaratur.

Nostisne, Auditores, quæ inter iustum peccatorem sit differentia? illa prorsus q inter duos, qui in duabus diuersis nauibus re trãsfretant, quorum vnus post iter absol tum, è naui exscendens, statim in carissima desideratissima patria pedẽ ponit: vbi sim cum parentibus & amicis suis immenso cu gaudio requiescat. Alter verò, itinere suo c fecto, non ingreditur carissimam patriã, s

in ali

in alienam terram captiuus in seruitutem abducitur: quia nauigando, à piratis se comprehendi passus est. De primo illo, dubium non est, quin insolitam hauriat animo voluptatẽ, quando se ad nauigationis suæ finem appropinquasse, & iam nauem exscensurum esse conspicit, quia certus est, se cum amicis gauisurum ac requieturum. De altero verò non item: quia cum ad nauigationis terminũ peruenerit, magno animi mœrore corripitur, q̄a non ignorat, se nullam ibi vel momentaneam requiem inuenturum. Eadem planè diuersitas est inter iustum & peccatorem. Ambo per magnum huius mundi mare nauigãt, in corporis sui nauigio: finis nauigationis ipsorum est mors. Iustus quando ad finem hunc peruenit, vehementi perfunditur gaudio, quia nauem, hoc est corpus suũ per animę exhalationem egrediens, carissimam & desideratissimam cęlestis regni patriam ingreditur, vbi à Deo & beatissimis animabus, ineffabili cum triumpho suscipitur, vt simul cum illis, de meritorum suorum præmijs gaudeat ac perfruatur. At peccator, qui dum vixit, à latronibus, id est, à dęmonibꝰ, peccatorum vinculis se constringi passus est, cùm ad hunc terminũ siue articulum appropinquauerit, ingentes sentit in animo cruciatus atq; angores: quia è naui, id est, è corpore egrediens, non intrat cęlestem patriam, sed in terram alienam, Dęmonum videlicet propriam sedem ac regionem, vbi nulla vnquam requie aut iucunditate, sed continuis supplicijs atque tormentis excarnificetur. Audite S. Chrysostomũ, ho-

S.Chrysost.

mil.64.in Matthæum, hoc ipsum disertis ve[r]bis contestantem. *In hora mortis*, inquit, *iucun[d]a est benè actæ vitæ memoria, quasi tranquillitas post tempestatem: sed quando sicut insensati vitam agimus in discedendo de hac vita, proculdubio ad[e]rit conturbata anima.* Quapropter, ô Christia[n]e, si tu vel tui, peccatores & improbi sitis, in tua, & ipsorum morte plora, quia ad æternam væ pergitis. At si tu, & tui, boni fueritis, N[oli] *flere*, quia hinc ad sempiterna gaudia transi[bi]tis. Notate porrò & alium diuinarum litera[rum] locum.

Corpus nostrũ est carcer animæ. *Psal.* 141. *Hierem.* 52. *Iob.* 7.

Cur existimatis corpus nostrum in sac[ris] literis carcerem appellari? Sic enim Dau[id] ait. *Educ de custodia animam meam.* Et in Ierem[ia] legimus. *Eduxit eum de domo carceris.* Et S. Io[b] ait. *Circumdedisti me carcere.* O Prophetæ, O v[i]ri sancti, quod, obsecro, mysterium vos per[]mouit, vt corpus nostrum carcerem nomi[]naretis? Quid corpori commune cum carce[]re, si illud ex carnibus compingitur & for[]matur, hic verò ex muris ædificatur? Si illud nobis adiumento est, vt quocunque collibi[]tum fuerit ambulare valeamus, hic verò om[]ni nos ambulandi libertate spoliat? Magna profectò ratio vos permouit, vt hoc ei nomẽ indereris, cum sapientissimi & à Spiritu san[]cto abundè instructi sitis. Existimo, auditores, & hanc meam opinionem prorsus veritati cõ[]sonam esse scio, existimo igitur, hac appella[]tione qua corpus nostrum carcerem nomi[]narunt, eos insinuare voluisse, duos diuersos hominum status: iustorũ videlicet & pecca[]torum: atq; differentiam, quæ est inter vtro[]rumque vitam & mortem. Auscultate atten-

auribus & animis, & si peccatores estis, exhorrescite.

Quemadmodum in vno carcere inuenire licet duos homines: quorũ alius propter causam ciuilem, alius propter criminalem est carceri mancipatus: sed magna est inter vtrũque differẽtia, partim dum in carcere degũt, partim cum ex eo egressuri sunt. Is enim qui propter ciuilem causam in carcerem coniectus est, liberè in eo obambulat, nullis funibus, catenis aut compedibus vinctus: at ille qui propter causam criminalem, mortis sententia iam accepta, carceri mancipatus, funibus constrictus, compedibus vinctus, atque grauissimo ferri pondere onustus iacet.

Alia elegãti similitudine iustorum & peccatorum differentiam demonstrat.

Si priorem interroges, an optet egredi & è carcere liberari, respondebit: Etiam, nam vnaquæq; hora, mille annorum spatium mihi esse videtur. At si ab altero percuncteris, an exire cupiat: Dicet: nõ: quia carcer mihi gratus atque iucundus est, catenarum & compedum meorum grauitatem, leuem iudico: aut certè nullo responso reddito, tacebit.

Prior ille qui ob ciuilem causam incarceratus est, quotiescunque strepitum aliquem ad ostium carceris exaudit, vel illud claue aperiri aduertit, ex animo gaudet, existimans aliquem ex ministris publicis aduentare, à quo educatur, & in domum suam redire iubeatur. Quando etiam egrediendi hora verè adest, alacri animo foras prodit, & ingenti cõpletur gaudio, propter desideriũ quo ardet, domũ, cognatos atq; amicos charissimos inuisendi, eorumque contubernio & familiari conuictu fruendi. At ille qui criminalis cau-

sæ

ſæ gratia in carcerem compactus eſt, quan
forinſecus tumultum aliquem cieri, cla
moueri, portaſq; carceris reſerari percip
tremore corripitur, totuſq; expalleſcit & ex
nimatur, quia carnifices putat adeſſe, qui
inde abreptum, extremo ſupplicio afficia
hora etiam exitus appropinquante, heu q
inuitus egreditur è carcere, membris om
bus tremit, congelatur ſanguis, palpitat c
magnamq; animo ſentit anguſtiam, quia c
tus eſt, ſe non ad domum ſuam, ſed ad iuſt
locum, atque ad patibulum pergere.

Eadem prorſus eſt ratio hominum, d
in carne viuunt. Iuſtus veluti propter ciuil
cauſam carceri mancipatus, in eo ſolutus
liber obambulat, nullis peccatorum vincu
conſtrictus. Peccator autem veluti prop
cauſam criminalem in carcerem coniectu
funibus & catenis peccatorum vinctus & c

Pſal. 118. cũdatus iacet. Vnde Dauid cum hiſce vinc

2. Paral. 33. lis implicatus eſſet ait: *Funes peccatorum circ
plexi ſunt me.* Et de Manaſſe qui peccatoris f
guram gerebat, ſcriptum eſt. *Vinctum cate
atque compedibus duxerunt eum in Babylonem*
Hic morti iam eſt adiudicatus, ſentẽtia in e

Ezech. 18. iam dictata eſt. *Anima quæ peccauerit ipſa morie
tur.* Verum aduertite diligenter quę dicturu
ſum.

Si quæras ab homine verè iuſto, an volen
libenſq́ue egrediatur ex hoc carcere corpo

Philip. 1. ris. Reſpondebit cum S. Paulo. *Cupio diſſolui &
eſſe cum Chriſto.* At ſi peccatorem interroges
Dicet non: aut certè obmuteſcet, nec vel ver
bulum reſpondebit, vti pia Anna in ſuo Can

2. Reg. 2. tico ait: *Impij in tenebris conticeſcent.* Iuſtum

oppri-

opprimant ex improuisò ægritudines, quæ sunt ianitores, tumultum ante carceris huius ostia facientes, eaq; reserantes vt è carcere possit egredi, gaudio corripitur, & dicit cum S. Paulo Apostolo. *Libenter gloriabor in infirmitatib' meis.* In articulo autē mortis, quãdo verè appropinquauit hora egressus illius è carcere corporis, exit iucundo ac hilari animo, firmam habens fiduciam, quòd hinc emigret ad domum suam cœlestem, quam viuens bonis actionibus sibi fabricauit, vt ibi cum Deo & cum beatis omnibus optatissima libertate, & immensa cœlestis Paradisi fœlicitate fruatur: & totus animo exultans, dicit cum Dauide. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus, Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum.* At peccator, infirmitatibus ingruentibus timore ac tremore concutitur: quia existimat illas esse, quæ ostium aperiunt, vt carnifices, tortores ac dæmones ipsum abreptum, ad inferni patibulum educant. Quando autem reuera in articulo mortis constitutus est, dum scelera sua ad memoriam reuocat, inuitus ac tristis moritur, magnisq; animus eius angustijs impletur, dum secum cogitat, quòd non ad domum cœlestem, sed ad sempiterna inferni supplicia iturus sit. Testatur id S. Chrysostomus in Comment. in Epistol. S. Pauli ad Hebræos. cum ait. *Non enim in hac vita conuersamur, veluti qui festinant ad patriam, sed veluti ad pœnas ituri propterea dolemus & timemus: quoniam istis rebus non sumus vsi, sicut oportet, sed peruertimus ordinem, propterea lamentamur & pertimescimus, veluti homicidæ, & duces latronum*

2. Cor. 12.

Psal. 41.

S. Chrys.

cum

cum perducendi sunt ad tribunal. Et insignis il-
Poeta Italus, dum inquit.

La morte è fin d'vna prigione oscura,
A gli animi gentili, a gli altri è noia,
C'hanno posto nel fango ogni lor cura.

Id est. Mors animis nobilibus & excelsis e
obscuri cuiusdam carceris terminus: alijs ve-
ro qui omnem sollicitudinem suam in lu-
id est, in rebus terrenis constituerunt, est i-
gens amici cruciatus siue molestia.

Aduertitis modò quam pulchrè & conu-
nienter sacræ literæ corpus nostrum carc-
appellent. Quapropter ô Christiane, quan-
lapis mortis te aut tuos ad terram prostern-
eisqúe necem infert, si peccatores fueri-
plange: si autem iusti, *Noli flere*, quia maiore
habes gaudiorum quam tristitię occasion-
Da igitur operam vt bonus sis Christianus,
vitam tuam piè ac iuxta virtutis præscriptu-
instituas, sic enim fiet, vt in morte gaudens e
hoc carcere corporis discedas. Audi & ali-
huc facientia.

Dic mihi obsecro, quamobrem Deus ho-
minem in Sacris literis carnem appellat? Si-
Ezech. 21. enim ait. *Et sciet omnis caro, quia ego sum Domi-
nus. Adducam malum super omnem carnem.* O be-
nedicte Deus, ô summa sapientia, tu homini
spiritum rationis participem indidisti, & no-
minas eum carnem? tu ei animam nobilissi-
mam, qua Angelicis spiritibus par & æqualis
redditur, infudisti, & carnis ei nomen impo-
nis, quasi è stabulo aut macello prodijsset? O
quanta cum sapientia Deus ad hoc permotus
est, vt illum carnem appellaret? Multæ sanè
sunt huius appellationis causæ, quarum vna
dum-

Cur homo in sacris literis caro nominetur.

luntaxat, quæ ad propositum nostrum maximè facit, in medium proferam.

Nominat eum carnem, quia quemadmodum caro tum primum perfectè cocta esse cognoscitur, quando facili negotio ab ossib⁹ separatur; hoc enim iudicium si absit, adhuc cruda est. Ita etiam homo, tum cognoscitur habere cor verè inflammatum & excoctum igni diuini amoris & perfectæ charitatis, quãdo in morte libenter & sine vlla animi molestia ex hoc mundo discedit, atque ab omnibus rebus sibi maximè charis auellitur. Quãdo autem inuitus, & cum magno animi mœrore mundum deserit, manifestum id indicium est, cor illius non esse hoc igne succensũ, & probè excoctum, sed intra se adhuc habere peccati cruditatem, qua fit, vt ossibus rerum mundanarum adhuc cum affectu adhęreat. Ac proinde iustus quia hoc igne diuino excoctus est, quando abest hora discedendi ex hac vita, volens gaudensq; hinc abit. At peccator, qui crudus adhuc est & mundi rebus cum affectu inhæret, inuitus ac mœrens, in extremo hoc articulo, à rebus quas immodico amore complectitur, separatur.

Enitere igitur ô Christiane, vt sis de numero iustorum, sic enim in consequeris, vt tibi in morte dici possit. *Noli flere*, sed cane & exulta. Audite plura.

Cur, quæso, existimatis, hominem in sacris literis appellari lignum vel arborem? *Relinquetur*, inquit, Ecclesiast. *velut lignum aridum in heremo*. Et Christus, *Non potest*, inquit, *arbor bona, malos fructus facere*. Summe Deus confundor & erubesco in tuarum metaphorarũ

Eccl. 6. Luc. 6. Cur homo in sacris literis lignũ vel arbor appelletur.

con-

contemplatione. Quæ enim similitudo li
cum homine? quę arboris cum tā nobili c
Declaratur id eleganti similitudine. atura? & tamen ita tibi eum libet appella
Cur hoc, quæso, Domine? cur hoc? Attend
fideles, ad mysterium. Nominat hominem
gnum vel arborem. Quia quēadmodum l
Eccl. 43. num siue arbor, quò altiores in terra agit
dices, eo difficilius euellitur: Ita homo, qu
tò magis terrenis rebus animo immersus
que in ijs radicatus est, tantò maiori cum d
ficultate & animi molestia in mortis arti
lo, ab illis auellitur.

Non auditis Sapientem id luculentis v
bis testificantem? *O mors quam amara est me*
ria tua, homini pacem habenti in substantijs
Quæ autem sunt hæ substantiæ, quæ mor
illi acerbam faciunt, nisi voluptates, diui
honores, in quibus profundissimas radi
iecit, & omnem spem, tranquillitatem &
cem suam collocauit? Quia verò iustus n
constituit neque radicauit animum suum
rebus terrenis ac transitorijs, etiamsi ing
opes atq; omnium rerum habeat affluēti
nihilominus semper illud S. Pauli consili
1. Cor. 7. seruat. *Qui vtuntur hoc mundo sint tanquam*
vtantur. Ideoq; ex mundo gaudens, sine v
animi męrore discedit. At peccator, quia
to affectu huius mundi rebus immersus e
morte ingruente, cum maximis animi ang
stijs à mundo, carne, atq; omnibus quæ ca
habuit, diuellitur. Quapropter, ô Christian
fac vt sis arbor, nō profundis radicibus ni
noli, inquam, affectū tuū in hoc mundo co
stituere, ne moriens pœniteas, & magno cu
męrore hinc abeas: idem tuis persuade: sic
ni

ſim fiet, vt in morte tua atque ipſorum tibi poſſit dici. *Noli flere*, Dicam adhuc amplius.

Rerum naturalium ſcriptores atq; inueſtigatores aiunt, Cygnum morti vicinum adeò ingenti lætitia cumulari, vt ſuauiter canens animam exhalet. Contra verò Syrenas morti propinquantes adeo ingenti mærore atq; triſtitia obrui, vt gemitibus, clamoribus, ac ſtridoribus aera complentes emoriantur. Vnde autem hæc tãta diuerſitas inter duo hæc animalia? Philoſophus in problematibus ſuis, huius differentiæ rationem reddens, hoc ait accidere ob diuerſitatem ſanguinis, qui tum ad corda ipſorũ confluit. Quia vti noſtis, quãdo animal aliquod morti vicinũ eſt, ſanguis illius, alijs corporis partibus relictis, ad cor, in quo vita potiſſimum conſiſtit, tutandũ, atq; ibi imminenti periculo, quantum poteſt defendendum, accurrit. Quoniam verò ſanguis cygni, dulcis, purus, nobilis ac generoſus eſt, dum in morte cor ipſius circumdat, reddit illum prorſus hilarem & iucundum: atq; inde fit, quod lætus & canens mortem oppetat. At ſanguis Syrenæ, quia impurus, amarus, venenoſus ac peſtifer eſt, dum ad morientis cor confluit, implet eum tam ingenti triſtitia & melancholia, vt ad gemitus, clamores, atque ſtridores edendos ipſam penè cogat. O præclaram ſimilitudinem, hominis iuſti & peccatoris differentiam adamuſſim exprimentem. Vnuſquiſque illorum mortem aliquando ſubiturus eſt, iuxta illud. *Quis eſt homo qui viuet, & non videbit mortem.*

Elegãtiſsima ſimilitudine à rebus naturalibus ſũpta peccatoris & iuſti differentia demõſtratur.

Ariſtot.

At hoc inter vtriuſque mortem intereſt: Quod iuſtus candidi cygni inſtar, ſanguinem

habet iucundum, nobilem & generosum virtutum atque bonorum operum, qui cum in mortis articulo ad cor ipsius per recordationem, & cœlestis præmij spem certam, transeat, animum ipsius solatur, roborat, atque insolito gaudio cumulat: ideoq́ue sine vllo timore, libens gaudensq́ue spiritum in manus sui creatoris emittit. At peccator, quia Syrenis instar in consciētia sua sanguinem pessimum ac venenosum variorum vitiorum ac scelerum congregatum habet, qui morte imminente cor ipsius per memoriam circumdat, ita illud propter æternorum suppliciorum metum premit, & coangustat, vt internum animi mærorem acerbis forinsecus ploratibus atque clamoribus sæpènumero testetur. Audite magnum illum eloquentiæ Principem Ciceronem lib 10. *Tusculanar. quæstion.* hac de re ita differentem: *Vti Cygni præuidentes, quid in morte boni sit, cum cantu & voluptate moriuntur, sic omnibus & bonis & doctis est faciendum.* Qua in sententia Christianum potius hominem quam Ethnicum se gessit.

Cicero.

Prouerb. 14. Audite præterea quid Sapiens in Prouerbijs de vtroque, iusto videlicet & peccatore dicat. *In malitia sua,* inquit, *expellitur impius: iustus autem sperat in morte sua.* Quibus verbis nihil aliud vult innuere, quam peccatorem ex hoc mundo discedere contra voluntatem suam, & cum magno animi dolore, quia propter malitiam & scelera sua, post mortem nihil se boni consecuturum sperat. *In malitia sua expellitur impius.* Iustum verò libentem atque volentem hanc vitam relinquere, quia maius præmium, & multo excellentiorem atq; beatiorem

tiorem vitam, quam præſens eſt, ſe adepturũ confidit. *Iuſtus autem ſperat in morte ſua.* Quocirca illi in morte iuſtè dici poterit, *plange*, huic vero, *Noli flere.*

III.

IN eo conſiſtit ô Chriſtiani, tota vis & ſumma non formidandæ mortis, ſed illam quãdo venerit cum alacritate ſubeundæ, ſi rectè, piè, atque ex virtutis præſcripto vitam inſtituamus. Non vobis venit in mentem illorum Socratis verborum, quando à Platone rogatus an libenti animo è vita excederet. Reſpõdit. *In iuuentute benè viuere, in ſenectute benè mori laboraui: atque ita interiori cruciatu ſeu dolore non afficior, nec mori recuſo; nam cum vita honeſta fuit, mortem cum hilaritate expecto.* O vitam præclaram. O ſententiam eximiam; veri & perfecti potius Chriſtiani, quam gentilis Philoſophi. Et illius ſententiæ Arimneſti, qui cuidam interroganti, quod eſſet maximum hominis bonum, reſpondit: benè mori. Vnde Michael Verinus.

Qui benè vult mori benè viuat. Socrates.

Arimneſt.

Michael Verinus.

Mortis honos eſt ſcire mori, vitæq́; beata
Exitus eſt teſtis, qui ſine labe fuit.

Atque vt cõcludam, vultiſne vnico verbo efferri, quid vobis faciendum ſit, ad non metuendam mortem, ſed obuijs vlnis quãdo ingruerit, amplectendam? Date operam, vt tum quàm diligentiſſimè ad illam parati atq; diſpoſiti ſitis per Sacramẽtorum ſuſceptionem, ſanctarumq́; virtutum & operum bonorum exercitia. Et quia diem & horam mortis veſtræ ignoratis, vti Chriſtus ait, *Neſcitis diem neque horam*, omni die, omni hora, atq; omni momento hanc præparationem in promptu habe-

Matt. 25.

habere satagite.

Cur in sacris literis vita nostra militia cōparetur. 2. Tim. 2. Iob. 7.

Cur enim putatis S. Paulum Timotheo hæc verba scripsisse. *Labora sicut bonus mil Christi?* Et S. Iob? *Militia est vita hominis sup terram*, nisi vt hanc continuam in nostra a mortē dispositione vigilantiam oculis subij cerent? Auscultate.

Eleganti similitudine id ostendit.

Non latet vos auditores, omnem milite mortis suę ignarum esse, quoad ipsius mod temp⁹, & locum. Modum, quia nescit an gl dio, an lancea, an iaculo, an sclopetto, an m te naturali an violenta interiturus sit. Locu quia incertum habet an in lecto, an in agro terra, in aquis, in aëre, in igne, diem suum bituruss sit. Tempus quia nescius est, an die, noꝯte, citò an tardè, vita spoliandus sit: qu in continuo versatur discrimine amitten eam. *Varius*, enim, vti sæpè audistis, *est euen belli*. Vt igitur S. Paulus & S. Iob, demonstr rent, eandem esse omnium mortalium cōdi tionem, qui mortis suæ quoad modum, tēpu & locum ignari sunt, comparāt vitam homi num militiæ. Hoc ergo sit primum documē tum, ex quo instruamur semper esse ad mor tem dispositi. Dicā & aliud de illis S. Iob ver bis, *Militia est vita hominis super terram.*

Alia itē similitudine.

Neminem vestrum fugit, tempus militan di in militibus, plerumq; à Principe illorum determinari: vt puto à vigesimo vsq; ad qua dragesimum annum aut circiter. Quia senes ad arma sunt inhabiles, iuuenes autem inex perti & meticulosi. Eadem est ratio vitæ no stræ, nam tempus viuendi à cælesti Principe vnicuiq; statutum ac pręfixum est, quod vel vno momento amplius protrahere non lice bit.

bit. Hinc idem S. Iob Deum alloquens ait. *Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est, constituisti terminos eius qui præteriri nõ poterunt.* Cuius sententiæ consonat illud Virgilij. *Iob 14.* *Virgilius.*

Stat sua cuique dies, breue & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ.

Itaque vt intelligeremus dies nostros quibus nobis in magno huius mundi cãpo manendum & consistendum est, à cœlesti Imperatore determinatos esse, S. Iob vitam nostrã militiæ comparat. *Militia est vita hominis super terram.* Isti autem dies incogniti nobis sunt, nam sola diuina mens eorum plenam habet notitiam, vti Seruator ait. *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Veruntamen audite & alium de his S. Iob verbis conceptum. *Act. 1.*

Nemo ignorat, militem, à Duce siue Principe suo stipendium nõ prius accipere quam mensis exactus fuerit. Tum enim generatim omnium fit solutio. Et quamuis anteà cũ militiæ adscriberetur, initium aliquod siue arrham solutionis futuræ consecutus fuerit, attamẽ id verè appellari non potuit stipendiũ, quia nondum seruiuerat. Ita etiam Deus stipendium siue mercedem seruitij & bonorum operum ipsius causa factorum, in hac vita nobis nõ annumerat, priusquam mensis euolutus, id est, antequam vita hęc finita fuerit, tum verò cælestis gloriæ stipendium nobis largitur. Et quamuis in principio huius ministerij aliquod nobis pignus siue arrham eiusdem præmij soluendi dederit, videlicet diuinam *Alia itẽ similitudine.*

gratiam, animam, corpus & alia quæ mu
sunt, non tamen illa stipendium & vera m
ces nostra fuêre, sed quædam ad stipendi
æternę beatitudinis per bonorum operū
ercitationem, pręparatio. Quocirca S. Iob
sciremus nos mercedem nostram non in h
sed in altera vita exacto nimirum mense,
est, consummata præsenti vita perceptu
esse, ait. *Militia est vita hominis super terram.*
præclaras rationes, quibus sãctus vir per
tus fuit, vt nos milites, ac vitam nostram
litiam esse affirmaret. Quare optandum
est nobis diu in hac vita manere, sed po
quamprimum ad alteram peruenire, ad c
sequendam desideratissimam illam solu
nem, pretiosissimum stipendium, merced
amplissimã, quæ illis tantũmodo redde
qui præparati reperti fuerint: cumq; dis
sus nostri hora incerta sit, in eam curam
bis præcipuè incumbendum est, vt sem
dispositi, & in gratia Dei, qui copiosissim
hanc mercedem nobis numeraturus est, co
stituti simus.

Cur in sacris literis homines vasa appellentur.

Quid, quæso, auditores, causæ est, quod
cræ literæ (vt ad alia transeam,) homines a
pellent vasa? Sic enim legimus. *Vasa Do*
captiua ducta sunt. Tanquam vas figuli confring
tur. Habemus thesaurum istum in vasis fictili

Apoc. 2.
2. Cor. 4.

O sapientissime Deus, qui Prophetarum li
guas gubernasti, & Apostolum vt hominib
vasorum nomen inderet permouisti, quæ r
tio te permouit, vt homines vasis compar
res, cum vasa sensu & vita careant, homo v
ro sensu, vita & ratione præditus sit? Si aute
volebas vt vasa nominarentur, cur non p
ti

tius nobilibus, vasis puto aureis, argenteis, æreis, quàm terreis ac fictilibus nos æquiparauit *In vasis fictilibus*. O eximium sacramentum quo Deus permotus fuit, vt vasis terreis non metallinis nos assimilaret. Quo demonstratur mortem nostram nobis quoad tēpus, modum & locum incertum esse: idq́ue in illis S. Ioannis Apostoli verbis: *Tanquam vas figuli cōfringentur*, manifestè liquet. Audite mysteriū. Quēadmodum in figulinis plurima quidem sūt vasa terrea, sed diuersę magnitudinis, formæ, atq; æstimationis, quædā parua, nōnulla magna: quædā pulchra, nonnulla deformia; quædam prius, quędā posterius efficta, & quod nā illorū vasorū prius conterendū sit incertū est. Vnde si Dominum roges, nunquid exploratum habeat, quodnam ex illis primū, quomodo, quando & quo in loco, confringēdum sit, negabit, & stultam esse affirmabit hāc interrogationem, eò quod omnia terrea & fragilia sint, & vt quodque prius in terram ceciderit, aut lapidis iactu contritum fuerit, confringi possit : quando autem & quo loco id futurum sit, nemini constare queat. Ita & homines in hoc mundo veluti vasa varia, diuersi sunt gradus, ætatis, sexus, conditionis, nec quisquam est qui exploratum & certum habeat, quisnam ex illis primus à morte atterēdus sit. Is enim qui prior aliqua mortifera infirmitate percussus, aut in terram subitaneo aliquo accidēte tactus corruerit, primus mortem oppetet. Vbi autē & quando id futurum sit, nemini mortaliū cognitū est. Idcirco rectè S. Ioannes ait *Tanquam vas figuli confringentur*.

Declarat id eleganti similitudine.

Idem fortè Deus insinuare voluit, quan-

Psal. 2. do ad filium per os Dauidis prophetæ ai. *Tanquam vas figuli confringes eos*, quod perinde est ac si dixisset. O fili eandem mecum habes potestatem: & quemadmodum ego, & tu confringere potes homines in morte, cuiuscunque sint gradus & conditionis, idque non aliter ac vas figuli, de quo fictor incertus est quando, quomodo, & vbi confringetur. Intelligis modo Christiane, quã insigni cũ mysterio sacræ literæ vasis fictilibus & terreis non aureis & argenteis nos conferunt, vt nimirum cognosceremus, incertum esse tempus, locum & modum confractionis & mortis nostræ: vtque in omni ætate, loco, & tempore ad illum benè dispositi ac præparati essemus. Audite quid sapiens Seneca in epistola 26. hac de re prudenter moneat. *Incertum est* inquit, *quo te loco mors expectat, itaque tu illam omni loco expecta.* *Seneca.*

Clementissime ac benignissime Deus, ad te confugere compellor. Cur obsecro, mortẽ omnibus nobis incertam esse voluisti? Nunquid vt eam ignorando, nos omnib⁹ momẽtis disponeremus ad benè, atque in gratia tua moriendum, atque ad supernum illud regnũ quod tu ipse, qui salutem nostrã maximoperè desideras, incolis, pertingeremus. Non est dubium, ô Christiani, si tẽpus mortis nostræ certò cognitum haberemus, difficilimè sempiternam salutem non esse consecuturos. Ac proinde Deus horam mortis nos voluit ignorare. Attendite.

Deus mortem nobis incertam

IV.

VVlt Deus mortem nobis esse incertam, vt maiori in puritate ac sanctimonia

viuã

agamus, à peccatis nos abstineamus, & in gratia ipsius semper esse satagamus. Ex eo enim quod diem & horam mortis nostræ incognitã habemus, atque insuper certò atque indubitatò nouimus, Deum quemlibet ita iudicaturum esse, qualem in extrema illa hora repererit, vti S. Cyprian. ait. *Talem, inquis, te iudicat Deus, qualem te inuenit, cum vocat.* ne forsitan ex improuisò hinc abripiamur, & æternis gehennæ incendijs adiudicemur, cõtendimus benè viuere atque in omnẽ diem & horam, quãdocunque vocabimur præparati esse. Neque hoc in dubium vocari potest. Nã si mortis tuę horã præscires, tibimetipsi diceres: Si tanto tempore victurus sum, potero tempus hoc ita partiri, vt aliquam illius partem malis actionibus, & inordinatis cupiditatibus atque desiderijs meis perficiendis attribuam: alteram bonis operibus, atque pœnitentiæ pro sceleribus admissis agendæ impendam. Videtis ergo cur Deus mortem nostris incertam esse voluerit, vt nimirum ad illã assiduè parati esse, & in gratia ipsius viuere studeremus: quod neutiquam faceremus, si mortis obeundæ hora nobis constaret.

esse voluit, vt sanctius viueremus.

S. Cyprian.

Neminem vestrûm ignorare arbitror, homines nobilitate aut insigni aliqua dignitate præstantes, cum ex amicis aliquem recreationis aut colloquij ergò inuisunt, nõ dicere seruis foris expectãtibus, quamdiu colloquium protracturi, aut quo tempore ad ipsos redituri sint: quia si id facerent, possent interea temporis serui, inde ad malum aliquod perpetrãdum abire, & re perfecta reuerti: sed idcircò huius temporis illos volunt esse ignaros, vt

Declaratur id similitudine.

sem-

semper administri ipsorum prompti &
stò sint. Ita & magnus cæli terræq; Domi
qui in cælis oblectatur & gaudet, cũ bea
mis animabus, facit nobiscum, qui serui
us sumus, atq; extra pallatium hoc cæles
sistimus. Vult nobis incertum esse ann
mensem, diem & horam qua nos ad se v
turus, aut qua ad nos venturus, secumq
cœlestis Paradisi fœlicitatem abducturu
Si enim tempus illud notum fecisset n
possemus intereà ab illius seruitio digre
ad mala perpetranda abire.

Diceret enim sibimetipsi Christianu
quis: tempus adhuc viginti, triginta, vel
draginta annorum mihi suppetit, quid
vetat, quin possim aliquantisper à Dei s
tio discedere, atque iterum ad illud reu
genio meo aliquandiu liberaliter indul
& postea bonis operibus efficiendis insi
cum tempus in mea potestate habeam. Id
tur Dominus considerans, vult nobis in
tum esse tempus mortis nostrę, vt simus s
per prompti ac parati ad obsequium illius
illum vocãtem alacres sequamur: vtq; vi
piè atq; ex virtutis præscripto instituamus
ab omnis peccati labe puras ac nitidas anim
nostras conseruemus. Ideoq; ait. *Estote pa
ti, quia nescitis diem neque horam.* Et rursum
gilate quia nescitis, qua hora Dominus vester v
Matth. 25. *turus sit* Testis horum est S. Gregorius M
S. Greg. gnus in *moralibus suis*, cum ait. *Ad hoc cond
noster voluit diem mortis nostræ esse incognitum
dum semper ignoratur, semper proximus esse cred
tur; & tantò quisque feruentior sit in operatio
quantò incertior est de vocatione.*

Pr

Præterea vult Deus mortis nostræ horam
os latere, ne diuinã maiestatẽ suam crebrio-
ibus flagitijs offendamus: vt iniurias nobis
actas ex animo condonemus, vt veram pro
celeribus perpetratis pœnitentiam agamus;
vt non simus vltra inimici eius: nõ contriste-
nus Angelos, non mærere faciamus Ecclesi-
am, non repudiemus salutifera animæ & cor-
poris remedia à Christo nobis data: nos deni-
que in luctu & cõtinua tristitia versaremur.

Si enim tempus mortis nostræ nobis con-
taret, si citra omnẽ controuersiam compertũ
haberemus, illud vel lõgè adhuc abesse, vel è
vicino imminere. Si longè abesse, nimium
procul dubio diuinam maiestatem offendere
mus. Si enim modò, cum certi nõ sumus nos
in crastinum diẽ superuicturos esse, tot eum
sceleribus ad iram prouocamus, quid face-
remus, si multis annis nos vitam protractu-
ros esse certum haberemus? Nollemus prȩte-
rea iniurias & offensas dimittere, neq; veram
pro peccatis pœnitentiam agere: Quia si ea
inuiti nunc facimus, quando mortis nostræ
hora nobis incerta est, quomodo ea perficere
mus, si vitæ longioris certa nobis esset scien-
tia? Iam verò quis ignorat, hominem interea
dum mortiferi peccati labe maculatus est,
inimicitias exercere cum Deo, Angelos con-
tristare, atq; Ecclesiam mȩrore afficere? Hoc
autem peccatum si de longa vita certus esset,
non studeret euitare, sed indies eorum nume
rum augeret ac multiplicaret; adeoque non
tantum Dei se hostem declararet, Angelos
tristitia & Ecclesiam mœrore afficeret, verũ-
etiam easdem inimicitias cæteraq; indies no-
uis

uis accessionibus augeret atq; accumularet.

Ne igitur hæc inconuenientia sequerētur, voluit Deus mortis nostræ horam nobis incertam esse.

Adhęc si homo mortem suam pręsciret, in infirmitatem aliquam lapsus, atq; ex ea mortem se minimè obiturum peruidens, nullis neque medicis, neque medicinis, neq; sacramentis, quibus animæ & corpora sanantur, quæqúe conferunt & cōseruant gratiam, meritaqúe amplificant, vti vellet. Diceret enim: Ista nihili facio, quoniam ex hac infirmitate moriturus non sum. Frustra ergo Deus indidisset virtutem herbis, scientiam medicis, & demum vim animas & corpora curandi sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis.

Si autem sciremus nos breui mortem oppetituros, essemus nimiū tristes & melancholici, fastidiosi nobismetipsis, graues cognatis & amicis, ac demum relicta cura proximum iuuandi, nobis tantum attenderemus. O sapientissime ac prudentissime Deus, quam conuenienter nobis mortis nostræ tempus incognitū esse voluisti. Has igitur ob causas Deus mortem nostram nos latere voluit. Quare cū non annum, non mensem, nō diem, non horam qua Dominus ad aliam vitam nos vocaturus est, nouerimus, studeamus omni tempore parati esse, iuxta ipsius Christi consilium dicentis. *Estote parati, quia nescitis diem neque horam.* Exponam vobis modò aliquot sacrarū literarum loca, huc facientia.

Exod. 19. Ait Moyses ex mandato Dei, ad populum Israeliticum. *Estote parati in diem tertium.* Quo illucescente, inquit textus. *Et ecce cœperunt au-*

tonitrua, & micare fulgura, & nubes densissima operire montem, & clangor buccinæ vehemẽtius percrepabat, & timuit populus qui erat in castris. Tum demum Dominus in igne eis apparuit. *Totus autem mons Sinay fumabat, eo quod descendisset Dominus Deus super eum in igne.* O præclaram & eximiam figuram, quæ semper nobis ob oculos cordis versari deberet, quo ad mortem paratiores efficeremur. *Locis aliquot sacrarũ literarũ declarat, nos semper ad mortẽ paratos esse debere.*

Hæc, auditores, cautelæ ac monitiones nõ tantum populo Israelitico quondam datæ, erunt etiam nobis omnibus: tres enim dies, nihil aliud innuunt, quam diuersitatem ac inæqualitatem temporum vitæ nostræ: videlicet tempus natiuitatis, vitæ præsentis qua viuimus, & mortis. Aut potius, principium, medium ac finem vitæ nostræ. Principium, primus est dies, medium secũdus, finis verò tertius. *Exod. 19.* In his tribus diebus, Deus nos semper vult paratos inueniri. *Estote parate in diem tertium.*

Verum animaduertite tertio hoc die, audiri terrifica tonitrua. Quę aliud nihil designãt, quam conscientiæ propriæ remorsum, ac Satanæ accusationes. Conspici quoque fulgura micantia, quæ sunt peccata cõmissa, quę mortis tempore, mentis oculis ab hoste tartareo repræsentantur ac obijciuntur, vt hac ratione diuinæ iustitiæ pauore nos concutiat, atq; ad salutis desperationem inducat.

Nubem præterea densissimam apparere, quæ montem operiat. Quæ nihil aliud est quã confusio, ac pudor, qui tunc montem intellectus nostri contegit, vt quid nobis agendum sit, ig-

sit,ignoremus. Terribilē adhæc buccinæ c
gorem auribus insonari. Quæ conscientiæ
morsum denotat,amicorum ac notorum
stitiam & lachrymas: recordationem den
quod omnia nobis in hoc mundo relinqu
da sint,quę perditè nimis amauimus. Qu
tas in corde humano excitabunt procellas
in tantas illud deducent anxietates , vt
admodum diuinas ac salutares inspiratio
& interiores Dei Angeliq; sancti operatio
percepturum sit.

Ait,deinde S.Scriptura , populum v
ab terrifica illa visione timuisse,qui tame
mul in campis iunctus & armatus erat. *Ti*
Exod.14. *populus, qui erat in castris.* Ex quo discimus,
iustos quoque non parum turbationis at
timoris percepturos,qui degunt in castris
uinæ gratiæ,charitate mutua sociati , ac p
chritudine , varietateq; virtutum ornati
armati: in quantis igitur angustijs peccato
versabuntur: qui ab his castris alieni, à san
hac vnione secreti , armisq; virtutum spi
tualibus destituti sunt?

Demum Dominus in igne apparuit,vt m
straret,tunc nos ante Deum comparituros e
se, veluti coram summo & iusto Iudice, n
vti corā benignissimo ac mitissimo patre:
umq; tūc zeli,& iustitię ardore succensū n
seuerissimè iudicaturum, & si sceleribus m
tis animas nostras contaminatas repererit,
ternis gehennæ incendijs immersurum ess

Hæc fratres mei,sedulò vobiscum pertra
ctate. *Et estote parati in diem tertium.* Tota
vitam vestram rectè constituite,vt tertio ho
die, id est,tempore exitus & mortis vestræ p
ra

stisitis: & quoniam hæc hora vobis incerta est, ad eam omni tempore nō secus estote paratiac si hoc ipso momento moriendum vobis esset iuxta Domini consilium dicentis. *Estote parati, quia nescitis diem, neque horam.* Matth.25.

Considerate diligenter, fratres mei, quod D. Paulus, prima ad Corinth. Epistola ministros ac dispensatores Christi nos appellet: dicens. *Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Et Christ⁹ ipse. *Negociamini,* inquit, *dum venio.* Ideò autem vocat nos dispensatores, vt nouerimus quales nos esse debere, quales sunt prouidi industrijq; ministri ac dispensatores, qui antequam tēpus reddēdæ rationis adueniat, computa sua diligenter perlustrant, quomodo acceptæ & expensæ conueniant peruident, omnesque partes sedulò examinant: ne fortè si ex inopinato à Domino ad reddēdam rationem vocentur, imparati sint, eamq; reddere nequeant, & ob id malè audiant, vel graues etiam admissæ negligentiæ pœnas luant. 1.Cor.4. Luc.19.

Simili modo & nos, qui sumus ministri & dispensatores, talentorū à Deo nobis cōmissorum, antequam adueniat tempus reddēdæ rationis, id est, priusquam mors ingruat, debemus sæpè ac frequenter librum conscientiæ & cordis nostri percurrere, rationes examinare atq; diligenter præuidere, an plus accepti quàm dati reperiamus, Plus, inquam, accepti peccatorum, quàm dati bonorum operum. Plus debiti delictorum, quàm solutionis pœnitentiæ. Atque errore inuento, illum corrigere, debitis satisfacere, atq; rationes omnes, quantùm fieri potest, accuratissimè sup-

suppũtare. Vt,si quandoqúe ex improui
Domino adreddendam rationem euo
mur,parati simus,& illam integrã omnib
suis constantem numeris reddere valea
Certi enim sumus nos aliquando ad ra
nem reddẽdam euocandos esse,quando a
id futurum sit nos latet. Quare modo ne
est,vt semper parati simus ad rationẽ red
dam de nostro ministerio, rerũq; ab ipso
bis traditarum administratione. Aliter e
si egerimus,cũ à Domino euocabimur, t
pus nobis deerit,disponendi & recogno
anteactę vitæ negotia,incerta & incomp
dilucidandi.Malè igitur audiemus , ac p
vapulabimus multis. Ne autẽ in hoc ma
ac irrecuperabile damnũ incidamus, ca
nos reddit Dominus ac saluator noster,
dum vita superest,nos strenuos ministro
Matth.25. dispensatores exhibeamus,dicens: *Estote p*
ti, quia nescitis diem,neque horam.
Dan. cap. 5. Nũquid meministis quid in prophetia D
nielis sacræ literæ de Rege Chaldæorum B
thasaro referãt,quomodo inter epulas Re
manũ scribentis aulæ regiæ,ad parietem co
spexerit; quæ hæc verba terroris ac horro
plena exaruit. *Mane: Thecel: Phares.* Quo eue
tu Rex vehementer exterritus , conuoca
omnes sapiẽtes Chaldæorum, amplissima
munera promittens, si verba hæc interpret
rentur: verùm id facere non valuerunt. Sol
Dei Propheta Daniel eorum intelligentia
assecutus est,qui ait ad Regem. *Mane:* hoc e
Deus numerauit regnum tuum, & compleuit illu
Thecel: id est, *Appensus es in statera, & inuent*
es minus habens. Phares: Diuisum est regnum tu
& da

datum est Medis & Persis. Statimqúe sequitur in textu sacro. *Eadem nocte interfectus est Balthasar Rex Chaldæus.* O præclarum factum, profundis mysterijs grauidum. Veruntamen percipite, auditores mysteria quæ in hac historia figurata sunt.

Balthasar Hæbraica lingua *tristitiam* designat: Quæ peccatorem quemlibet exprimit, qui mentem habet mœrore cōturbatam, quoniam summum bonum quod perdidit, ac dānum irrecuperabile quod per peccatū incurrit, non percipit. Versatur enim in conuiuijs, voluptatibus ac vanitatibus huius seculi, nulla habita vel mortis vel vitæ futuræ memoria. Dum autem in hac perniciosa ac fallaci securitate se fœlicem victurum cogitat, siue in flore iuuentutis suæ, siue in diuitiarum affluentia, siue in honorum sublimitate, Dei manus adest ita scribēs: *Mane: Thecel: Phares.* Id est, sententiam mortis eius, numerum dierum, vitæ terminum separationemq; animæ à corpore. Ad quem finem perueniens repentinā incidit infirmitatem, turbatur plurimum, & quoniā suis se delitijs & commoditatibus spoliari cernit: Sapientes ciuitatis, id est, Medicos cōuocat: ampla illis promittit munera, si vitam illi medicamentis ac pharmacis contra Dei dispositionem, reparent ac prolongent. Verùm, nec ars nec scientia contra Deum præualet. Solus Daniel, id est, incogitabile consilium & scientia Dei, errare non potest.

Hic peccatorem infirmum, voluptatibus ac gaudijs huius mundi immersum interpellans ait. O te hominem infœlicem. *Mane, Numerauit Deus regnum tuum & compleuit illud. Numerauit*

merauit Deus regnum tuum, dies,inquam, tu
regnandi,ac viuendi super terram, ac com-
pleuit dies vitæ tuæ,quibus te patienter ad p
nitentiam expectauit,quosq; inutiliter in v
nitatibus ac voluptatibus transegisti. *Th*
Appensus es in statera,& inuentus es minus hab
Appensus es in statera iusti iudicij Dei, atq;
inuentus minus habens.

Minus videlicet virtutum, multum vi
rum: minus bonorum operum,multum p
catorum:minus bonitatis, multum iniqu
tis.*Et inuentus es minus habens.* Imaginem
Creatorisq; tui commaculasti,talenta&
naturæ,à bonitate diuina tibi collata,mal
ne vllo spirituali lucro ac fœnore, expe
sti:de quibus sciebas,te quandoq; diuinæ
iestati rationẽ redditurum esse. Quapro
meritò hanc in te dictauit sententiam.*Ph*
Diuisum est regnum tuum, & datum est Med
Persis. Quid putatis, auditores esse hoc
gnum? Est homo ipse,qui duas possidet p
uincias, vnam spiritualem, alteram cor
ralem: animam videlicet & corpus.Proh
gnum hoc peccatoris, nec non & illius,qu
voluptatibus huius mundi viuit, diuidi
dum mortis debitum,exoluit; nam cor
vermibus in cibum traditur,qui Medi dic
tur: anima autem Dœmonibus, qui Per
existũt adiudicatur, cum quibus in æterni
crucietur.

Porrò diligenter hic animaduerte ò Ch
stiane, Regem Balthasarum nocte eiusdé
ei,qua scripturã hanc videt interfectũ fuiss
O miser peccator eodẽ planè tẽpore ac m
mento,quod Deus vitæ tuæ præfixit ac de
minau

ſinauit, mors miniſtra eius vita te ſpoliat, ne putes quod eam vel ad vnum diem, aut particulam contra ipſius voluntatem protrahere poſſis. *Conſtituit enim Dominus terminos tuos qui præteriri non poterunt.* Propterea ſemper mortem tibi imminere cogita, ſentẽtiam mortis in te ferentem, quæ quidem hodie, imò hac nocte executioni mandari atq; compleri poteſt. Quocirca te emendare vanitatesq; huius ſæculi relinquere ne differas, vt dum anima à corpore ſeparanda eſt, licet hoc vermibus in cibum cedat, illam tamen Satanas non accipiat; verùm ſancti Angeli, qui illam in cœleſtem deferant manſionem. *Eſtote ergo parati: quia neſcitis diem neque horam.* Iob 14. Matth. 25.

V.

Omnibus nobis moriendum eſt, ſententia iam lata eſt: *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.* Tempus autem, quo id futurum ſit, omnibus tam iuuenibus quam ſenibus incertum eſt. Vnde S. Bernardus, *in ſermonibus ſuis. Quid,* inquit, *in rebus humanis certius morte? & quid incertius hora mortis inuenitur.* Quare cum diem mortis ignoremus, ſemper nobis in timore ac metu viuendum, vitaq́ue piè & ſanctè inſtituẽda eſt. Audi ô Chriſtiane, vt maiori in metu viuas, qualis ſit tua cõditio. Dic mihi ſi propter aliquod flagitiũ, (quod Deus auertat) ad mortem veneni ſumptione obeundam condemnatus eſſes: tibiq; in carcere exiſtenti ſeptuagiuta vel octoginta paſtilles, quorũ vnus dũtaxat veneno infectus eſſet, ſingulis diebus ſinguli manducandi offerentur: nonne in cõtinuo mortis metu verſareris?

Homini ſẽper mortem eſſe timẽdã, Heb. 9. S. Bernard.

Declaratur id eleganti ſimilitudine.

reris?nōne panem aliquem arrepturus &
mesturus,ignorans illene veneno infectu
an non,mors tibi iam ante oculos oberra
atque diceres. Hiccine est panis ille mor
rus,qui mihi vitam auferet ? Et si eo die
morereris,nonne die sequenti panē sum
rus,exclamares iterum. O me infœlicem,
cine est panis veneno imbutus,qui necem
hi adferet ? sicqúe indies nonne in cont
timore mortis constitutus esses,quousq
dem hausto veneno,animam exhalares
certus sis,vnum aliquem horum panum
neno infectum,tibi vitā erepturum esse
quis sit ignores?In hoc infœlici statu , ô
riam,omnes nos constituti sumus: qui
pter Adami transgressionem , in quo o
peccauimus,iuxta Apostolum dicentem
Rom. 5. *mnes peccauerunt in Adam,* ad mortem co
Gen. 3. nati sumus. Sententia iam dictata est: *Pul*
Hebr. 9. *& in puluerem reuerteris. Statutum est om*
hominibus semel mori. Quando autem id f
rum sit ignoramus. Nobis,ô infœlicita
in hoc mundo septuaginta vel octoginta
aut paulò plures,offeruntur: iuxta illud
Psal. 89. gij Prophetæ. *Dies annorum nostrorum se*
ginta anni, si autem in potentatibus octoginta
& amplius eorum labor & dolor. Hi anni
quasi totidem panes ad viuendum nobis
ti. Horum verò vnus veneno imbutu
qui certissimè vita nos spoliabit, quis au
sit,incertum habemus. Quis enim indie
experientiam non videt , quod aliqui pa
siue annum suum veneno infectum, inu
anno quadragesimo? alij trigesimo?alij v
mo?alij decimoquinto?alij decimo?Iam

q

uàm multi eundem inueniunt anno ætatis uinto, vel secundo? Quam innumeri, bone)eus. ipso sui in hanc lucem ingressus anno undem reperiunt? Et quis nouit an non mul osnostrum buccella panis huius mensis, vel tiam hodiernæ diei, è mundo sublatura sit? Quis enim de vita vel vnius horæ certus est? Audite Ciceronem in lib. *de finibus.* *Nemini,* Cicero. nquit, *exploratum esse potest, quomodo se habitu- um sit corpus: non dico quoad annum, sed quo ad esperum.* Quam multi sunt in mundo, in hac rbe, inter illos qui me hæc differentem au- iunt, quibus præsens hic annus erit venenū, deoq; anno futuro non amplius degent in umanis, neque sermones vltra audient? Cum igitur nos lateat, quis annus, quis men- s, quis dies, venenum nobis porrecturus & itam ablaturus sit, cur non in continuo me- u atque timore viuimus? cur nō in perpetua d illam horam sumus præparatione? cur nō d facimus quod Christus monet, dicens. E- *state parati, quia nescitis diem neque horam?* Matth. 25. Au- lite & aliam similitudinem prædicta vobis ob oculos ponentem.

Si mensę cuipiam accumberes, in qua esset *Alia itē similitudine.* eptuaginta vel octoginta scutellæ diuersorū bellariorum, quarum vnica tantum veneno mbuta foret, eam verò quæ esset, ignorares, atque ex vnaquaque paululum gustare coge- ceris: nonne singulas scutellas extimesceres? nonne in aliquam illarum manum immissu- rus, & aliquid gustaturus, toto corpore, tre- mens diceres: Hæccine est scutella veneno il- lita & pestifera? nonne eodem timore ad ali- as scutellas transires, singulaq; bellaria degu-

ſtares, quouſque tandē in eam incideres, q
veneno hauſto, vita te ſpoliaret? Omnes n
ô humanæ conditionis infœlicitatem, in h
mundo quaſi menſæ alicui aſſidemus, d
innumeris rebus quę in eo ſunt, fruimur. A
ni ſeptuaginta vel octoginta, qui naturæ n
ſtræ vt multum, ſtatuũtur, quaſi totidem ſ
ſcutellæ bellarijs refertæ, quæ nobis ad vi
dum proponuntur. Vnus horum veneno i
fectus eſt, qui necē nobis dabit, ſed quis ill
incōpertum habemus. Quilibet ergo no
ab omnibus & ſingulis ſibi metuere debe
que annum aliquem ingrediens, magno c
dolore atque ſuſpirijs dicere. Heu hic an
qui eſt ſcutella, & cibus, quo nunc paſcor,
fortè mihi nouiſſimus. Et ſi illum ſaluus &
columis euaſerit, ſequētem formidabit, q
uſque tādem in annum illum incidat, qu
mors ex hoc mundo ſuſtollat. Neque ſol
extimeſcere debebit omnes & ſingulos
nos, verũ etiam menſes, dies, horas, mom
S. Auguſt. Vt enim S. Auguſtinus ait: *Voluit Deus, vt*
vltimum ignoremus, vt ab omnibus caueam
Quare, vt mors non inueniat nos impara
in cōtinuo metu ac tremore, atque in per
tua noſtri ipſorum cuſtodia & præparatio
ſtemus: ſi enim nos nihil tale opinantes, atq
nulla ad ipſam obeundam pręparatione m
nitos ſuſtulerit, in imam damnatorum reg
nem certò præcipitabimur, dæmonibuſq
ſociabimur. Ne autem iſta calamitas nobis
ueniat, commonefacit nos Chriſtus, vt ſe
per ad eam parati ſimus, eò quod mors qu
certa nobis impendeat, hora vero nihil ſit
certius. *Eſtote*, inquit, *parati, quia neſcitis di*

ne

que *horam*. Tanta ô Christiane, hunc timorem animo tuo imprimendi, vt illo stimulāre in continua sis prȩparatione, cupiditate flagro, vt insuper alteram his iũgere statuerim similitudinem.

Alia insuper similitudine.

Dic mihi. Si vrbem aliquam ingredereris, in qua degerēt quatuordecim iuratissimi hostes tui, quorum vnus certò te perempturus esset, quisnam autem ille sit ignorares: nonne vnumquemque illorum metueres? nonne omnes simul suspectos haberes, atq; ab ijs pro virili, tibi caueres? Hæc est nostra, ô nos miseros, conditio. Quādo in lucem hanc effundimur, magnam huius mundi vrbē introimus, quā inimici nostri iuratissimi incolunt: quorum vnus certò nobis vitam erepturus est, quisnam autem ille sit, incertum habemus. Qui autem sunt hi hostes nostri immanissimi? Dies & noctes cuiuslibet hebdomadȩ: qui ad numerum decimumquartum, si septenariũ, quot sunt in qualibet hebdomada, dies & noctes, duplices perueniũt. Quòd autem hi sint inimici nostri, testatur S. Paulus ita scribens: *Videte fratres, quomodo cautè ambuletis, quoniam dies mali sunt.* id est, vti glosa quædam exponit, *maligni sunt*. Vnus horum nos aliquando necabit, id est, aderit dies quædam alicuius hebdomadæ, qua ad noctem non pertingemus; vel nox quædam, qua diem minimè videbimus.

Ephes. 5.

Sed quænam illa dies aut nox futura sit, nescij sumus. Cur ergo hȩc cũ animis nostris voluẽdo, non omnem diem & noctem timemus cædi nostræ ab inimico esse destinatam? Cur nõ omnes & singulas suspectas habemus

extremasque nobis esse pertimescimus? Q
obrem, ô Christiane, caue tibi ab omnibus
singulis diebus & noctibus tanquam iurat
simis hostibus tuis & omni tempore para
esse cõtende, quia diem siue noctem quatr
cidandus es, ignoras. Audi summi eloquen
principis *in lib. de senectute* admonitionem, v
Cicero. ait: *Moriendum esse certum est: sed incertum an*
S. August. *ipso die. Mortem igitur omnibus horis impende*
timeas. Audi & S. Augustinum *libro de disc*
na Christiana ita differentem. *Latet vltimus d*
vt obseruentur omnes dies. Audi denique su
omnes alios Christum, clarissimis verb
Matt. 25. nos contestantem. *Estote parati, quia nescit*
em neque horam.

O Christiane. Fateor me rationem pror
ignorare qua fieri possit, vt homo hanc m
tis incertitudinem secum perpẽdens in de
tijs, in ludis, in voluptatibus, & non magi
continuo timore ac luctu vitam transigat.
enim certum & exploratum tibi esset, tri
gesimo abhinc die è viuis excessurum, an
in continuis versareris angustijs, assiduisq
lachrymis te conficeres? & tamen iocaris, r
des, voluptatibusque mundanis te totum im
mergis, cum certus non sis, te ad vespera
esse peruenturum. Vidit hoc ipsum Sene
qui *in Agamemnone* ita ait:

Seneca. *Fleres si scires vnum tua tempora mensem,*
Rides, cum non sit forsitan vna dies.

Sed pergam vlteriùs, atque illam homin
vesaniam manifestiùs ostendam, qui in h
incertitudine vitæ, mundi vanitatibus se t
tos tradunt, cùm potius in continuo mœro
ac luctu versari deberent.

Dici

Dicite mihi, obſecro, auditores, Si eſſet in carceribus vrbis huius numeroſa multitudo reorum, omnis ætatis, ſexus, conditionis, quę morti quidem adiudicata eſſet, ſine vlla ſpe veniæ ac remiſſionis, ſed ita, vt non omnes ſimul & vno die, ſed hodie decem, cras viginti, perendie triginta, ſupplicio afficerentur: reique è carcere pro libitu carnificis, nullo cuiuſquam reſpectu habito, ad extremum ſupplicium ita educerentur, vt nemo eorum tẽpus aut horam necis ſuę præſciret: donec tandem omnes è medio ſublati forẽt. Dicite, inquam, mihi quis animus, quæ mens, quis ſenſus eſſet infælicium horum reorum in carceribus? Quæ eſſent illorũ cogitationes? qua in re tẽpus ſuũ cõſumerẽt? Nunquid in ludis? in voluptatibus? in murmurationibus? in iocis ac riſibus? cõtẽtionibus? Nequaquã, ſed videres illos ſtare męſtos, cogitabundos, atque de nece inferenda, & animarum ſuarum ſaluatione, ſollicitos. At ſi aliquos illorũ in ludis, in delitijs in voluptatibus, in diſcordijs, in murmurationibus ac detractionibus diſtineri cerneres, nonne iudicares eſſe amẽtes, omniq; ratione ſpoliatos? Nonne hoc pacto illos alloquereris? O homines ſtolidi ac mentis inopes, modo non eſt tempus talia agendi, per quæ damnationem veſtram magis ac magis cumuletis: ſed potius ea vobis efficienda ſũt, per quæ mentem veſtram ad Deum dirigere, ſcelerumq; veniam ab eo impetrare poſſitis. *Eleganti ſimilitudine demõſtrat, illos amẽtes eſſe qui cum de morte incerti ſint; mũdi tamẽ vanitatibus ſe tradunt.*

O Chriſtiani, in miſero & infœlici hoc ſtatu, imo in multò infœliciore, conſtituti ſumus, omnes nos filij Adã, qui propter primã parentis noſtri inobedientiam, à cęleſti Rege

ad mortem condemnati sumus. Hæc eni
Gen 3. est sententia ab eo lata. *In qua hora comederis*
Seneca. *eo, morte morieris. Puluis es, & in puluerem reue*
teris. Cui sentẽtiæ sapientissimus Seneca epi
22. concordat, vbi sic ait: *Omne humanum ge*
quod est, & quod erit, morte damnatum est. Ant
quam autem hæc mortis sententia executio
ni mandetur, carcere mundi huius conclu
sumus, in quo nimirum vndequaque mu
fortissimo, videlicet omnipotenti manu D
2. Mich. 7. quam nemo poterit effugere, iuxta illud, N
effugies manum Dei viuentis, circumdamur.
mnibus nobis mors subeunda est, nemo
hac sententia summi ac sempiterni Regis e
emptus esse potest, ne ipsi quidem Enoch
Helias, quorum vitam in tot sæcula De⁹ pr
S. Tho. Aquin. traxit. Nam de his Doctor Angelicus, *in qua*
tum cap. Apocalyps. ita ait. *Enoch & Heliam, diu*
scripturæ morituros esse testantur.

Et quamuis diuinæ voluntatis sit, vt omn
neci tradamur, non tamen vult, omnes nos v
na die simul interire: sed aliquos hodie, cra
alios, perendie rursum alios. Vult præterea
Euripides. diem & horam, qua nobis mors oppetẽda est
Horatius. incognitam esse. Vnde doctiss. Euripides: *Cu*
ctis mortalibus mors debetur, & nullus hominum
certò nouit an visurus sit diem crastinum. Et Ho-
ratius lib. 3. odarum suarum ita ait.

Quis sit, an adijciant hodiernæ crastina summæ
Tempora Dij superi?

Vnicuiq; nostrum, qui ad mortem condẽ-
nati sumus, accidere potest, vt hodie, hac no-
cte è carcere mundi huius euocetur.

Cũ ergo id certò sciamus: quæ nobis mẽs,
quis sẽsus esse deberet? quales oporteret esse

nostra

nostras cogitationes, qualia desideria, quales actiones, qualia exercitia? Si autem in misero hoc statu, recreationibus, ludis, voluptatibus, risibus, discordijs, murmurationibus indulgeremus, nonne meritò vanissimi atque amẽtissimi iudicaremur? Iam verò, quã multi nihilominus in hac versantur mẽtis inopia? qui quamuis ad mortem cõdemnati sint, nullam tamen gerunt animarum suarum curam: nõ student veniam scelerum suorum à Deo pijs precibus implorare: sed mundi vanitatibus, toto animo intenti atq; ita securi sunt: quasi sententiam mortis non excepissent.

O nos stolidissimos qui non animaduertimus, etiam in multo deteriori statu quã istorum reorum, res nostras esse constitutas, & tamen nihil pertimescimus, quin poti⁹ in perniciosa quadam libertate ac securitate vitam transigimus. Illis enim, qui à mundi iudicib⁹ morti adiudicantur, vespera adueniente certi sunt, se illa nocte ad extremum supplicium educendos non esse: at nos peccatores nulla nocte, nulla hora, nulla momento, securi sumus, nos non morituros, atq; ad inferni supplicia rapiendos esse. Quam multi enim nobis visi fuerunt, vespere sani & incolumes tectum ingredi, qui mane mortui reperti fuére? Et tamen, (ô nostram stoliditatem atq; vesaniam) id nobiscũ non perpẽdimus, quasi certi essemus, id nobis haud quaquam euenire posse. Pie Deus, per interminatam misericordiam tuam miserere huius nostræ cæcitatis, & oculos mentis nostræ illumina, vt priusquam mortis sententia aduersum nos lata, executioni mandetur, tempus inter mediũ,

quod incertum eſt, in pijs & ſanctis operibu atque in animarum noſtrarum ſalute curan da conſumere diſcamus.

Cum ergo, Chriſtiani, cũ mortis ſententi excepērimus, illiuſquе executionem ignora mus, adnitamur omni tẽpore in metu ac bo na præparatione viuere non aliter, ac ſi quil bet dies, poſtremus nobis futurus eſſet: iux Caſſiani in tractatu *de Adamo* conſilium, q ait. *Omnis dies, velut vltimus ordinandus eſt:* & i xta monitionem Chriſti Seruatoris noſt

Matth. 25. dicentis, *Eſtote parati, quia neſcitis diem, neq;* *ram.* Addam plura, quo ſalubrem hunc tin rem animis veſtris inſeram, voſquе ad con nuam præparationem & vigilantiam ex tem.

Mors ſagittario elegãter comparatur. Si, ô Chriſtiane, in medio numeroſę hom num multitudinis conſtitutus eſſes, & lo ſublimi atque eminenti vir quidam ſagitta di peritiſſimus, manu arcum tenſum geſta plurimiſq; ad latus iaculis cinctus conſiſt ret, qui arcum frequenter exonerans, nulli habito reſpectu, modo aliquem ante te pro ſterneret, mox alium à tergo: modò vnũ ſu pra te, mox alium ſubt[9] te: modò aliquem a dextram, mox alium ad ſiniſtram tuam, qu met[9]; quæ trepidatio te totũ occuparet, vide vndequaque circa te mortuos ad terram cõ cidere? Quomodo enim fieri poſſit, vt iſta ce nens non formides omni hora atq; omni mo mento, ne aliqua harum lethalium ſagittar etiam te feriat, tibiq; vitam auferat? Quomo do fieri poſſit, vt tum de voluptatibus, hono ribus, ac diuitijs acquirendis, ſollicitus exi ſtas? Quomodo fieri poſſit, vt vel minimam

habea

abeas cogitationem de offendēdo Deo, ani-
ma, aut proximo tuo? Si autem id faceres, & opus cōferre curares, nonne amentissim⁹ que omni iudicio & ratione priuatus esses? In magno hoc discrimine, & mentis vesania omnes nos constituti sumus.

Mors, ô Christiane, est sagittādi callentissima, crudelis, inhumana, nullius habēs respectum: hæc assiduè mortales sagittas, in te, in me, in omnes homines cōtorquet, & ex omni parte circa te, aliquos ad terrā prosternit. Ante te aliquem interimit, quando ei, qui ante te in hanc lucem editus est, vitam adimit. Post te alium trucidat, quando ei vitam aufert, qui post te mundum aspexit. Necat aliquem supra te, quando eum tollit, qui existimatione ac dignitate maior est. Subt⁹ te aliū perimit, quando illum vita spoliat, qui honore atque existimatione te erat inferior. Occidit aliquem ad dextram tuam, quando animam illius à corpore abstrahit, qui in prosperitate maior te est. Denique interficit alium ad sinistram tuam, quando eum, qui pluribus quā tu aduersitatibus atque ærumnis atteritur, prosternit. Redige tibi, ô Christiane in memoriam, eos qui ante te mortem obierūt, & plurimos ex illis, hoc pacto vt dixi, mortuos esse cognosces. Cū ergo tot homines circa te mortuos cōcidisse, atque in cinerem redactos esse cōspicias, quomodo non expauescis, ne omni hora atque momento immanissima hęc iaculatrix, aliquam in te lethalem sagittam cōtorqueat, teq́ue vita spoliet? Quomodo non amentissimus es, si in tanto discrimine, mūdi vanitates, carnis lasciuias, hono-

res transitorios, terrenasq; opes cogitas, i acquirendis toto animo inhias? Quomo non omni iudicio ac ratione cares, si inh tam periculoso statu Deum, proximum, & nimam tuam offendere non metuis?

Aperi, obsecro, ô Christiane, mentis oc los, & expende tecum, quo in statu res tuę stitutæ sint, & omni tempore paratus esse tende, amplectendo præclarūm illud M

S. Gregor. Gregorij consilium, qui *libr. 12. moral.* ait. *incerti sumus, quando moriemur, semper ad m parati debemus venire.* Et illud Christi, ita admonentis, *Estote parati, quia nescitis diem*

Poeta Ital. *horam.* Quibus Italus ille Poëta *in triumph poris* suffragatur cum ait.

Non aspettate, che la morte scocchi
Come fà la piu parte: che per certo
Infinita è la schiera de gli sciocchi.

Id est. Cauete ne expectetis, quoadus mors arcum suum exoneret, vti multò m ma hominū pars facit: nam infinitus est st torum numerus.

O pie Deus, si adeò solliciti sumus in d ponendis ante mortem rebus temporalib ac transitorijs, cur non maiori vtimur soli tudine, in his quæ ad animam pertinent pr uidendis ac disponendis?

In rebus tē-poralibus ante mortē disponendis non autem de ijs quæ ad animā spe-ctant solliciti sumus.

Video enim aliquem, de reb⁹ temporan secum cogitantem ita ratiocinari. Posset acc dere vt hodie, vel cras, subitanea morte, sin loquela, ex improuisò tollerer, & cū res me non sint satis rectè constitutæ & eliquidat relinquerem hæredibus meis perpetuas co tentiones atque discordias: æquum igitur e vt dum sanus & incolumis sum, atque suffic

ens tempus habeo, notarium accersam, testamentum scribam, atque omnia domus meæ negotia rectè disponam: euocet me postea Dominus ad se, quacunque morte placitũ ei fuerit, gaudebo tamen domum meam rectissimè constitutam esse. O prudentiam. O diligentiam præposteram in mundanis rebus curandis ac disponendis. Quamuis enim illud ex se reprehensionem nullam mereatur, attamen magna est stoliditas ac vesania, de morte incerta & improuisa, solo respectu tẽporalium, caducorum ac fugatium bonorũ, quæ non nostra sed mundi sunt, quia ipsa relinquuntur, cogitare: non autem illam nobiscum voluere, respectu animæ quæ æterna, & verè nostra est, quæ si imparati moriamur, æternis gehennæ incendijs traditur.

Video pręterea, aliũ qui ab Rege seu Principe, dignitatem aliquam siue munus egregiũ adept⁹ est, dum adhuc viuit plurimum laboris ac diligentiæ impẽdere, vt in eo ante mortem, filius, nepos, vel consanguineorum aliquis sibi succedat. Id autem vt consequatur, nullã sibi permittit requiem, omnem adhibet industriam, multorum sibi conciliat fauores, medijs omnibus vtitur, auxilia nulla respicit, nullis sumptibus parcit, nec vllam vel minimam temporis iacturam facit. Cogitat enim secum & dicit. Possem post breue tempus ex hac vita migrare. Cras, aut perendie possent dies mei finem accipęre, atque idcirco hac in re mihi dormitandum aut negligentius agendum non est, sed omnes conatus eò conferendi. O qualis est hæc mundana prudentia; quàm supina Christianorum dormitantia:

tantia: ideo cogitate de morte incerta, du
& vicina, vt filij, & propinqui terrena b
hæreditent: non autem de illa vel minim
cogitationem suscipere, propter animam,
ea regni cœlestis possessionem consequa
O prudẽtiam præposteram. O Christian
negligentiam, ante mortem temporalia re
disponere, de spiritualibus verò nihil soll
tari: domui suæ prouidere, & animę non
spicere: esse paratum ad moriendum o
tempore, respectu duntaxat facultatum
renarum, non bonorum cælestium. Quis
iorem vnquam prudentiam & stultitian
dit? Prudentiam, inquam sensus, & stulti
rationis: prudẽtiam carnis, & stultitiam s
tus: prudentiam hominis, & stultitiam ho
nis Christiani. Heu quanta est amentia c
pori duntaxat intendere, & nihil esse soli
de sceleribus animæ, quæ illam in tartar
S. August. demergent, iuxta illam S. Aug. sententiá, c
ait: *Quid est mors? Relictio corporis, depositio sa*
næ grauis si alia sarcina nõ portetur, qua homo
cipitetur in gehennam. Ecce enim video, te
cessitatibus & indigentijs corporis mat
succurrere, de cibis, vestimentisq; illi pro
cere: atque si infirmitatem aliquam incur
medicos accersere, plurima in medicinas
pharmaca expendere, nullas moras inte
cere, sed tota cum solicitudine ista curare.
in curanda anima, cuius multò maiorem c
ram te habere oportuerat, quæq; in maio
necessitate ac periculo versatur, quãdo mo
tifero peccato se cõstrinxit, pigrum, tard
ac negligentem esse. O ignorantiam max
mam, O stultitiam stultissimam.

Dic mihi obsecro. Si duo tibi essent filij, quorum vnus lecto infirmus decũberet, tuaque egeret ope: alter verò propter insigne aliquod flagitium perpetratum, à ministris publicis comprehensus, vinculisq; & compedibus onustus sententia mortis excepta, in carcerem compactus esset: sententiæq; executio tota à principis voluntate penderet, ad cuius primam iussionem, è carcere ad mortem atrocissimam subeundam educendus esset, adeoq; de vita sua ne vnica quidem hora, vel momento certus foret: num ista intelligens infirmũ filium non desereres? ab illius ministerio te subtraheres? atque illius quodammodo obliuiscereris, totã cogitationem tuã hoc conuerteres, quomodo alteri iam iamq; extremo supplicio afficiendo succurreres, tum pro amore atque compassione erga filium, tum pro domus ac totius progeniei tuæ honestate conseruanda? Vtique. Aliter enim si faceres, magna non modò ignorantia, sed & mentis inopia laborare crederis. Ausculta ergo. *Eleganti similitudine ostendit, maiore esse salutis animæ quam corporis rationem habendam.*

Duo tibi filij sunt, à Deo fidei tuæ concrediti, corpus nimirum & anima. Quorum illud infirmum est multis obnoxium miserijs ac ærumnis, frigori, calori, fame, siti, alijsq; calamitatibus quam plurimis expositum. Eget quidem ope tua & adiutorio. Sed est tibi & alius filius, videlicet anima, quæ propter scelera sua in manus ministrorum tremendæ iustitiæ Dei incidit, atq; ab illis, scelerum suorũ vinculis constricta est, iuxta illud, *Funes peccatorum circumplexi sunt me*: condemnata etiam à supremo iudice ad mortem est: *Anima* enim *Psal. 118.* *Ezech. 18.*

quæ peccauerit ipsa morietur : Mortem aũt non vulgarem,sed atrocissimam: ad æter
Matth 25. nimirũ gehennæ incendia, *Qui mala egerint* *bunt in ignem æternum*. Huius verò senten executio ab arbitrio cęlestis Principis depe det,vt animam è carcere carnis huius egre atque ignem infernalem intrare iubeat. D quo ne vna quidem die certus es. Sed quid io die?imo ne hora vel momento, iuxta ill
Matth.25. Seruatoris dictum. *Nescitis diem neque hor*
Act.1. Et. *Non est vestrum nosse tempora, vel momen* *quæ Pater posuit in sua potestate*. Cur ergò sepofita cogitatione corporis,tota mentis licitudine in damnis & periculis animæ auertendis non occuparis?Cur relicto cor re, ad opem animæ ferendam non aduol Cur illius non obliuisceris, vt totum te ad nimæ saluationem conferre atque impend re possis:illa enim,si in ea damnatione mor tur,perpetuam tibi infamiam & vituperiu paries? Animæ, animæ igitur, priùs nobis a tendendum est quàm corpori. De illa nob principalior cogitatio suscipienda, illa adiu uanda est:& si eo peracto,aliquid nobis vacu temporis supersit,corporis etiam necessitati bus prouidendum. Aliter quisquis agit, in magna ignorantia & mentis inopia versatur Et tamen contra facis,adeoq́ contemnis mã
Matt.25. datum illud Domini dicentis. *Estote parati* *quia nescitis diem neque horam.*

Quæ sit differentia inter mortem boni & mali Christiani, eleganti

Aduertite diligenter,Christum non iube re,vt simus parati, quoad illa quæ ad corpu spectant,sed quoad illa, quæ ad animam per tinent. In huius rebus curandis temp' nostrũ primò & principaliter debem' collocare:de-

inde

etiam si tempus suppetat , ad corporis *similitudine declaratur.*
uisionẽ accedere: at si tempus deficiat, re-
o corpore, animæ potissimum erit inten-
dum. Audite obsecro.

Quis, vestrum nescius est, bonum militem
quenter intueri arma sua, operamq́; dare,
a semper sint nitida, splendentia, ordineq́;
centi composita, etiamsi eo tempore nul-
s belli metus sit: eò quòd fieri possit, vt Rex
e Dux exercitus ex improuiso tubas ac
pana pulsari, totumq́; exercitum congre-
iubeat, vt milites omnes recenseat, eorũ-
arma & industriam exploret . At miles
ligẽs ac piger, armorũ suorum pacis tem-
e nullam habet curam , sed in eum qui
mus occurrerit, locum, illa fortuitò abij-
, destrui atque à rubigine exedi permitit;
d quid vtrique in recensione siue lustratio-
euenit?

Is miles, qui tranquillitatis tempore arma
a diligenter asseruauit, eorumq́ue curam
ssit, cum tubis & tympanis concrepantibus
l lustrationem repentinò euocatur, confe-
im ad locum, in quo arma sua reposuerat ac
irrit, breuissimoq́; tempore ea omnia sibi
laptat: quo fit vt benè armatus ac munitus
udenti animo ad recensitionem pergit;
incipiq́; suo se præsentet. At contra miles
e, qui securitatis tempore arma sua negle-
t, eaq́; partim inutilia fieri, partim rubigine
formari siuit, tympani ac tubæ strepitum
audiens, atque ad arma, lustrationemq́;
bendam se vocari aduertens, animo per-
rbatur, metuq́; ingenti corripitur : moxq́;
nuolat ad gladium limandum, ad purgan-

dam loricam,ad lora galeę reparanda,ad
tum ſtringendum,at breuitate temporis i
peditur,ne boni quicquã efficere valeat. N
quam enim, quãtamuis adhibeat induſtri
tam breui ſpatio id conſequi valebit,vt neg
gentia ipſius cęteris non fiat manifeſta, ad
qúe vt Principis ipſius reprehenſionem,
grauem etiam animaduerſionem effug
Quis enim neſcit,illum, antequam ad lu
tionem euocaretur, ſibi prouidere de ar
debuiſſe?

O Chriſtiani, qualem exiſtimatis eſſe v
noſtram? Eſt militia, eſt bellum quoddã.
pè enim iam audiſtis illud S.Iob. *Militia eſt*
Iob.7. *ta hominis ſuper terram.* Nos ſumus veluti m
tes in hoc mundo cõſtituti. Vnde S.Pau
2.Tim.2. ad Timotheum ſcribens ait. *Labora ſicut bo*
Epheſ.6. *miles Ieſu Chriſti.* Arma noſtra ſunt virtutes
bona opera. Scutum noſtrum eſt fides: gal
ſalus:lorica,iuſtitia:ocreæ,pax:gladius, ve
bum Dei,quemadmodum idem S.Paulus
epi.ad Epheſios teſtatur. Rex noſter ſiue d
eſt Deus,qui per infirmitates, tympanũ pu
ſat,noſq́ ad ſe recenſitionis & luſtrationis e
gò euocat. Vult enim videre an virtutibu
ſanctis cogitationibus, & pijs operibus be
armati ac muniti ſimus. Induſtrius mile
Chriſtianus inquam,qui antequam euocare
tur,ſæpè arma ſua conſiderauit, eaq́ dilige
tiſſimè cuſtodiuit: Qui fidem habet viuam
ſpem certam,iuſtitiam in operibus ſuis rect
veram cum omnibus pacem,ac deniq́ verb
Dei ſanctiſſimaſqúe leges ipſius ſeruare,ac ſe
per promptus ac paratus eſſe ſtuduit: quand
in morte à Domino ſe vocari ſentit, nullo ti

mor

re corripitur, sed iucundus & alacer, Domi sui conspectui se offert. At Christianus ses ac piger, qui arma hæc sancta nunquam exit, ea nõ diligenter asseruauit, nec semparatus esse studuit, quando per infirmis lethales à Deo se vocari percipit, totus remiscit, velletq; arma sua celeriter prçpare atque expolire, Confessarium & Pas spirituales aduocare, imperfectiones & a sua tollere atque corrigere, virtutibus ijs actionibus se tradere: sed temporis breis non sinet illum, pro negligentijs multo a annorum & mensium tam paucis horis sfacere. Notat eleganter hanc Christianon negligentiam & socordiam S. Chrys. ho. in Matthæ. vbi ait. *Malus seruus non aspicit ra sua, quid facit, quid non facit, aut quid credit. d cum viderit de longè Dominum venientem, o- ra perspecturum & fidem, tunc aspicit opera sua, nc incipit festinare; Sed nihil ei proderit festina- , quia multorum dierum negligentia, non potest na hora expleri.* S. Chrys.

Cum ergo diem & horam, qua Dominus d recensitionem atq; lustrationem nos vo- aturus est ignoremus, ne forsitan ex impro- iso id nobis eueniat, faciamus id quod boni ilites agere consueuerunt, & omni tẽpore r virtutes, & bona opera, parati simus: amectendo illud Christi consilium. *Estote para- quia nescitis diem neque horam.* Auetisne scire usam, cur multi ad mortem se minimè prç- rent? Eam vobis explicabo. Attendite. *Matt. 25.*

Homines mundani & peccatores, mortem ngè dissitam esse arbitrantur, diutissimè se cturos sperant, hacq; spe suffulti, ad piè mo- *Quia mortẽ lõgè abesse arbitramur idcirco ad eam nos non præparam⁹.*

riendum se non præparant, affirmantes, f
tempus ad id rectè peragendum, minimè d
futurum. O infœlices, qui non audiunt Spi
tum sanctum per os Regij prophetæ dice
Psal. 54. tem. *Viri sanguinum & dolosi, non dimidiabunt d*
es suos. Viri sanguinum, sunt peccatores, qu
Psal. 50. in diuinis literis per sanguinem intellig
peccatum, Vnde Dauid orat. *Libera me de sa*
guinibus Deus, id est, de peccatis. In præalleg
to igitur sacrarum literarum loco Spiri
sanctus innuit, homines peccatis implica
ad dierum suorum medietatem haud q
quam esse peruenturos. Quid ais Spi
sancte? Quomodo dies ipsorum sunt, l
medietatem illorum non pertingunt? vol
auditores, hoc loco indicare, eos plerum
diuturnam sibi vitam polliceri atque in m
tos annos vitam se extracturos esse cogita
sed vix vnquam ad eorum dierum, quos
falsa persuasione imaginati fuerant, medi
tatem peruenire. Vt ergo hanc spem depo
rent, vitam corrigerent, atque ad mortem
Psal. 54. mni tempore parati essêt, ait: *Non dimidiab*
dies suos. Vbi aduertendum est, quòd dice
do, eos ad medietatem dierum suorum, e
rum videlicet. quibus se victuros esse arbit
bantur non peruenturos, demonstret, illos
tiam ante istius medietatis absolutione
mortem obire posse, adeoq; cum ignore
quando ex hac vita tollendi sint, vitam in m
lius mutare, atque singulis diebus ad m
tem paratos esse debere, amplectendo ill
monitionem Christi dicentis. *Estote pa*
quia nescitis diem neque horam. Adducam ali
sacræ scripturæ locum huc facientem. At
dite.

Dicit Ecclesiastes. *Noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo*. Quid sibi vult Sapiens, hac locutione, cum omnes moriantur tēpore & hora à Deo statuta atque determinata? Sic enim ait Iob ad Dominum. *Posuisti terminos eius, qui præteriri non poterunt*. Et Dauid. *Ecce mensurabiles posuisti dies meos*. Si ergo hæ sententiæ veritati consonæ sunt, quomodo verū est hominem mori tempore non suo? Audi. Duo sunt tempora, morti nostrę constituta: vnum à Deo, alterum à nobismetipsis. Tempus à Deo decretum, est verum & infallibile mortis nostræ tempus: & de isto prædictæ sententiæ debent intelligi: id verò quod à nobismetipsis, imaginatione nostra cōstituitur, fallax & incertum est. Homo enim, vti diximus sæpenumerò diuturnam sibi vitam pollicetur, atque hoc est tempus ipsius: ante quod si à morte ex hac vita tollatur, moritur in tempore non suo. Et quia tam citò se moriturum non credit, haudquaquam ad benè ac piè moriendum, se præparat: ideoq; imparatus moritur, & rectà pergit ad infernum. O quanta est amentia, & rationis inopia, longam sibi vitam fingere, & priùs quàm ad hunc terminum perueneris, emori, sempiternæq; dānationis sententiam subire. Huius erroris atque stultitiæ commonefacit nos Sapiens, cū ait. *Noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo*. Quamobrem fratres, nolite cogitare vitam longam & diuturnam, sed breuem, quasi hodie aut cras ea finienda esset, vt hac ratione ad mortem omni tempore parati sitis, nam fieri potest, vt hoc sit tempus à Deo morti vestræ constitutum: ita verò si feceritis, non

Eccl. 7.
Iob. 14.
Psal. 38.
Eccl. 7.

amplius stulti sed sapientes eritis, atque i
pore non vestro sed Dei moriemini, ad
non iam ad inferni incendia, sed ad se
terna supernæ fœlicitatis gaudia transi
Estote ergo parati, quia nescitis diem neq; ho

Nũquid fugit vos auditores, S. Petru
Ioan. 21. nudus piscationi intenderet, quando D
num in littore ambulantem cõspexit, se
cinxisse, sicq; vestitũ in mare se proieci
ad illum enatasse? Quamobrem fecit
Nunquid non meliùs & faciliùs ei erat,
quàm vestitum natare, cùm vestes, aqui
butæ nimia mole sua hominem grauẽt a
impediant? Et tamen S. Petrus cúm esse
dus, atque nataturus esset, sese vestiuit. Q
signe mysterium: Fecit hoc, ne nud' ante
minum summę excellentiæ & maiestati
pareret: maluit enim aliquantò plus lab
ac molestiæ, in vestibus natando perpeti,
nudum Christi conspectui se offerre.

Hic sanctus vir, auditores, nobis imita
est, qui sumus veluti natatores in magno
ri huius mundi, cuius littus est mors. Ad
littus in quo Dominus consistens nost
præstolatur aduentum, debemus virtu
& bonorum operum indumentis vestit
natare: quæ quamuis magnam nobis m
stiam & difficultatem coniunctam hab
videantur, attamen illam non debemus
tendere, quin potiùs obuijs vlnis ample
vt coram illo vestiti & ornati compar
mus.

Quia verò nescij sumus, quãdo ad hoc li
adnaturi, & diuino cõspectui præsentandi
mus, id nobis faciẽdũ est, quod idẽ Domi

Estote parati, quia nescitis diem neque horam.
quod S. Iob dicit, qui nos omni hora ac
momento ad moriendum paratos esse do-
cet. Is enim de hac præparatione loquens ait.
morabitur in messe mea. Quam præparatio-
nem vt rectiùs intelligatis aduertite. Messis ea
est, quando frumentum demessum, ex agris
in horrea aduehitur atque excussum recon-
ditur. In hac si tempus sit serenum & siccũ, spi-
cæ patent, & messor dum demetendo segetes
atque in manipulos redigendo eas commo-
uet, grana in spicis latentia facilè excutit, atq;
in terram spargit, quæ nulli ampliùs vsui de-
seruiunt, quàm vt sint immundorum anima-
lium, formicarum & auium cibus. At si tem-
pus sit pluuium ac nebulosum, spicæ humidi-
tate plenæ, constringuntur granumqúe intus
latens arctius complectũtur, vnde fit vt mes-
sor etiamsi spicas fortiter moueat atque con-
cutiat, attamen grana non facilè decidant, a-
deoqúe totum frumentum integrè in horrea
conferatur. Nos, auditores, huic messi similes
sumus. Spica est corpus, granum est anima: tẽ-
pus nostræ demessionis est mors, in qua præ-
cidimur & ex hoc mundo tollimur. Hoc tẽ-
pore adueniente, si rore & aquis diuinæ gra-
tiæ perfusi fuerimus, quamuis infirmitates,
dolores & tormenta mortis demetentis nos
concutiant, cõquassent, & ad terram proster-
nant, nunquam tamen cadet anima in caligi-
nosam illam infernæ regionis terram, sed in
cæleste horreum transferetur. At si rore di-
uinæ gratiæ haudquaquam tincti, sed contra
virtutibus ac meritis deficientibus sicci ari-
diqúe fuerimus, cadet, (ô infœlicitatem no-

Iob 29.
Eleganti ostendit similitudine nos messi esse similes.

 stram,)

ſtram,) miſera anima, in horrendam illa damnatorum regionem, vbi ſit immundiſſimorum Dæmonum cibus & nutrimentum.

Idcirco S. Iob quia ſemper in bona præparatione, & in Dei gratia viuebat, totus alacer & gaudens magna cum fiducia ait. *Ros morabitur in meſſe mea.* id eſt. Quando tempus illud adfuerit, quo à morte ex hoc mũdo demetar & ſtollar, cæleſtis ros, gratia videlicet diuina inuenietur in me quæ nõ permittet animam meam ruere in infernum, ſed faciet eam cælo collocari. O ter quaterqúe fœlicẽ Christianum, qui in extremo ſuæ mortis articulo rore diuinæ gratiæ imbutus inuentus fuerit, quia cum ſancto hoc viro in cęleſte horreum inferetur. Hinc eſt quòd Chriſtus ſeruator noſter, qui mortis noſtræ tempus incertum eſſe nouit, quiq; nos mauult cæli, quam inferni habitatores eſſe, adhortatur nos, vt rore hoc cæleſti omni tempore tincti eſſe ſatagamus, cum ait. *Eſtote parati, quia neſcitis diem neque horam.*

Iuuenes magis quam ſenes mortis ictibus ſubiacent.

Omnibus generatim hominibus in hac præparatione manendum eſt, tam iuuenibus quàm ſenibus. Quamuis enim ſenes certi ſint ſe poſt breue tempus morituros: attamen iuuenes exploratum non habent, ſe longo tempore victuros eſſe. Socrates dicere ſolitus erat, mortem ſenibus ante oculos verſari, iuuẽibus verò poſt tergum inſidiari. Ecquis autem non videt, hac in parte ſenum maiorem eſſe quam iuuenum fœlicitatem? Nam quando quis inimicum ante ſe atque in conſpectu habet, poteſt ſe ab illo defendere, gladio aut alijs armis ictus illius auertere, artes artibus con-

ontrarijs eludere,suæq; saluti omnibus mo-
lis prospicere. At si quis illum à tergo insidi-
ntem habeat,in maximo versatur vitæ amit-
ndæ periculo. Non conspicatur hostem,nõ
bi prospicit,ictus illius non curat propulsa-
e,quo fit,vt hostis gladio bipenni, aut alio ar
orum genere ex inopinato illum adoriẽs,
el caput illius dissecet, vel eum valido ictu
onfodiat,neciq; tradat. Eadem est prorsus
nter iuuenes ac senes differentia. Senes ini-
nicam mortem ante oculos versantem ha-
bent,ideoq; ab illa sibi cauent,ictus illius opti
nis cibis,victus sobrietate,electuarijs partim
oborantibus, partim præseruantibus , cre-
oris purgationibus,cauterijs,fonticulis, aeris
noxij,solis feruentioris, pluuiæ nebularum,
ac frigoris deuitatione, propulsant.

Iuuenes verò qui eam à tergo insidiantem habent, non conspicantur illam,paruipendunt eam,nec vllis remedijs ictus illius auertunt: Quò fit,vt mors ex improuisò superueniens gladio infirmitatis, mortiferum ictum febris,aut alicuius alterius symplomatis illis infligat,prosternat,neciq;, ac demum sepulturę tradat. O quàm verum est,plures in macellum ouiculas quam oues, plures capellas quam capras inferri. Non igitur iuuenibus magis quam senibus lętandum,ac de vitæ lõgitudine præsumendum est,sed potiùs tristãdum & metuendum,quoniam in maiori versantur periculo. Quia ergo cunctis tum senibus tum iuuenibus mors extimescenda est, curandum erit vt omni tempore ad illam parati sint,iuxta illud Seruatoris dictum. *Estote parati, quia nescitis diem neque horam.*

VI. Sem-

VI.

Bonis nulla mors etiam subitanea mala est.

SEmper, auditores, estote parati, veniat inde mors, quandocunque illi collibi fuerit; etiam illa quæ subitanea dicitur, vobis incommoda adferet. Homini enim nè disposito, ac Deum in cunctis action suis præ oculis habente, mors subitanea modò mala non est, sed etiam omni alia te melior, quia minimo cum dolore atq mento ipsum ex hac vita tollit, & velocis ad aliam vitam beatissimam, atque omn bonis affluentem, transire facit. Audite pientem. *Iustus*, inquit, *si morte præoccup fuerit in refrigerio erit.* Quodnam est hoc frigerium nisi æterna beatitudo. Quanqu inficias ire non possum, homini impræp to, atque in mortiferis sceleribus exist mortem subitaneam pessimam esse: quia ta & aditus illi est ad infernum. Vnde P ille rectè cecinit.

Sap. 4.

Morte repentina noli gaudere malorum,
Fœlices obeunt qui sine crimine viuunt.

Notate diligenter singula Ethnici hu poetæ verba. Dicit *malorum* non *bonor* quia mors improborum lachrymis & co plorationibus digna est, quoniam ad infe tormenta pergunt: proborum verò gaud quia ad cælestis paradisi fœlicitatem euola Idcirco addit.

Fœlices obeunt, qui sine crimine viuunt.

Non aduertitis S. Matrem Ecclesiam id nos instruere, ad precandum, non simplicit & absolutè pro auersione mortis subitane sed mortis subitaneæ & improuisæ. *A subit nea & improuisa morte libera nos Domine.*

Qu

Quia subitanea bona esse potest, at impro-
sa nunquam. Improuisa enim aliud nihil
quàm non præuisa, imparata, ex inopinatò
perueniens, & hominem ad piè moriēdum
positum non reperiens. Talis autem mors,
oniam semper mala est, idcirco Ecclesia
n ait absolutè, *A subitanea morte*, verum ad-
ngit, *& improuisa*.

Fratres mei hoc pro certo & explorato ha-
tote, subitaneam mortem probis nūquam
bonam, & improuisam, improbis nunquã
n malam esse. Audite S. August. libr. de do- *S. August.*
ina Christiana, id luculentis verbis asserē- *Subitanea morte iusti alicuius peccatorem Deus ad se reuocat.*
m. *Non potest, inquit, malè mori, qui benè vixe-*
& vix benè moritur, qui malè vixerit: Cùm
go mors subitanea bona esse queat, Deus
stum aliquem morte subitanea ex hoc mū-
tolli vult, vt peccator inde fructum hau-
at, atque documentum vitæ in melius mu-
ndæ accipiat: Cogitat enim intra semetip-
m & dicit. Si mors illa repentina, quæ ho-
inem illum iustitia & probitate insignem,
tque fidelem Dei seruum, ex inopinatò su-
tulit, heri, hac nocte, hoc mane me peccato-
em, ac dæmonis mancipium repentino ad-
rta fuisset, quid de me factum esset? Si ea-
dem me hodie, hac hora, hoc momento,
uemadmodum fieri potest, ex hoc mundo
uferret, quam misero in statu me reperiret?
nueniret enim me superbum, ambitiosum,
indictæ cupidum, adulterum, vsurarium, o-
io, inuidia, & alijs innumeris sceleribus re-
ertum. Et quò miser ego, tot flagitijs contā-
inatus, pergerem, si repentina morte tolle-
er? Ad æterna profectò gehennæ incendia.

Opus

Opus igitur est, vt seriò vitam meã corrig re, ex virtutis præscripto viuere, atq; ad mo tem omni hora paratus esse satagam.

Videtis ergo quem fructum Deus à pecc toribus eliciat, quando hominem probum vitæ integritate conspicuũ, repentina mo tollit, quoniam illum ad sui metipsius agni nem reducit, adeoq; ad vitæ mutationem, benè mori valeat, disponit. Ne igitur fid timueritis mortem, si probi estis: nulla en mors nec subitanea, neq; tarda, probo ho ni extimescenda est, cum vtraq; sit magnæ tilitatis, & fructus.

Nulla mors homini probo mala esse potest.

Notãda diligenter tibi sunt ô Christia illa S. August. verba. *Non potest malè mori, qui nè vixerit.* Ex illis enim intelliges, nullam homini; qui ex virtutis præscripto vit suam instituat, mortem malam esse posse. mihi, amabo te. Ecquæ mors tibi mala ac dere potest, si tu bonus fueris? Illane quæ h minem acuta febri interimit? Non, quia febris est tibi clauis; regni cœlorum por reserans. Illane, quæ intollerabili dolo corporis aut membrorum homini vitam a fert? Non, quia dolor hic, est tibi malleus, s pernæ ciuitatis portas feriens, tibiq; aditu ad beatissimam sanctorum gloriam facien Illâne quæ illum veneno epoto necat? No quia venenum illud est tibi præuia quædam ad delicatissimam beatorum cœnam, ref ctio. Illâne, quæ hostili gladio hominem tru cidat? Non, quia gladius iste sternit tibi semi tam ad regnum cœleste, submouens omni dæmonum offẽdicula, quibus iter tuum im pedire conantur. Illâne quæ hominem bom bard

da, ſclopeto , aut alio tormento bellico ſternit? Non quia hoc tormentum fortiſ- a cæleſtis Hieroſolymæ mœnia deijcit, ocitiùs illa penetrare poſſis. Ecquæ igitur, rs tibi mala eſſe poteſt, ſi benè viuis? Illâne hominem aquis præfocat? At hæc mala eſt: quia iſtæ aquæ nauiculam tuam vnico mento, in tranquilliſſimum æternæ bea- dinis portum propellunt.

Illâne quæ hominem flammis exurit? Ne- hæc mala eſt: quia iſte ignis eſt tibi cu- lus in cælum te velociſſimè eijciens. Illâ- , quæ hominem viuum ſub terra ſepul- n interimit? Sed neque iſta mala eſt : quia eæ iſtæ ſubterraneæ quibus infoderis, t tibi portæ per quas ad beatorum glori- quàm citiſſimè ingrediaris. Illâne quæ minem in patibulo ſuſpēſum laqueo ene- t? Neque hæc mala eſt, quia iſte laqueus ſu- a omnes cælos te in ictu oculi ſubleuat. Et paucis abſoluam, quæ demum mors mala nocens tibi eſſe poteſt, ſi probus ac integræ æ fueris? Illâne, quæ hominem in minutas rtes diſſectum, forcipibus candentibus in- um, aut capite plexum per incognitum er- rem iuſtitiæ occidit? Sed hæc mala non : quia iſtæ ſecures, iſti forcipes , iſti gladij nt inſtrumenta vno impetu cœleſtis para- i portas effringentia & reſerantia , vt eas grediens, ibi ſempiterna requie perfruaris. uapropter Chriſtiane , huc omnem tuam nfer induſtriam, vt probus ſis, ſic enim fiet, nulla tibi mors mala eſſe valeat. *Non poteſt lè mori, qui benè vixerit* . Vitam tuam ad rtutis & honeſtatis normam dirige, veniat

poſtea

poſtea mors qualiſcunque volet, nihil tibi
commodi, mœroris ſeu formidinis adfer
Nunquid ô fideles, noſtis quid vobis po
Peccatũ potius formidandũ quã mors. metuẽdum ſit? Peccatum. Ab hoc vobis o
nibus modis cauete: illud ſuper omnia m
mala extimeſcite, quia mortis & omnium m
lorum noſtrorum cauſa ei adſcribenda e

O quàm ſtolidi & rationis inopes illi ſu
qui mortẽ potius, quàm peccatum refor
dant. Iſti ſimiles ſunt pueris vſu rationis a
iudicio deſtitutis, qui laruas, quibus ho
nes perſonati facies ſuas contegunt, ve
Declaratur id eleganti ſimilitudine à pueris petita. menter horrent, quæ tamen cum ſint riſ
contemptione dignæ, reuera formidand
ſunt: At ignis, quem potius metuere debe
quoniam ardet atque comburit, nullum
bent timorẽ. Vnde ſæpenumero fit, vt ſim
ces pueri, ſine vllo metu manũ in ignẽ, aut
delã accenſam inmittãt. His, inquam, ſimi
ſunt, qui mortem magis quàm peccatum h
rent. Pertimeſcunt enim id, quod verè tim
dum non eſt: illud autem, quod reuera m
eos afficere deberet, nihil reformidant.

O quàm hebetes, quàm amẽtes, quàm ſt
lidi pueri ſumus, qui non aduertimus, mo
laruę nullius momenti inſtar eſſe: vtpote q
ſola ex ſe nobis nocere, aut damnum aliqu
inferre nequit, adeoq́ue timenda non e
peccatum verò, contra maximi momenti
nocumenti eſſe: vtpote quod eſt ignis co
burens, & conſcientias noſtras exedens, at
ſempiterna nobis incendia & tormenta p
S. Chryſ. hom. 4. ad pop. Antio riens. Audite aureum illud os S. Chryſoſto
mum, inſigni ſententia hanc noſtram igno
rantiam & hebetudinem puerilem inſectan

tem

Nos, inquit, *timemus mortem, quæ est larua* *mptu digna : peccatum verò non timemus,* *verè timendum est, & ignis morte conscienti-* *omedit.* Hic igitur ignis peccati metu nos tiat, non larua mortis : hoc enim pluri- m nobis proderit ad amplectendum salu- simum illud Christi consilium, vbi ait: *te parati, quia nescitis diem, neque horam.* Sed pus est, vt receptui canam, & explicati onis vela contraham, sed prius docu- tum quoddam egregium conclusionis , charitati vestræ suppeditabo: quod non dò ad mortem nihil omninò formidan- , sed etiam parato animo excipiendam is vsui erit.

Amplectimini fideles, præclarum illud ar- tium quod Diogenes Ethnicorum sapien- non infimus ; in epistola ad Menonem ptum reliquit: Ait enim hominem, dum us & incolumis est, vt mortem venientem metuat, frequenter mente & cogitatione m sibi debere ob oculos ponere, atque a- mo fingere, se iam esse vita spoliatum, rigi- um, atque manibus in modum crucis com- sitis sepulchro impositum : sic enim futu- um, vt quando illa venerit, non modò eam on formidaturus, sed etiam iucundo & hi- animo excepturus sit. Quod nec Seneca uit; qui lib. naturalium quæst. ita scribit: *ce tibi mortem familiarem cogitatione, vt m sors tulerit, possis illi etiam obuiam exire.* oc igitur, quod hi sapientes consulunt, totis ribus, ô Christiani, in opus deducere sata- e, si mortem vos adorientem, læto vultu, picere desideratis. Dum sani atque incolu-

Diogenes.

Vt homo mortem nō timeat, cogitatione frequenter mori debet.

Seneca.

mes estis, mortem cogitatione atque ani
frequenter obite. Semel vt minimum in
aut certe in qualibet hebdomada, hora ad
bitum vobis constituenda, cogitatione in
pulchro vos collocate, quasi iam vita fu
essetis: manibus insertis, aut crucis instar
plicatis, oculis profundatis & clausis, v
pallido, labijs liuidis, cruribus rigidis,
mibus vndequaque circumdati, multis
bus aridis ac nigris, pro ceruicali & plum
lecto substratis: & dicat vnusquisq; sibi m
psi intus in corde: Talis aliquando fut
sum: sed quãdo id futurum sit me latet:
fieri possit, vt hodie, hoc mense, hoc ann
fiat. O vos fœlices, si hoc pacto frequent
vita mori studueritis, sic enim per bona
inculpatam vitam, ad piè & sanctè mor
dum vos disponetis: atque in ipsa exitus h
non modo mortem non formidabitis,
etiam læto ac hilari vultu excipietis. Affir
Seneca. hoc ipsum sapientiss. Seneca epistola 30.
ait. *Mortem venientem, nemo hilaris accipit,*
Socrates. *qui se ad illam diu speculans composuerit.* Hæc
vera illa philosophia de qua Socrates inq
Vera philosophia est frequens consideratio mo
Ita facite, auditores, & lapidem mortis, q
cunque tempore vos contriuerit, neutiqu
pertimescetis; sed gaudenter amplectemi
Addam & illud.

Vt mors nõ timeatur fructus illius sæpè nobis expendẽdi sunt.

Ad mortem non metuendam, sed hilari
nimo subeundam, plurimum proderit, vt
tatem ac fructum inde resultantem, secu
expendere. Viator vt itineris molestiæ sua
sibi esse videantur, respicit ad hospitium
quo requieturus est. Seruus ad anni fine
qu

seruitij sui mercedem consecuturus est. ...les ad mensis euolutionem, quo stipendi... acceptururus est. Agricola ad messem, quo ...orum suorum fructum percepturus est. ...lier grauida ad nonum mensem, quo pa... ...ra & prolis mater futura est. Nauarchus ...portum, in quo lucrum facturus est. Ideo... ...e viator vt viæ molestiam & difficultatem ...n metuat, canit hospitium. Seruus, vt gra... ...m non sustineat seruitutem, canit merce... ...m. Miles, vt vulnera & hostile ferrum non ...rreat, canit prædam ac triumphum. Agri... ...la, vt labores & sudores in excolẽdis agris ...nsentiat, messem fertilem & vberem ca... ...it. Mulier vterum gestiens, vt grauedinem ...æ parturitionis nõ percipiat, canit partum. ...ta & nos, vt nec vitæ huius calamitates & æ... ...umnas, nec ægritudines lethales, nec deniq; ...ortem ipsam formidemus, sæpè recordari ...ebemus fructuum ac præmiorum, quæ in ...elesti Paradiso nos manẽt: ideoq; frequenter ...antare futuræ vitæ fœlicitatem, quam post ...ortem consecuturi sumus. Vnde S. Chrys. *S. Chrysost.* ...n Matth. *Serui Dei, inquit, libenter de morte co*... *...stant:* idq; non aliam ob causam, quam pro... ...ter cæleste præmium, quod tum adepturi ...unt. O sanctam cogitationem. O fructiferam recordationem.

Eia igitur, Christiani, vt tandem aliquando huic sermoni finẽ imponã, quia vniuscuius... que vestrum discessui ex hac vita, præsens ad esse nequeo, instruam vos qua methodo ad mortem vos disponere, quidq; in extremo & *Vt piè quis* periculoso hoc articulo, facere debeatis, vt *mori valeat* piè & sanctè, vti veros decet Christianos, *Christus in*

cruce moriẽs nobis imitã- dus est. hac vita defungamini. Date operam, vt quemadmodum Christus in cruce mortuus est, & vos moriamini: & illis præparationibus quibus ille ad hanc mortem crucis se disposuit, ijsdem & vos vtamini.

Non quidem, vt reuera cũ illo crucis mortem subeatis, hoc enim nemo à vobis exigit: sed vt illud mysticè compleatis. O vos fœlices ac ter quaterqúe beatos, si ita egeritis.

Nam quoadmodum moriendi, habuit ille in morte sua, crucem pro lecto, clauos pro puluinaribus, cælum pro tecti papilione, latrones secum crucifixos pro socijs, fel & acetum pro potu, lachrymas quas vbertim profudit; & vocem validam, qua ante spiritus emissionem exclamauit. Quoad præparationem verò voluit habere corpus nudum, manus clauis transfossas, pedes cruci conclauatos, caput spinis coronatum, venas exangues, & caput in spiritus emissione inclinatum. Ita & vos, (quòd ad modum attinet) collocate primùm vos in lectulo crucis per contemplationem: id est, conuertite oculos vestros ad Christum cruci affixum, & asperum ipsius lectulum, in quo vestri causa benignissimus Seruator iacere dignatus fuit, diligenter intuemini. Deinde reclinate vos supra clauorum puluinaria, id est, ad clauorum illorum, qui manus & pedes illius penetrarunt, attentam contemplationem transite. Sit vobis cælum pro tecti papilione, quod fiet si firmam spem habueritis, regnum cęleste post mortem obtinendi. Sint vobiscum cruci affixi duo latrones, id est, peccatum & mundus, qui innumeras animas neci dant, ac Sathanæ in pos-

possessionem tradunt. Cibus vester sit fel, est, memoria pœnarum, quas illi patiuntur, qui in Dei gratia emori non studuerunt. Et atum, id est, omnium sensuum & appetitionum perfecta mortificatio. Lachrymę vestrę sit, vera pro sceleribus admissis pœnitentia, tendo, vt intrinsecus, minimum, pro ijs, m magna cordis contritione, ploretis. Vox lida, quæ vobis emittenda est, sit illa, qua eum altissimum inuocetis, vt vobis in hoc mendo mortis agone opem ferat. Dein-, (quoad præparationem) satagite, vt nudi s ab omnibus mundi affectionibus, ne dæon, qui tum aduersum vos totis viribus su- decertaturus est, quicquam reperiat, quo s possit apprehendere. Estote cruci clauis fixi, id est, firmum habetote propositum, nquam abijciendi iugũ Christi. Estote spis coronati, id est, diuitiarum vestrarum, æ in sacris literis spinæ appellantur, parm egenis & ad opera pia, pro animarum verarum salute relinquite, sic enim capiti vero coronam spineam contexetis. Estote angues, id est, nolite committere, vt amor nguinis & consanguineorum vestrorum obis impedimento sit, vt malè parta non stituatis, & debitoribus non satisfaciatis. enique inclinate caput, quemadmodum hristus inclinauit, id est, animo volenti ac ilari mortem subite, vt hac ratione diuino eneplacito vos conformetis, & dicite: Doine, quandoquidem voluntas tua est, vt unc moriar, ecce inclino caput meum in signum obedientiæ, quòd videlicet ad obmperandum beneplacito tuo hanc mortẽ

voluntariè amplectar.

O meditationem sanctam. O diuinam c[…] templationem. O præclaram methodum piam mortem se disponendi. O Christi[…] si cum hac meditatione ac præparatione[…] mam emiseritis, (nisi in ea quid purgand[…] remanserit,) statim ad paradisum & cæl[…] regna euolabitis, vt ibi simul cum Deo, [...] gelis & Sanctis omnibus, æterna beatitu[…] perfruamini, quod nobis omnibus pr[…] Christus Seruator, qui pro nobis mor[…] us, ibi perenniter cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus. Amen.

R. D. GABRIELIS FINCHINO CANONICI REGVLARIS LATERANENSIS.

CONCIO DE EXTREMO IVDICIO.

Habita Neapoli in Ecclesia S. Ioannis Maioris prima Dominica Aduentus, Anno Domin. Incarnationis M. D. LXXIX.

Erunt signa in Sole & Luna & Stellis &c. *Luc. 21.*

PROOEMIVM.

SI cælo tempestuoso fulgura coruscantia, & tonitruæ resonantia, tantum hominibus terrorem incutiunt, vt quoties fulgura aërem illuminant, atq; è nubibus emicant, toties penè exanimentur, subitaneaq; morte se defuncturos metuant. Arbitrantur enim vnumquodque fulmen, æthereum illud telum & Iouis fulmen, quod in ictu oculi, turres, ædificia, arbores, comburebat, deijciebat, solo adæquabat, & mortalibus qui à veloci & impetuoso cursu siue volatu eius, fortuitò deprehēsi fuerant, inopinatam necem inferebat, secum adducere. Quantæ obsecro formidinis, quanti terroris atq; horroris erit vniuersis hominibus tremenda illa vniuersalis iudicij dies? In qua contremiscet terra, mugiet mare, aër crebris fulguribus coruscabit, ignis totum orbem terrarum occupabit, atque omnia quæ in eo sunt depascet?

Quando etiam à supernis sedibus descendet, verus Iuppiter, summus atque sempiternus Deus, cælestium spirituum turmis stipatus, è cuius ore tremendum illud telum ac fulmen egredietur, quod nō dubiam mortem homini-

minibus intentet, sed certissimam ac sempiternam
tem atq; damnationem peccatoribus inferat. Qu
nia hodiernum Euangelium apertis verbis propo
ce enim summum Iouem, Deum verũ ac immo
verbum æternum de cælis ad inferiora hæc descen
Tunc videbunt filium hominis venientem. *Et*
Angelorum cateruis comitatum. Cum potesta
gna & maiestate. *Ecce fulmen horrendum quod*
illius coruscabit, & sempiternam mortem flagitio
minibus inferet. Discedite, *vti Matthæus Euang*
me maledicti in ignem æternũ, qui paratus e
bolo & angelis eius.

De hoc tremendo vniuersali iudicij die, hodi
tores, differere animus est, quandoquidem Euan
hodiernum signa, quæ illum diem præcessura sunt
set. Erunt signa in Sole & Luna & stellis: *& Il*
cum ingenti potentia & maiestate venturum d
strat: Tunc videbunt filium hominis veni
cum potestate magna & maiestate. *Declarabo*
tria potissimum, videlicet: iudicij huius necessi
modum atque processum, ac demum extremam
Iudex feret sententiam.

Vos, quoniam materia hæc animabus vestri
gnem adferre potest vtilitatem, ad mores anteacti
corrigendos & in melius mutandos, me de iudici
differentem, æquis auribus & animis audite.

Sed quomodo potero in tali dissertatione, qu
modò homines, sed Angelos etiam terrore concuti
nimum promptum & vocem efficacem, ad eam
enunciandam adferre, nisi priùs Beatissimæ V
Mariæ singularis Aduocatæ meæ auxilium im
rem.

Tu ô cælorum Regina, mater Iudicis, cælesti
læ Domina, reorum omnium benignissima inter
trix & aduocata. succurre mihi, & opem sugge
vt in hac tremenda materia animum & audacia
dicendum assumam, tantoq; cum spiritu & effica

omni

omnium auscultantium animis & auribus iudicium intonem, vt malas actiones, quæ illos ad sinistram iudicis collocant, totis viribus defugiant: bonas verò per quas ad dextram constituentur, omni studio amplectantur. Attendite igitur auditores, & ex hoc meo sermone salubrem in præsenti vita timorem atque horrorem huius iudicij ad animæ vestræ emolumentum, concipite: ne in extremo sæculorum die, quando iudicium hoc exercebitur, ad sempiternum animæ vestræ detrimentum illud horrere incipiatis. Sed ordiamur.

PRIMA PARS.

I.



Otentissimus, sapientissimus & optimus Deus in principio sæculorum, summa cum potentia, admirabilem hanc mundi machinam condidit: summa cum sapientia distinxit, atque ordinauit: summa denique cum bonitate, in fine sæculorum, minorem mundum, id est, hominem, redemit atque ad sempiternam salutem restaurauit. Summa fuit potentia, quando in principio temporum totum vniuersum ex nihili architectatus est. Nō est magna potentia vnum ex alio facere, id enim quotidiè agunt ars & natura, *quæ* (vti philosophus ait) *ex præiacente materia operatur:* remanente nimirum semper eadem communi materia, sed immutata forma. Ars ex rudi ligno, politissimam educit crucem: & ex ferro fulgentissimum atq; acutissimū fabricatur ensem. Natura in generatione ouum in pullum: florem

Deus potentiam, sapiētiam, & bonitatē hactenus in sūmo gradu demonstrauit ostēsurꝰ aliquando etiam summam iustitiam.

Aristoteles.

Dei potētia in mundi creatione maximè cernitur.

rem in fructum, transmutat: in corrupti
verò hominem in cadauer resoluit. Attam
hæc facit remanente semper, sub varijs h
formis, eadem materia. Similiter nō est m
na potentia, ex re parua maiorem facere,
vnam in plures multiplicare, etiamsi id n
sine miraculo fiat. Videmus enim natur
ex parua planta ingentem arborē educere
granum sub terra conditum, in plura eiu
generis grana multiplicare. Nouimus eti
homines sanctitate claros, virtute diuina
pænumerò panes multiplicasse, & paucis
nibus innumeram hominum multitudin
satiasse. Sed de nihilo, id est, ex nulla præ
stente materia mundum & omnia quæ ill
cōplexu continentur, condere, hoc admir
dæ summę & obstupendæ potentiæ sit, nec
se est. Hoc Philosophus capere nequit: & qu
niam non intelligit, idcirco mox hæresi
inde sumit initium & impudenter obijcit.
nihilo nihil fit: Contra quod, est dictum ill
sapientissimi Salomonis, qui clarissimis ve
Eccl. 18. bis ait. *Qui viuit in æternum, creauit omnia sim*
id est, summus, immortalis, ac verus Deu
materiam & formam omnium rerum simu
condidit, vti S. Augustinus hunc locum ex-
ponens interpretatur. Quis ergo non fatea-
tur, summam fuisse illam Dei potentiam, quā-
do ex nihilo architectatus est, immensos cæ-
lorum orbes, ignis elementum extendit, aerē
sparsit, aquā diffudit, terram stabiliuit? quan-
do tot corpora mixta, tot mineralia, tot plan-
tas, tot omnis generis animantia condidit?
Quando denique hominem & Angelorum
numerosam multitudinem creauit? O inter-

minatam

atam potentiam.

am verò quid dicam de ineffabili eius ſa- *Dei ſapiētia ex quibus eluceat.*
ntia in diſponenda & adoranda mundi
us vniuerſitate? Tranſeamus vſque ad cæ-
& inde gradatim ad terram deſcēdamus,
nium & ſingulorum ordinem pauliſper
templando. Mirabilis eſt ordo & obſtu-
nda diſpoſitio primi mobilis, quod ampli-
ine ſua omnes alios cœlorū orbes ambit,
ue velociſſimo curſu ſingulis vicenis &
aternis horis motum ſuum ab oriente in
cidentem conficiens, omnes alios inferio-
s orbes, ſuaui quadam violentia ita ſecum
pit, vt tamen naturales illorum motus ab
cidente in orientem, ſuo motui contrarios
on impediat: quem alij, ſingulis menſibus,
ij ſingulis annis, alij luſtris, alij ſæculis ali-
uot abſoluunt. Mirabilis deinde fuit illa cre-
toris induſtria & diſpoſitio, qualem in me-
lio planetarum ſtatuit, vt æqualiter inferio-
a & ſuperiora illuſtraret, terreſtremque hu-
norem de ſe grauidaret: quod fieri nequiuiſ-
et, ſi vel ſublimiori loco eum conſtituiſ-
et; ſi autem inferiori, tum nimio feruore ſuo
omnia viuentia atque omnem illorum ſemi-
nalem virtutem conſumpſiſſet, exiccaſſetq́ꝫ.

Profundum adhæc fuit illud Creatoris iu-
dicium, quo ſphæram ignis inter elementum
humidum, & inter cœlum impreſſionis fri-
gidæ, inter aërem videlicet humidum, & Lu-
nam proprietatis frigidæ collocauit: vt vni-
us humiditas, & alterius frigiditas intentiſſi-
mam illius virtutem ita temperaret, vt ſupra
ſe orbes cœlorum, & infra ſe terram non
combureret.

Rarus

Rarus prӕterea fuit ordo, quod aerem i
tra elementum ignis & terrӕ ſtatuerit, vt eſ
locus variorum meteorum, vt lucem, quӕ
mnia conſpicua & viſibilia reddit, exciper
vt in illum aſcenderent nebulӕ, atque in n
bes concreſcerent, rurſumq; reſolutӕ pluu
terram fœcundarent. Ingens porrò fuit ar
ficium quòd aquas inter aerem & terram m
dias eſſe voluerit, ad negotiationum co
moditatem & mercium ſubuectionem, ad
tis reſtinctionem, ad ſordium emundatio
ad ciborum coctionem, ad piſcium deniq
abundantiam tribuẽdam. Magna inſuper
it prouidẽtia, quòd aquas à terra ſegrega
rit, atque in vnum locum coegerit, vt ter
ſolarium radiorum virtute arbores, herb
frumenta produceret, atq; innumerabiliu
mixtorum corporum in ea quieſcentium b
ſis & receptaculum eſſet. Quid verò dicam d
admirabili diſpoſitione, qua vſus eſt, in co
trarijs elemẽtorum qualitatib9, calido, frig
do, ſicco & humido? quӕ diſcordi quadam
concordia & pace contraria producunt to
mixta corpora innumerabilia, tam diuerſa i
qualitate, in quantitate, in natura: vt illorum
virtutem admirẽtur Medici: eſſentias ac dif-
ferentias perſcrutari & inueſtigare nequeant
Philoſophi, adeoq; vt de ignorantia ſua con-
fuſi exclamare cogantur. *Propriӕ differentia*
nos latent. O immenſam ſapientiam.

Bonitas Dei in redemptione noſtra potiſsimum elucet.

Sed trãſeamus ad ſummam Dei bonitatẽ,
quam in reſtauratione ac recreatione mino-
ris mundi, id eſt, hominis, manifeſtam atque
conſpicuam reddidit. Verè enim immẽſa fuit
illa benigniſſimi Redemptoris noſtri pietas,
quòd

non contentus in creatione, omnia quę
us ambitu suo complectitur, nobis do-
e, voluit etiam in redemptione ac recrea-
e seipsum nobis donare, nō vt nobiscum
ret, sed vt pro nobis non amicis sed ini-
is, mortem, eamq́ ignominiosissimā subi-
quemadmodum S. Paulus ad Roma. scri- Rom. 5
testatur. *Commendat*, inquit, *charitatē suā*
in nobis, quia cum inimici essemus, reconcilia-
mus ei per mortem filij eius.
Summus bonitatis gradus inter homines
mori pro amico. Nam vti sancta canit Ec-
ia. *Maiorem caritatem nemo habet, quam vt* Ioh. 15
nam suam ponat quis pro amicis suis. Sed quā-
lla eousque se extendit, vt etiam pro ho-
us suis mortem oppetat, summum hunc
dum supergreditur, & talis charitas est so-
Dei, de quo ait Apostolus. *Propter nimiam* Ephes. 2
itatem, qua dilexit nos, tradidit semetipsum
nobis. Quid modò, auditores, videtur vo-
de diuinis attributis, de summa videlicet
potentia, sapientia, & bonitate? Si ergo
mus Deus tria illa attributa, potentiam,
ientiam, bonitatem, sibi eminenter & su-
mo in gradu inesse, mundo hactenus de-
nstrauit ac patefecit, cur nō pariter etiam
mmam iustitiam suam ostendat, vt omnia
us attributa inter se æqualia sint, nec vnū
alio superetur? Et quoniam hucusque il-
m, vti paulò pòst intelligetis, non demon-
auit, attamen aliquando eam patefacturus
idque in fine mundi, vt principium, me-
m & finis eius sibi consentiant. Nam
mundi principio summa illius poten-
& sapientia in mundi creatione
ac dis-

ac dispositione patuit: in medio summ
us bonitas in redemptione hominis eli
sed in fine summa illius iustitia, in iudica
hominibus clarebit. Hinc est quod de se
alicubi ait. *Per me principium, per me finis,* id
per me in exordio, mundus summa cum
tentia & sapientia conditus atque adorn
est: per me idem mundus summa cum i
tia terminabitur. Sed de his paulò pòst f
loquemur, quando de iudicij necessitat
feremus.

II.

SVmmam hanc iustitiam, nō penicill
calamo suo Regius Propheta Dauid in
mis accuratissimè depingit. O præcla
Psal. 49. pictorem. Ecce quam efficacibus verbi
primit. *Deus noster manifestè veniet, & non si
ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu
tempestas valida. Aduocabit cælum de sursum,
terram discernere populum suum. Peccatori au
dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & a
mis testamentum meum per os tuū? Tu verò o
disciplinam. proiecisti sermones meos retrorsum
videbas furem, currebas cum eo, & cum adult
portionem tuam ponebas. Os tuum abundauit m
litia, & lingua tua concinnauit dolos. Hæc fec
& tacui. Existimasti iniquè, quod ero tui similis,
guam te, & statuam contra faciem tuam. Intellig
hoc qui obliuiscemini Deum, ne quando rapiat,
non sit qui eripiat.*

Octo notatu dignissima his verbis Reg
us Propheta innuit. Primò personam Iudic
Secundò, certitudinem aduentus eius. Te
tiò, Iudicij modum ac ordinem. Quartò, q
ratior

one omnes in iudicium aduocaturus &
ositurus sit. Quintò, in quos potissimū il-
exercebit. Sextò, quæ maximè scelera, &
itia examinabit. Septimò, quam seueris
bis sceleratos homines agressurus, atque
ntiam contra illos laturus sit. Octauò,
eratim omnes peccatores admonet, vt
ba sua diligenter memoria retineant, se-
q; cogitent, nullam si vitam suam non
exerint, sibi superesse postea redemptio-
pem, eò quòd hoc iudicium extremum,
ntentia nouissima futura sit, quam nec
ocare, nec à qua appellare liceat. Vultis
ere singula. *Deus noster.* Ecce personam iu-
is. *Veniet.* Ecce certitudinem aduentus e-
*Manifestè, non silebit. Ignis in conspectu eius ex-
scet, & in circuitu eius tempestas valida.* Ec-
modum, atque ordinem. *Aduocauit cælum
rsum & terram, discernere populum suum.*
ce quos in iudicium acciturus sit. *Peccatori
tem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas,
assumis testamentum meum per os tuum.* Ecce
quos potissimum illud exercebit. *Tu verò
sti disciplinam & proiecisti sermones meos re-
rsum: Si videbas furem currebas cum eo, & cum
lteris portionem tuam ponebas: Os tuum abun-
uit malitia, & lingua tua concinnabat dolos.*
æc videtis, quæ præcipuè scelera examina-
rus sit. Audite nunc quàm asperis verbis
ccatores increpaturus quamq; seueram
ntentiam in eos laturus sit. *Hæc fecisti & ta-
i: Existimasti iniquè quod ero tui similis: arguam
& statuam contra faciem tuam.*

Ac denique aduertite, admonitionem, qua
pecca-

peccatores ad morum conuersionem, iu-
dicijque huius metum hortatur, simul eis den-
cians, sententiam, qua in extremo hoc iudi-
percellendi sunt irreuocabilem futuram.
telligite hoc, qui obliuiscimini Deum, ne cum ra-
non sit qui eripiat. Hæc extremi iudicij adu-
bratio descriptioque Dauidica, erit nobi-
hoc sermone dux & ordo. Quare initi-
faciemus à primò, id est, à persona iudi-
sicque sensim singula suo ordine prosequ-
mur.

Iudex mūdi erit Deus. Iudicij huius Iudex Deus erit. *Deus n-*
Quod vt rectè intelligatur, aduertendum n-
bis est, in sacris literis multos appellari D-
Primò namque Angeli appellantur Dij. *I-*
Psal. 81. *stetit in Synagoga deorum.* Deinde etiam D-
Psal. 95. mones. *Omnes Dij gentium dæmonia.* Iusti q-
Psal. 81. que & sancti viri. *Ego dixi: Dij estis, & filij ex-*
Psal. 46. *omnes.* Reges etiam ac Principes mundi
Exod. 21. ius. *Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt.* P-
Exod. 22. terea Sacerdotes. *Offeret eum Dominus D-*
Exod. 22. prælati quoque. *Dijs non detrahas.* Demum
Iudices Dij nominantur. *Ad Deos vtriu-*
causa perueniat.

At Iudex vniuersalis totius mundi, su-
mus ac verus erit Deus totius orbis terræ D-
minus, qui omnes nos de nihilo condidit,
deoque Dauid ait. *Deus noster.* vbi diligen-
nobis aduertendum est verbum illud De-
hoc enim multa in se complectitur, nam cu-
sit verus & viuens Deus, in iudicio errare n-
poterit, nec à falsis testibus vel scriptis men-
dacibus circumueniri, quemadmodum hu-
ius mundi iudicibus frequenter euenit: qu-
Iob. 12. ille *nouit decipientem & eum qui decipitur.* Ne-
qu-

ex legis inscitia error ei subrepere vale-
quoniam Sapientissimus est. *In ipso enim* Coll. 2.
omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei ab-
diti. Neque ex factorum ignorantia, nam Hebr. 4.
nia nuda & aperta sunt oculis eius. Et quia
us est, neque muneribus, neque amore,
que odio, neque metu, quibit corrumpi,
od hac tempestate iudicibus sæpenumerò
cidit. Nam vti rectè notat Isidorus libr. 3. *S. Isidorus.*
ummo bono, multi eorum licet veritatem &
titiam causæ optimè perspectam habeant,
men contrariam ferunt sententiam: Vel
a muneribus deliniti sunt: nihil veriti diui-
nillam comminationem, quam Deus per
iam prophetam illis intentat, dicens. *Væ qui* *Isa.* 5.
ificatis impium pro muneribus, & iustitiam iu *Prou.* 17.
aufertis ab eo. Et per Sapientem. *Munera de*
u impius accipit, vt peruertat semitas iudicij.
l quia amore magis vnius partis quam al-
ius ducuntur: immemores illius dicti Sa-
monis: *Cognoscere personam in iudicio, non est* *Prou.* 24.
num. Vel quia odio contrariæ partis incensi
nt: non attendentes B. Iacobum Aposto-
m dicentem. *Ira viri iustitiam Dei non opera-* *Iac.* 1.
r. Vel denique quoniam potentes & locu-
tes homines offendere metuunt: non con-
derantes illud quod in Eccles. scriptum est: *Eccl.* 7.
oli quærere fieri iudex, nisi valeas perrumpere i-
quitatem. His quatuor ex causis, sæpenume-
ò innocens damnatur, nocens verò iudi-
um sententijs absoluitur: facultates sæpè ꝓ-
tario Domino auferuntur, & ei ad quem non
ertinent, iudicū sentētijs adiudicantur. Ijsdē
causis, tam numerosa iudicum turba, ad
fernalem regionē pergit. O homines infeli-

ces. Verum aquissim⁹ ac summus iudex nullo horum modorum circumueniri potest. Non muneribus, quoniam iustissimus est, nostrorumqúe opum non indigens: nam *Bonorum nostrorum non eget*. Non amore, quia æquitatem magis quam amicitiam respicit: *Frater non redimit, redimet homo*. Non inuidia, qui nullam suarum creaturarum odit. *Nihil odisti eorum quæ fecisti*. Non denique timore, quoniam omnibus potentior est, ita vt neminem formidare possit. *Nunquid timens arguet te, & veniet tecum in iudicium?* Audite S. Bernardum de his, pulchre differentem. *Veniet dies illa, qua plus valebunt pura corda quàm astuta verba: Conscientia bona, quàm marsupia plena: Quandoquidem iudex ille non falletur verbis, nec flectetur muneribus*. Videtis itaque quam appositè sacræ literæ, vt demonstrarent Iudicem hunc æquissimum, rectissimum, & incorruptibilem futurum, Deum ipsum appellauerint?

Psal. 15. *Psal. 48.* *Sap. 10.* *Iob 22.* *S. Bernard.*

Cæterum quia tres sunt diuinæ personæ, Pater, Filius & Spiritus sanctus, quibus singulis Dei nomen verè competit, quamuis vnum tantum sit Deus, iuxta doctrinam S. Athanasij, dicentis: *Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus sanctus. Et tamen non tres Dij, sed vnus est Deus*. Sunt autem, vt Theologicis verbis vtar, tres *personaliter* & vnus *essentialiter*. Idcirco Regius propheta, vt ostenderet, quænam ex tribus hisce personis Iudicis munus peractura sit, inquit: *Deus noster*, id est. Illa diuina persona Iudicis officio fungetur, quæ magis quàm cæteræ, nostra est. Quænam autem est illa? Vnigenitus Dei filius: verbum æternum: Qui

S. Athan.

idcirco

Idcirco noster magis est quam reliquæ diuinæ personæ: quia noster factus est: quia naturam nostram sibi copulauit : inter homines homo similis nobis natus est : nobiscum vixit, & conuersatus est : pro nobis passus & ignominiosa nece mortuus est: nos redemit & ad cœlestem gloriam restaurauit. Noster denique, quia Dominus & Seruator, & aduocatus noster factus est, redimendo, vindicando & eximendo nos à Dæmonis potestate . Est ergò verbum humana carne vestitum idem quod *Deus noster*. Non aduertitis quàm pulchrè hodiernum Euangelium de hoc vniuersali Iudice loquens, cum ijs, quæ diximus concordet? Nam ait. *Tunc videbunt filium hominis.* Vbi clarum est, *filium hominis* , idem esse, quod *Deus noster*. O præclaram Euangelij & prophetiarum consonantiam. Dauidica Prophetia dicit *Deus noster*. Euangelium verò. *Filium hominis*. Prophetia dicit. *Veniet*. Euangelium: *Venientem*. Prophetia rursus ait. *Manifestè*. Euangelium. *In nubibus*. Prophetia. *Aduocabit cœlum de sursum, & terram discernere populũ suum*. Euangelium . *Cum potestate & maiestate magna*. O Prophetam Euangelistam. O Euãgelistam Prophetam. O quàm bellè concordat cithara citharædi Dauidis, cum calamo siue penicillo Lucæ pictoris. Quã pulchrè cõsonant prosa Euangelistæ, & versus Prophetæ. Quod tamen non adeò mirandum videri debet, cũ Prophetia à Patre dictata sit, in Euãgelio autẽ Filius loquatur. Pater autẽ & filius similes sibi sũt in essentia, iuxta illud. *Ego & Pater vnũ sumus*: Et in sciẽtia atq; sapiẽtia: *In eo. n.* *sunt*

Luc. 21.

Ioan. 12.
Collos. 2.

sunt thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi. Ac proinde Propheta & Euangelista sibi tam pulchrè consentiunt: dum vnus dicit, Deus *noster*, alius, *Tunc videbunt filium hominis.*

Cur solus filius non alia S.S. Trinitatis persona mundum iudicaturus sit.

Verùm quid causæ est, quòd solus Filius ad nos iudicandos venturus sit, non Pater, aut Spiritus S. Magnæ sublimitatis ac subtilitatis est hæc dubietas, ideoq; vt dissoluatur, singuri eget attentioné. Auscultate.

Certissimum est nemini alteri, quàm proprio legitimoq; Domino licere per se, vel suos vicarios & administros subditorum causas dijudicare atque discernere. Sic non cópetit Regi Franciæ in regno hoc Neapolitano iudicium exercere, sed Regi duntaxat Hispaniarum, qui vel per se, vel per alios ministros à se constitutos, subditorum causas cognoscere potest, quia caput & Dominus huius regni est. Ita etiam verbum æternum Dei filius, quoniam per redemptionem caput ac Dominus omnium hominum factus est, B. Paulo attestante, qui ait. *Christus est caput Ecclesiæ, nosq; membra eius.* Ideo ad ipsum pertinet homines iudicare.

Ephes. 5.

Clarum præterea est, nos ratione creationis immediatè omnipotenti Deo subiectos fuisse, sed rebellauimus contra illum in primo parente: vnde factum est, vt dæmon suo dominatui nos subiecerit. Verùm quid fecit verbum diuinum? Post aliquot secula euoluta, è cælo delapsum, nostram carnem assumpsit, atque è tartarei serpentis potestate nos vindicauit. Ac proinde per hanc redemptionem Dominus & caput nostrum effectus est: adeoqúe ad ipsum non ad aliam personam diui-

nam spectat nos iudicare. Illustrabo illud exemplo.

Quemadmodum si Rex Hispaniæ, ad quē regnum Hierosolymitanum hæreditario iure pertinet: quamuis actu illud non possideat (quoniam aliquot ab hinc annis è Christianorum manibus ereptum, in Turcarum deuenit potestatem, à quibus in hodiernum vsque diem vi retinetur & tyrannicè administratur) si filium suum ad se accersitum ita alloqueretur: Scito fili regnū Hierosolymitanū, iustissimo iure meum esse: nunc autem tibi illud cedere totumq́; ius meum in te transferre decreui, tu tantummodo virum te præbe, & cura vt ex immanissimi illius Tyranni manibus armata manu id vindices. Si ergo filius, accepta hac potestate & Patris cessione, statim se ad iter accingeret, collectoq́; exercitu, regnum illud è Turcarum potestate eriperet, nonne regni illius ordinarius ac legitimus Dominus Iudexq́; censeretur? Nonne illi soli, iudicium omne in subditos reseruaretur? Vtique. Nam Pater spontaneè iuri suo cessit, atque in filium transtulit, Ita etiam Pater æternus, Rex Regum fecit, cum vnigenito filio suo, verbo æterno. Dominabatur homini in mundi exordio: sed Adamo peccante, regnum atque dominium hoc perdidit, vsurpante illud sibi Dæmone, tyranno infernali: De qua perditione dolenter quæritur apud Ieremiam, dicens: *Hæreditas mea versa est ad alienos*. Nihilo secius ius illi suum ordinarium in genus humanum remansit: Ac proinde in plenitudine temporis misit vnigenitum filium suū in terras, vt hominem recupera- Thren. 5.

cuperaret, imperioqúe suo subderet: ius om-
ne suum in illum transferens, legitimumq;
Dan. 7. totius humani generis dominum constitue-
iuxta illud Danielis prophetæ: *Antiquus d-*
rum sedit, & filius hominis peruenit vsque ad a-
tiquum dierum, & dedit illi potestatem & hon-
rem Regium. Dei autem filius in terram de-
psus, amarissima passione ac morte sua, i-
manissimum hostem tyrannicè human-
genus opprimentem deuicit, hominem-
ab illius potestate vindicauit. Ad illum e-
iustissimo iure iudicium omne pertinet, n-
ad Patrem. Verùm audite ipsum Verbū c-
rissimè hanc à Patre cessionem sibi fact-
esse indicantem, apud Euangelistam Io-
Ioan. 5. nem. *Pater,* inquit, *non iudicat quemquam, se-*
mne iudicium dedit filio, & dedit ei potestatem i-
dicium facere, quia filius hominis est. Videtis e-
Psal. 5. gò quam conuenienter Propheta Regius
Luc. 21. hoc Iudice loquens dicat. *Deus noster.* Et E-
uangelium. *Tunc videbunt filium hominis.* O-
eandem causam nec Spiritui sancto iudica-
conuenit, quia nec ipse venit, vt hominem
seruitute diaboli eriperet, sed solus Fili-
Propterea soli quoque filio, non alteri pers-
næ diuinæ iudicare competit. Verùm hic e-
gantior & sublimior se nobis offert quæsti-
Attendite.

Cur Christus in humana forma, non diuina mūdū sit iudicaturus.

Dicet forsan aliquis. Cum Verbum æte-
num, verus sit filius Dei quoad diuinitatem
ac verus Mariæ Virginis filius, quoad hum-
nitatem, cur non est venturus ad nos iudica-
dos in forma diuina, velut Dei filius, sed
forma humana, velut Mariæ filius? Adh-
cur Euangelium dicit. *Videbunt filium homi-*
& no

& non *filium Dei*? Elegans quæstio.

Cui primò responderi potest, (quemadmodum paulò ante dictum est) illum in ea forma venturum, in qua Dominus noster factus est. *Deus noster*, id est, in ea forma, in qua nos è diaboli potestate redemit, regniq́ue sui possessionem accepit: hæc autem forma non diuina sed humana fuit. Sed respondeamus aliquid subtilius. Veniet in forma humana & non diuina, quia sic requirit conditio damnatorũ, quibus proprium est in perpetua miseria & infœlicitate versari, nec vllo vnquã solatio gaudere. Vbi notandum veram beatitudinem, in contemplatione diuinitatis sũmi Dei consistere, quemadmodum S. Augustinus confirmat, vbi ait. *Visio est tota merces.* *S. Aug.* Quare si Christus in forma Dei ad iudicandum veniret, posset etiam reprobus diuinitatem illius intueri, adeoq́ue non amplius miser, sed beatus foret: quod affirmare absurdum est, cum Esaias dicat: *Tollatur impius ne videat gloriam Dei*. *Isai. 26.* Ne igitur damnati hoc aspectu fruantur, necessarium est summum Iudicẽ, in humana, non diuina forma venire. Quare non inconuenienter Propheta inquit. *Deus noster*, & Euangelium. *Videbunt filium hominis*, *Psal. 49.* & non: *Filium Dei*. *Luc. 21.* Præterea venturus est in forma humana & non diuina, quia tunc in totum hominem quatenus anima, & corpore constat, iudicium exercebitur, ideoq; condecens erit, vt iudicandi iudicem suum videant: reprobi quidem ad maiorem cruciatum & confusionem: electi verò ad maiorem gloriam & consolationem.

Si ergo Iudex in diuina appareret forma. ab ho-

ab hominibus conſpici non poſſet, quoniam oculus corporeus, non eſt illius perſpicacitatis, vt diuinitatem, quæ ſpiritus eſt, cernere queat. At in humana forma veniens, omnes eum videre poterunt, iuſti pariter & iniuſti: hi quidem ad maius tormentum & confuſionem: illi verò ad maius gaudium & cõſolationem. Heu quis cruciatus, quę confuſio Iudæorum animos in illa die peruadet, quando videbunt illum Iudicem ſuum eſſe conſtitutum, quem illi aliquando vt nocentem iniuſtè cõdemnarunt? Quando illum, quem quondam ſpinis coronatum, conſputatum, flagellatum & indignis modis à ſe tractatum, conſpexerunt: nunc gloria ineffabili circumdatum, militia cœleſti ſtipatum, atque ad vltionem de ipſis ſumendam paratum cernent. Quando ſacratiſſima illa vulnera, quæ claui ac lancea ſanctiſſimo corpori eius inflixerit, lucidiſſimarum gemmarum inſtar, rutilantia intuebuntur? Quando illorum vulnerum, quæ corona quam ex aculeatis ſpinis contexuerant, capiti eius inflixit, cicatrices cernent. *Videbunt*, enim, vt propheta ait, *in quem pupugerunt*. Quando denique, vt paucis abſoluam, ſeueriſſimum Iudicem illum, ſeueriſſimum in ipſos iudicium exercentem, atque ad æternos cruciatus condemnantem, conſpicient, quem aliquando iniuſtè, nulla permoti commiſeratione morti adiudicarunt. Vnde S. ait Aug. *Iudicabit veros reos, qui fuit falſus reus:* S. quoque Iob inquit. *Cauſa tua quaſi impij iudicata eſt: Cauſam iudiciumq; recipies.*

S. Auguſt.

Iob 36.

Iam quæ confuſio, quis cruciatus Ethnicoꝝ

tent

nebit, qui naturalibus ac vanis rationibus
ntentes, ſtultitiam reputarunt, hominem
ucíaffixum, vti Deum verum colere ac a-
orare: quem tamen tunc ſeueriſſimum, ſa-
entiſſimum, æquiſſimumq́; experientur Iu-
cem: quod futurum, ab infirmo naturæ lu-
ine excęcati, nunquam ſibi perſuadere po-
erunt.

Qualis verò erit confuſio, ac dolor Chri-
anorum illorum, qui dum vitam agerent,
agis mundum eiusq́; vanitates, quàm Deũ;
agis terram, quàm cælum dilexerunt, quã-
Sacratiſſima illa vulnera, diuino corpori
fixa, è quibus ſanguis vbertim, in redem-
ionem hominum profluxit, aſpicient, ſeq́;
opter ingratitudinem ſuam, ad æterna ge-
ennæ tormenta pergere animaduertent. O-
nes hi mærore ac confuſione pleni flebunt,
deplorabunt infœlicitatem ſuam, coram
emendo & ſeuero hoc Iudice, nimirum, Iu-
æi, Gentiles, & mali Chriſtiani. Vnde S. ait
Chryſoſtomus. *Plangent Iudæi videntes viuen-
em & iudicantem, quem quaſi mortuum exiſtima-
bant. Plangent Gentiles, qui vanis diſputationibus
decepti ſtultitiam putauerunt Deum colere Cruci-
fixum. Plangent Chriſtiani peccatores, qui magis
dilexerunt mundum, quam Deum.*

Contra verò quod gaudium, quæ exulta-
tio, quis iubilus electorum animos occupa-
bit, quando conſpicient ſe Iudicem habere
miſericordiſſimum, clementiſſimum, homi-
numq́; præcipuum amatoré, quippe qui pro
eorum ſalute ſanguinem abundantiſſimè fu-
dit, Cruci eſt affixus, ac denique mortem
turpiſſimam ſubiuit. Quanta eis erit conſo-

 latio,

latio, quantum gaudium, quando videri
humanam naturam ita exaltatam, atque
tantam gloriam sublimatam, vt ea genera
Iudicis officio defungatur.

O Christiani, quando aliquis amicoru
vestrorũ, ad insignem aliquã magistratus a
prælaturæ dignitatẽ prouehitur ac sublim
tur, an non insolitam percipitis animo læ
am? Ita etiam iusti, illa die, in cordibus
magnam sentient voluptatem & exulta
nem, quando Christum ad summam ill
dignitatem euectum esse conspexerint, v
Iudex & Dominus totius mundi.

Aduertitis igitur, quàm insigni ratione
tus Propheta dixerit. *Deus noster*, & Euan
lista. *Filium hominis*: nimirum vt omnes h
mines probi & improbi, iusti & peccato
Iudicem suum intueri possent; illi ad su
consolationem, hi verò ad maius tormẽ
& confusionem. Hæc est ratio, cur Deus
forma potiùs humana quàm diuina, ad mu
dum dijudicandũ venturus sit. Quandoqu
dem ergo id quod primũ erat, videlicet pe
sonam Iudicis habemus: transeamus ad illu
quod proximum est, nimirum ad iudicij hu
ius necessitatem: hinc enim est quod Proph
ta ait, *veniet*, & Euangelista, *Venientem*.

III.

Necessariũ est Iudicium respectu Dei

NEcessarium prorsus est, vt sit aliqua di
Iudicij, triplici ex causa: respectu D
Christi, & hominis. Primò respectu Dei ne
cessarium est, quia sic futurum promisit: qu
re si promissa sua non adimpleret, ausim ve
affirmare, Deum quem colimus & adoram
non esse verum Deum, sed alium quendam

nob

bis incognitum. Audite rationem.

Qui verus Deus futurus sit, eum quoq; necesse est summam esse veritatē. Nam S. Paulo te: *Est omnis homo mendax, Deus autem verax:* Rom. 3.
Veritas autem & mendacium, quoniam sibi inuicem aduersantur, simul consistere neque unt: vt enim Philosophus ait: *Duo cōtraria non sunt eidem subiecto simul inesse.* Aristot.
Cum ergo Deus sit summa veritas, imò ipsamet veritas, qui de seipso ait: *Ego sum, via, veritas, & vita,* nullum poterit ei inesse mendacium. Ioan. 14.

Præterea ab omni mendacio alienus est Deus: quia mendacium defectus & peccatū est. In Deo autem nullus defectus aut peccatum reperiri valet: nullum ergo in eo mendacium, nullus dolus, nulla fraus locū habere potest: Et si locum inueniret, verus Deus non esset. Quia nec summæ veritatis nomen ei conueniret, neq; omnis peccati expers esset. Quæ profectò naturæ atq; essentiæ diuinæ, ex diametro repugnant. Vnde diuinus Plato ista considerans ait. *Si Deus est, non mentitur: si mentitur, non est Deus.* Plat. Si igitur verè atq; infallibiliter, quéadmodum Catholica fides edocet, tenemus, Deum illum quem colimus & veneramur, esse verum Deum, necessariò conficitur, eum mentiri aut fallere non posse.

Quare cum Deus mentiri nequeat, iudicium aliquando futurum necesse est, cum non semel sed sæpius clarissimis verbis contestatus fuerit, se omnes homines in iudicium vocaturum & seueram ab illis rationem repetiturum esse. Id verum esse, clarebit ex diuinis oraculis.

Luculentis verbis ait in Ieremia: *Castiga-* Ierem. 30.

bote

bo te in iudicio, ne videaris innoxius. In Ezech
Ezech. 39. *Videbunt omnes gentes iudicium meum quod*
rim, & manum meam, quam posuerim super
In Ioele. *Ascendant gentes in vallem Iosa*
Ioel 3. *quia ibi sedebo, vt iudicem omnes gentes in cir*
tu. In Psalmis. *Cum accepero tempus, ego iu*
Psal. 74. *iudicabo.* Idem ille permouit Prophetas
hoc iudicium aliquando futurum præ
Isa. 3. tiarent. Vnde Esaias, *Dominus ad iudicium*
Psal. 97. *et, cum senioribus populi & principibus eius.* E
Eccl. 3. uid in psalmis. *Iudicabit orbem terrarum*
stitia, & populos in æquitate. Et Salomon. *I*
& impium iudicabit Deus, & tempus omnis re
erit. Idem per Apostolos sibi hanc potest
iudicandi à Patre traditam esse, scriptis &
ce promulgari fecit. Per S. Petrum vbi
Reddens rationem ei, qui iudicaturus est viu
1. Pet. 4. *mortuos.* Et per S. Paulum. *Testificor,* inqui
2. Tim. 4. *ram Deo & Christo Iesu, qui iudicaturus est v*
& mortuos, in aduentu ipsius. Ipse denique
rissimis verbis de seipso testatur, se aliquan
ad iudicandum venturum, in hodierno E
Luc. 21. angelio apud Lucam. *Videbunt,* ait, *filium*
Matt. 25. *minis venientem in nubibus cum potestate m*
& maiestate. Et apud Matthæum. *Cùm ven*
filius hominis in sede maiestatis suæ, congregab
tur ad eum omnes gentes. Innumera sunt a
diuinarum literarum testimonia, quæ Chri
ad iudicium aduentũ confirmant. Cùm erg
Deus q in sacris libris loqtur, mentiri nequ
at, necessariò sequitur, ad futurum aliquand
Iudicij diem, ab illo toties promissum & præ
nunciatum. Non auditis S. Ioannem Euang
listam, imò Christum in Euangelio Ioanni
han

suarum promissionum veritatem contentem? *Non potest*, inquit, *solui scriptura, quem Pater sanctificauit & misit in mundum*. Non meministis præterea quibus verbis idem Christus hodiernum Euangelium terminet? *Cœlũ, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Quæ S. Hieronymus ita exponit. *Poterit cœlum & terra transibunt, quam verba mea deficientur.* Sed veniamus ad ipsam rerum experientiam, & videbimus Deum nũquam minis ac promissionibus suis defuisse, quamtardè aliquando eadem adimpleuerit. Promisit Nohemo, se propter scelera hominum, quæ terram operuerant, post cẽtum viginti annos, generali eluuione vniuersum terrarum orbem, ab homine vsque ad iumẽta deleturum: & quod pollicitus fuerat, integrè præstitit. Hominibus enim nihil tale suspicantibus, & in magna securitate atq; vitiorum licentia degentibus, generalem illam eluuionem, qua omnia supra terram viuentia consumpta sunt, mundo immisit.

Promiserat toties, veteris testamenti Patribus, Patriarchis & Prophetis, se aliquando hominem redimendum, ex virgine carnẽ sumpturum: & huic pollicitationi suæ, quãuis eam in aliquot sæcula prorogauerit, minimè defuit, sed fidem suam egregiè liberauit. Nam tali maximè tempore, quo homines nihil huiusmodi opinabantur, de cœlo delapsus est, & nostræ humanitatis vestem sibi adaptauit. Si ergo in immittendo diluuio, & in incarnatione, atque hominis, quam promiserat, redemptione verax extitit, cur non etiam

Ioan. 10.

Matt. 24.
S. Hieron.

etiam in aduentu ſuo ad mundum iudic
dum, quē toties in ſacris literis pollicitus
verax futurus ſit? Hanc rationem, ipſum
æternum Verbum in Euangelio S. Marci
confirmandam promiſſionis ſuæ in mun
iudicando veritatem adducit. Accipite ve
Matth. 24. illius. *Sicut in diebus Noe, ita erit & aduentu*
hominis. Sicut enim erant in diebus ante dilu
comedentes & bibentes, & nubentes, & nu
tradentes, vſque ad diem, quo intrauit Noe in
cam, & non cognouerunt, donec venit diluuiu
tulit omnes. Ita erit & aduentus filij hominis
modo potuit apertioribus verbis, ſuum
iudicium aduentum declarare? Porrò
venit vobis in mentem id, quod alibi ait?
Pſal. 88. *procedunt de labijs meis, non faciam irrita.* R
ergo Propheta inquit. *Veniet,* & Euangel
Videbunt filium hominis venientem.

Sed tranſeamus ad regulam contrario
quæ ſecundum philoſophos talis eſt, vt
vnum eorum ſit, ibi reperiatur & alteru
Hinc ergo ſic argumentor. Iuſtitia & miſe
cordia, ſunt duo contraria. Quare ſi Deus
quando manifeſtauit ſummam miſericord
am in redimendo homine, manifeſtaturus
rit etiam aliquando ſummam iuſtitiam: h
autem hactenus in illo minimè patuit, erit
adhuc manifeſtanda. Negari quidem non p
teſt, Deum ſæpenumero iuſtitiam ſuam p
tefeciſſe, vti, in Angelorum rebellium è cœ
ſti regno exterminatione: in Adami inob
dientis è terreſtri Paradiſo expulſione: in m
di per vniuerſale diluuium deuaſtatione:
Pharaonis & exercituum eius in mari rub

ſub

bmersione: in ignominiosæ illius Pentapo-
s, à cælestibus ignibus conflagratione: Sed
la non fuit summa iustitia, quæ consistit in
mnibus improbis, iuxta scelera sua casti-
ndis: & probis secundum piarum actio-
um merita remunerandis.

Quamuis enim in Luciferum atq; in om-
es sequaces illius in mundi exordio acriter
nimaduerterit, è cælo illum proscribendo,
ad ima terræ loca relegando, attamen A-
amum iuxta inobedientiæ suæ meritum
on puniuit. Is enim nō modò è Paradiso eij-
sed etiam vnâ cum Lucifero in inferas re-
iones præcipitari merebatur: & non modo
gnus non erat vltra viuere, sed dignissimus
ui subitanea morte opprimeretur, aut
uemadmodum de nihilo factus erat, statim
nihilum rediret. Et quamuis in generali il-
orbis terrarum eluuione, omnia viuentia
quis præfocauerit, adeoq; diuina sua ani-
aduersione in homines vsus fuerit, attamen
hamum à se iam reprobatum non puni-
it. Etenim vitam illum in arca saluare per-
isit. In mari etiam rubro non fuerunt sub-
ersi omnes homines scelerati, qui eo tem-
ore viuebant, neque in ignominiosa illa
entapoli omnes improbi vna conflagratio-
e perierunt. Iam verò bonis ac probis, qui
o tempore vitam piam & sanctam traduxe-
unt, qualis reddita fuit retributio, si æquè ac
æteri mortem oppetierunt; mortuiq; ad
mbum Patrum transmigrarūt? Cùm ergo
ummam misericordiam demonstrauerit,
ummam verò iustitiam hactenus nō osten-
erit, necessè est illam quoque ab ipso mon-
strari:

strari : Ac proinde conuenienter dicit Pro-
pheta, *veniet*, & Euangelista. *Videbunt filium ho-
minis venientem.*

Præterea necessarium est, iudicium gene-
rale in homines aliquando exerceri respectu
Dei. Id enim si non fieret, optimus atque perfe-
ctissimus non esset: adeoque aliqua illi perfe-
ctio deesset, quod de Deo affirmare absurdum
est. Attendite rationem. Quicquid enim per-
fectionis in cõditis naturis reperitur, id om-
ne Deo inesse debet, quemadmodum S. Th.
prima parte summæ suæ, quæst. 20. testatur:
cui etiam subscribit, magnus ille commenta-
tor Auerroes inquiens. *Quod est potissimum in
creaturis, Deo attribuendum est.* Quæ proposi-
certissima, atque omnium Sapientum vna-
mi consensione confirmata, & à scholis om-
nibus recepta est.

Inter homines verò iustitia perfectũ qui-
est. Nam vti Philosophus lib. 5. Ethicorum
ait. *Iustitia est præclarissima virtutum.* Ergo et
in Deo reperiri debet. Imò vti Albertus Ma-
gnus ait: in Deo quatuor sunt, quæ in homini-
bus taliter, nullo pacto reperiri queunt. Po-
tentia infinita, Sapientia immensa, misericor-
dia interminata, & iustitia summa. Immensi-
tas autem hæc, in nemine, nisi in solo Deo re-
periri potest. Quare cum ei summa insit iusti-
tia, necessarium est, illum aliquando malos se-
cundum scelera sua puniturum, bonos verò
iuxta pias & præclaras actiones suas remune-
raturum esse. Nam, vt Iurisperiti aiunt, præ-
mium & pœna sunt anima legum, & leges in
iustitia fundantur. Hoc autem hactenus non
fecit, aliquando ergo facturus est.

Sed

ed hic forsitan inquiet aliquis. Summam nc iustitiam Deus videtur exercere in ani- rum ex hac vita discessu, quas partim pu- partim remunerat: proborum enim ani- bus, cælestis regni præmia largitur: impro- verò, æterna tormenta præparat. Si ergò morte rectè iudicantur, quid necesse est il- secundò iudicari, contra illam Iuriscon- torum regulam in digesto, *De officio prætoris obseruandum*, quæ sic habet.

Res semel iudicata, bis non iudicetur. Et contrà m sacrorum Doctorum sententiam, qui in Nahum §. d Nahum prophetæ. *Non consurget duplex ulatio*, aiunt. *Non iudicat Deus bis in idip- ?*

d hoc respondeo: verissimum esse omnes mas tam bonorũ quàm malorum statim st mortem rectè iudicari, nec secundò iu- candas esse. Sed aduertendum hic est, vti S. homas li. 4. sententiarum, dist. 47. notat, in dicio vniuersali non iudicãdas esse animas ominum, sed ipsum hominem. Anima se- ncta à corpore non est totus homo, sed spi- tus & pars hominis. Corpus separatum ab ima, non est homo, sed cadauer & pars ho- inis. Anima verò & corpus simul iuncta ho inem integrum constituunt. Summa igitur stitia exigit, vt veniat aliquando vna dies, in ua totus homo vel puniatur vel remunere- ir: totus inquam, in corpore simul & anima. x his clarè potestis cognoscere hominem mel tantummodo, non bis iudicatum iri: um in morte, non iudicetur homo, sed ani- na quæ non est homo, sed pars hominis.

Si veræ iustitiæ ratio exigit, vt ijs qui bona

Alia ratio qua probatur necessitas extremi iudicij.

egerunt præmium; qui verò mala, sup
retribuatur, quemadmodum S. Anselm
Prosologio, de Deo loquens ait: *Quid*
nisi vt bonis bona, & malis mala reddat? Re
dete mihi, obsecro, animæ illorum qui
vita migrarunt, solæne hoc promeruer
non? Non solæ, quoniam à corpore sep
nec præmium vltra neque supplicium,
ri possunt. Ergo cùm adhuc corporib
coniunctæ essent, præmium sibi vel tor
tum, per bona aut mala opera promer
Quia vti Aristoteles, & tota Philosoph
schola testatur, *Actiones & passiones sunt*
sitorum. Tam igitur animę quam corpo
bona vel mala opera, quæ quilibet hom
trauit. Iam verò si animæ in morte præ
vel supplicium, iuxta operum suorum
rum vel malorum qualitatem recipiun
lem pœnam vel mercedem corpora, q
animabus operata sunt, accipiũt: si bon
corpora peius & crudelius in vita & m
quàm improborũ corpora tractãtur? V
enim iustorum & amicorum Dei corpo
hac vita ieiunijs & inedia confici, flagell
di, afflictionibus & persecutionibus cõt
exagitari, in exilium relegari, lapidari, la
ri, dilaniari, membratim discindi, comb
submergi, sagittis configi, excoriari, pal
clauari, in crucem agi: post mortem ve
maria ac flumina proijci, auibusq; ac fer
uoranda relinqui. Percurrite sanctorum
tas, & inuenietis nõnullorum corporibu
iam deteriora contigisse. Aut certè, si m
illis beneficium contigit, cæterorum n
corpora illorum terræ mandata, atque i

Aristot.

cineres & puluerem, præter paucissimas quorundam reliquias, conuersa fuisse.

Quî autem videri possit hoc esse corporum iustorum præmium & non potius miseriam? contra verò peccatorum & hostiũ Dei corpora video in hac vita mollitie & commodis omnibus affluere, iucunda, festiua, delitijs euacuata, voluptuosa, quieta, pacifica, ac benè nutrita esse: post mortem verò magno cum apparatu, sepulchris marmoreis, insigni artificio elaboratis, & multiplici sculptura decoratis, inferri, aut certè aliorum hominum more sepeliri. Hic autem nulla maior cernitur pœna corporum improborum hominũ, quàm iustorum. Euidēter ergo liquet, veram iustitiam, quæ est *reddere vnicuique secundum opera sua, & ius suum vnicuique tribuere*, id est, hoc vnicuique reddere, quod secundum veram & rectam rationem, eius actiones & opera merentur. Cum ergo iustorum corpora cum animabus suis bonas & præclaras actiones molita fuerint, iusto iure, ad illa etiam pertinebit præmium ei simile, quod consecutæ sunt animæ. Contra verò cum impiorum corpora cum animabus suis, malas & sceleratas actiones perpetrauerint, ratio quoque recta exigit, vt illa quoque idem supplicium, quo animæ ipsorum torquentur, subeant.

Hactenus autem nec illorum corpora præmium, nec horum corpora supplicium vllũ consecutæ sunt. Necesse est ergo per legem iustitiæ, vt veniat aliquando dies vna, in qua omnium corpora resurgant, vt iuxta opera

bona vel mala quæ fecerunt, præmium
supplicium ferãt. Hoc autem fiet in extr
sæculorum die, quando generale vniuer
hominum exercebitur iudicium: tunc
iustorum corpora, animabus suis vnita,
piterna cælestis regni gaudia, ineffabili
decorata, transient: peccatorum verò co
ra prorsus deformia, & fœtida, in imas
voragines, æternis gehennæ flammis cr
da præcipitabuntur. Rectè igitur dictum
Propheta, *veniet*, & ab Euangelista. *Vid*
filium hominis venientem. O praclaram ra
iudicij huius necessitatem apertè osten
tem. Attendite & aliam.

Alia ratio. Vt perfecta exerceatur iustitia, quę vn
que reddit, quod suum est, duo requiru
tam in bonis remunerandis, quàm malis
plicio mulctandis. Virtuti enim duo hæ
Arist. mia debentur: Stipendium & honor. V
philosop. lib. 4. Ethic. *Solus bonus est honora*
secundum virtutem. Contra verò vitio du
pœnæ debentur, supplicium & infamia.
mani vt veram hanc iustitiam in ducibus
propter virtutes & egregia facta, inuictu
in bellis animum, remunerandis obseru
non modò amplissima illis decernebant
pendia, verùm etiam illos curribus fal
in vrbem triumphaliter inuehi, ac hono
volebant, vt spectabili hoc honore atq; tri
pho, cũctis eorum virtus & bellica fortitu
innotesceret. Vnde Aristoteles in Ethi
Honor est exhibitio reuerentiæ in testimonium
tutis. Si ergo honor & stipendium exigente
stitia, virtuti debentur: necessè est eadem
stulante iustitia, vitio quæ virtuti contra

œnam & infamiam deberi.
uid enim causæ esse putatis, cùm sontes
iad patibulum educendi, aut extremo
licio afficiendi sunt, quòd per totam fe-
bem à carnificibus id tubis ac tympanis
icetur: aut quod iustitia ijs ferè diebus,
do frequentior est populi ad mercatum
cursus: vel in publicis plateis exerceatur?
aliud sanè subest causæ, quam vt perfe-
ustitia seruetur, & reus non modò pœ-
, verùm etiam honoris dispendium su-
at. Nam infamia est maxima pœnarum,
reus, morti adiudicatus tolerat. Quis e-
nescius est, sontem aliquem, qui sit animi
lis & excelsi, libentiùs mille tormentorũ
era, & mille mortes priuatim in carcere
turum esse, quàm infamiam illam publi-
? Quare si Iudex aliquis in reos ac male-
ores priuatim ac secretò duntaxat anim-
erteret, iustitia illius manca, mutila, & im-
fecta foret: quia vna pars debitæ pœnę de-
ret, nimirum publica infamia.

um ergo Deus Iudex iustus, in omnibus
ribus suis sit perfectissimus, debebit et-
vti perfecta iustitia, tum in bonis ac iustis
licè honorandis & remunerandis: tum in
lis publica infamia & supplicio afficien-

d autem hactenus non fecit: quamuis e-
animas eorum vel remunerauerit, vel
plicijs addixerit, post mortem: attamen
remuneratio & punitio secreta fuit: al-
igitur pars præmij bonorum vel suppli-
malorum adhuc reddenda superest, vide-

licet honor vel infamia publica: hanc a… hactenus redditam esse, nullus vidit hu… nus oculus.

Imò contra ferè, (vti paulò ante dixi) est: nam in hoc mundo impij, vt plurim… florent, honorantur & æstimantur, prob… rò premuntur, irridentur & exhonora… Ratio igitur perfectæ iustitiæ requirit, v… quando veniat vna dies, in qua omnes h… nes cum corporibus resurgant, atque in… us mundi conspectum, probi quidē ho… tur, improbi verò, ignominia sempiter… tentur. Hac autem die, Deus iustos in t… phalibus curribus glorificatorum corp… suorum, in præsentia & conspectu om… creaturarum, cælestium, terrestrium & … norum, cœlos inuehi faciet, impios verò … poribus fœtidis ac deformibus vnitos, p… tua infamia notabit, scelera eorum in co… ctu omnium Angelorum, hominum ac … monum, manifestando & publicando.

Audi peccator, Deum hanc tibi ign… am per os prophetæ comminantem. … *labo*, inquit, *pudenda tua in faciem tuam, &* … *dam gentibus nuditatem tuam, & regnis igno…* *am tuam.* Verba hæc diligenter memori… tine: in illis enim minatur tibi, se in die … cij ignominiam tuam publicè coram vni… so mundo patefacturum, quoad tria p… mum. Primò, quoad actus lasciuos & c… les, quando ait. *Reuelabo pudenda tua in f…* *tuam.* Hæc enim coram cunctis tibi obijc… exprobrabit. Secundò, quoad occulta … creta flagitia, quando dicit: *Et ostendam* … *bus nuditatem tuam.* Quia omnia illa vela…

Nahum. 3.

uebit, omnesq́ illas artes & aſtutias tu-
ibus ea contegere & occultare ſolebas,
get, vt omnibus gentibus ſcelera & frau-
uæ conſpicuæ fiant. Tertiò, quoad diſſo-
m & flagitioſam vitam tuam, quando in-
Et regnis ignominiam tuam. Quia illam
ibus angelis, hominibus, & dæmonibus
ia diuerſa regna, cœlum videlicet, ter-
, & infernum pertinentibus, patefaciet.
ordare, ô peccator, magnæ huius confu-
iis & infamiæ, proderit enim tibi ad vitam
rigendam, & mores in melius mutandos,
c cum probis ac iuſtis, æternæ vitæ præ-
im, atq́ immortales honores cõſequaris:
autem cum malis & reis, æterna ſuppli-
& perpetuam infamiam patiaris. Quia er-
abſoluta iuſtitia requirit malorum infa-
iam, & bonorum honorationem, neceſſari-
n eſt reſpectu Dei, cui illa iuſtitia principa-
er ineſt, die quadam hoc iudicium exerce-
Itaque cõuenienter Propheta dicit. *Veniet,*
Euangeliſta. *Videbunt filium hominis venien-*
m.

Neceſſarium præterea eſt, hoc Iudicium eri, reſpectu Chriſti. Attendite. Venit Chri-ſus in mundum, ſeq́ Meſſiam & verum Dei ſium in lege promiſſum eſſe conteſtatus eſt. it fides ei ab omnibus adhibita non fuit. He-ræus enim non Deum, ſed purum hominẽ, d prophetam, ſed ſanctũ eſſe credidit. Qua-e ſcandalum eſſe cenſuit, illũ pro vero Deo, olere, prædicare, & venerari. Gentilis non nodo illum Deum non eſſe credidit, ſed et-am ſtultitiam reputauit, eum veluti Deum dorare, qui tanquam reus in crucem actus *Neceſſitas vniuerſalis iudicij probatur ex parte Chriſti.*

 eſſet,

esset, atque in patibulo distentus, animam halasset. Porrò quàm multos errores, qu portentosa mendacia, quàm monstrosas o niones de illo disseminarunt hæretici, veteres quàm recentiores? Quàm multa v indigna de illo crediderũt falsi & ficti Ch stiani? Solus verus Christianus credidit, & certò tenuit, illum esse verũ Dei filium. V

1. Cor. 1. S. Paulus. *Nos prædicamus Christum crucifix Dei sapientiam, & Dei virtutem, Iudæis qui scandalum, gentibus autem stultitiam.* Ecce qu multi eum deceptorem esse, ac mundum cumuenire voluisse existimarunt. Vt ig Christus hanc suam causam iustificet, illu honorem, quem perfidi isti, ei abstulerũt, ram vniuerso mũdo sibi restituat, omnib q́ue palam faciat, se neminem circumuen sed verè ac realiter eundem illum esse, qu se esse affirmauerat, quem q́; Apostoli præ cauerant, & cuius honorem Sacri Eccle Doctores contra hæreticos tutati fuerant, cessariũ est, vt veniat aliqua Iudicij dies, id fiat. Hoc vt fieret, filius à Patre flagitab

Ioan. 17. quando ait. *Pater clarifica filium tuum*, id est, fice clarum ac perspicuum cunctis nation bus, me verum esse filium tuum. Hæc aute clarificatio fieri, & veritas ista manifestari toto mundo nõ potuit, quia omnes homin qui in mũdo fuerũt & erũt, præsentes esse n quibant. Necesse est ergo, vt veniat vna die qua omnes Iudæi, Gentiles, Hęretici, & Chr stiani resurgãt, corã quibus Christus sese cl rificet, illisq́; errores suos ostẽdat, & se veru esse Dei filiũ, quem affirmauerat, demõstre

Hoc autem fiet in tremendo illo vniue

sal

Iudicij die, quo Christum omnes Iudæi, ntiles, Hæretici, & falsi Christiani intuentur, deq; sua perfidia erubescent, & acerbissimas pro illa pœnas luent. Rectè igitur pheta inquit. *Veniet*. & Euangelista. *Videbunt filium hominis venientem*. O egregiam rationem, extremi iudicij necessitatem, pulcherrimè ob oculos statuentem.

Necessarium denique est, Iudicium hoc exeri respectu hominis. Vt nimirum querelis ac murmurationibus plurimorum satisfiat. Multi enim admirantur, cur Deus bonos igi & in tribulationibus ac ærumnis vitam transfigere, malos verò in omni rerum affluētia & prosperitate viuere sustineat. Audi te ipsorum querimonias & lamenta. *Quare impij viuunt, sublimati sunt confortatique diuitijs? quare respicis contemptores, & taces, conculcante impio iustiorem se? Zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns.* Tales erant olim eorum querelæ ac lamētationes, qui non capiebant, cur iustissimus Deus peccatoribus inimicis suis, quietem, honores, atque diuitias largiretur: probis verò amicis suis, afflictiones, miserias, & calamitates immitteret. Quin & hac tempestate non pauci sunt, quibus id magnam præbet admirationem. Necessariū est igitur, vt veniat vna dies, qua omnia hæc ipsorum lamenta quietentur, atque permissionis diuinæ rationem videant, diuinamq; maiestatem iustissimam esse cognoscant. Hæc autem, erit illa vniuersalis Iudicij dies, qua peccatores inimici eius, in hac vita multis solatijs & voluptatibus recreati, æternis tormentis addicentur; iusti verò amici eius, in hoc mundo

Necessitas extremi iudicij probatur ex parte hominis.

Iob. 21. Habac. 1. Psal. 72.

afflicti & oppressi, ineffabili consolatione de mulcebuntur.

Eueniet tum humano generi, auditores, quod accidit panno serico, quem conspicit fortè ex prætereuntibus quidam, talium rerum ignarus ex officina Sartoris cuiuspiam pendentem, qui si paulò pòst eandem officinam transeat, & pannum illum in partes paruas & magnas discissum esse, & maiores quidem simul compositas & ordine locatas, minores verò huc illucque dispersas esse conspiciat, vehementer admiratur. Sed ecce videt Sartorem ex illis serici panni partibus vestem alicui facientem: & minutas illas, minusque pretio habitas partes, digniori ac honoratiori, maiores verò viliori & abiectiori loco, cōstituentem: Nam illas in anteriori pectoris parte, circa collum, alijsque in locis conspicuis: has verò à lateribus, & à tergo collocat. Ita etiam tota natura humana fuit primū instar alicuius panni serici, tota æqualis condita: nam omnes simili conditione nascimur.

Sap.7. *Nemo* enim *ex regibus aliud habuit natiuitatis initium.* Postquam verò in lucem editi sumus, magna in nobis cernitur diuersitas: Alius. n. multis commodis affluit, alius rerum omniū penuria laborat. Alius honoratus, alius contéptus: alius in hominum æstimatione paruus, alius magnus est. Ex hac autem diuersitate fit, vt is qui inscrutabilia Dei iudicia ignorat, miretur ac de Deo murmuret. Sed veniet aliquando tempus, quo Deus paruos & contemptos in hoc mundo, sublimiori & honoratiori, magnos verò inferiori atque abiectiori loco constituet. Sicq; nostræ admira-

tioni

leni & quærelis finem dabit. Hoc autem fiat in vniuersalis iudicij die.

Respectu igitur hominis necessarium erit, hoc Iudicium exerceri, vt illius admiratio & quærelæ finem accipiant, & Deus à cunctis, iustissimus esse cognoscatur. Conuenienter ergo Propheta dicit. *Veniet.* Et Euangelista, *Venientem.* Videtis, auditores, quàm multis ex caussis & rationibus, necessarium sit generale illud Iudicium in fine mundi exercendum. Quoniam ergo satis multa hactenus de iudicij necessitate à nobis dicta sunt: veniamus ad modum quo Christus summus viuorum atque mortuorum Iudex ad Iudicium hoc venturus est: hoc enim tertium caput fuit eorum, quæ nobis Dauid in pictura illa qua Iudicium describit, exhibet.

IV.

Modus aduentus eius talis est. *Manifestè veniet & non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet & in circuitu eius tempestas valida.* In quibus verbis, quatuor de modo quo ad iudicium Christus venturus est, commemorantur. Primum est quòd manifestè veniet: Secundum, quòd vltra non silebit. Tertium, quòd ignis in conspectu ei9 exardescet. Quartum, quòd in circuitu eius vndequaq; futura sit tempestas valida. O modum terribilem, Ex ijsdem verbis magna nobis mõstratur diuersitas secũdi aduentus eius à primo. Ea autem vt omnibus pateat, expendamus paulisper illa quatuor, quæ iam diximus, de vtroque illius aduentu. Quorum primum est. *Manifestè veniet.* In primo enim aduentu venit occultus,

Psal. 49. *Modus quo Christus ad iudiciũ venturus est, describitur.*

cultus, in secundo manifestus. In primo, non fuisse scribitur, quando è cœlis delapsus est, ne à quoquam cerneretur. Vnde Sapiens. Sap. 8. *Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter perageret, omnipotens sermo tuus Domine, à regalibus sedibus venit.* In secundo veniet clara luce, vt ab omnibus conspiciatur. In primo, quando humanam carnem sibi copulauit, nouem mensibus in vtero materno delituit. In secundo veniens palam in aere lucidissima nube circumamictus cernetur. In primo cum nasceretur, in perexiguo & solitario tugurio in hunc mundum editus est. In secundo manifestè in spatiosissima valle Iosaphat apparebit, vniuersiq; homines illius conspectui sistentur. In primo posteaquam natus esset, in breui præsepio inter duo animalia absconditus, & vilibus panniculis inuolutus atque contectus fuit. Sic enim ait Luc. 2. scriptura. *Pannis eum inuoluit.* In secundo conspicuus videbitur in aere, angelorum turmis & tota cœlesti cohorte stipatus, atque ineffabili gloria circumdatus.

In primo absconsus fuit sub carne fragili, & innumeris passionibus obnoxia. In secundo verò in carne gloriosa, impassibili & diuina omnibus conspicuus apparebit. In primo moriens in cruce occultatus fuit à tenebris, quæ vniuersum mundum obscurarunt: In secundo verò, immensa lux totum terrarum orbem illustrabit, partim propter ignis qui omnia comburet, lumen, partim propter fulgorem qui è glorioso & beato Christi corpore procedit, partim propter solis splendoré qui tum Isaia teste septies semetipso lucidior

erit.

it. In primo post mortem in sepulchro fu- *Isai.30.*
it reconditus: In secundo, viuus supra terram
magna maiestate conspicietur. In primo
posteaquam à mortuis resurrexisset, aliquan-
do sub peregrini, nonnunquam sub hortula-
ni habitu delituit. In secundo in propria for-
ma corpore glorioso & splendido apparebit. *Isai.45.*
In primo rectè de illo dici poterat. *Verè tu es*
Deus absconditus, quia illum etiam cælos ascen-
dentem nubes ab oculis Matris & Discipulo-
rum occultauit. Sic enim habent sacræ litte-
ræ. *Videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eũ* *Act.1.*
ab oculis eorum. In secundo verò de cælis ad
hæc inferiora descendet cum tremenda ma-
iestate, vt ab vniuerso mundo videatur: vn-
de scriptura. *Tunc videbunt filium hominis ve-* *Luc.21.*
nientem in nube cum potestate magna & maiesta-
te. Verum est igitur quod Propheta ait. *Mani-* *Psal.49.*
festè veniet.

Quid? Non vultis eum omnibus manife-
stum apparere, quandoquidem ingenti cum
potestate venturus est, secũq; vniuersam mi-
litiam cælestem, omnes videlicet Angelos &
sanctos, adducturus: iuxta illud Matthæi: *Cum* *Matt.25.*
venerit Filius hominis in sede maiestatis suæ & o-
mnes Angeli eius cum eo? Quæ verba Origenes
Doctor Antiquissimus exponens, dicit, hanc
sedem maiestatis filij hominis non fabrefa-
ctum iri ex ligno politissimo artificumq; o-
peris elaborato, non ex marmore, auro, vel
argento, sed futurum esse ipsummet glorio-
sum Christi corpus, quod tum non aliter re-
fulgebit, ac quando in monte Thabor coram
discipulis transfiguratum fuit: verba ipsius
sunt hæc. *Cum gloria huc reuertetur, vt corpus* *Origenes.*

eius sit quale fuit , quando transfiguratus fuit *monte.* Non erit vestitus purpura & bysso, sed gloria circumamictus , quia diuinum corpus illius mille Solibus amplius resplendebit, & sanctæ illæ vulnerum cicatrices , in beatissimis carnib⁹ nullius deformitatis sed egregiæ venustatis causa erunt, multò enim magis rutilabunt quàm gemmę Orientales, imò vnaquæque earum Sole lucidior erit . Magna verò electi eius ipsum circumsistentes ex diuina luce sanctissimi corporis huius voluptatem percipient : atque de illa non aliter gaudebunt atque Aquilæ gaudent dum oculos in lucidissimum solarem orbem defigunt: iuxta

Psal. 40. illud Esaiæ : *Sicut aquilæ current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient*: reprobi vero ad tantam lucem non aliter excæcabuntur atque noctuæ ad solis splendorem . Omnes autem sancti & omnes Angeli circundabunt eum vndequaque, tũ vt eum honorent, splendoremq́; ac maiestatem illius augeant, tum vt sententiã in improbos ferendam approbent atque collaudent.

In primo aduentu suo hoc pacto non apparuit , sed omnia contraria in illo visa fuerunt, non enim venit cum glorioso corpore, sed passibili; nõ lucido, sed instar cæterorum hominum mortali; non vulnerum cicatricibus notato, sed integro; non in nube , sed in vili tugurio; non in maiestate magna , sed in humilitate & abiectione; non cum potestate formidabili, sed timida, nam propter timorẽ fugit in AEgyptum; non inter omnes Sanctos & Angelos, sed solus inter Iosephum, Mariam, bouem, & asinum; non vt seuerus Iudex, sed

sed vt pius Saluator; non ad puniendum, sed ad redimendum; non contra peccatores, sed pro peccatoribus; non vt cum electis suis regnaret, sed vt pro ijs pateretur; non vt perpetuò & immortaliter cum illis viueret, sed vt eorum causa in tempore moreretur. O primum aduentum humilem, pium, benignum O secundum formidabilem, horrendũ atq; terribilem, qui stupore simul atque admiratione vniuersum mundum complebit.

Præterea in primo aduentu suo, non fuerunt ab omnibus visa præcedere signa cælestia, quæ mundo Aduentum ipsius indicarẽt. In secundo verò ab vniuerso mundo plurima præcedere conspicientur. Iuxta illud hodierni Euangelij. *Erunt signa in Sole & Luna & Stellis: Et tunc videbunt filium hominis venientẽ,* Luc. 23.
Quæ autem hæc signa futura sint S. Matthæus describit his verbis. *Sol obscurabitur, & luna nõ dabit lumen suum, & stella cadent de cælo.* Matt. 24.

V.

Signa quæ extremum iudicium antecessura sunt.

HEV: tum videbuntur innumera signa in creaturis, in cœlo, terra, aere, & aqua. E cœlo stellæ cadere videbuntur: Luna in sanguineũ colorẽ immutabitur: Sol insolita obscuritate contegetur: Ignis omnia quæ in mũdo sunt depascet. Aer crebris fulgetris ac tonitruis magnum hominibus terrorem incutiet: Mare inundabit, mugituqúe suo ac strepitu mortales exanimabit: Terra contremiscet atque ingenti hiatu facto, ædificia plurima absorbebit: Herbæ & arbores exsiccabuntur: Animantia morientur, & omnes ho-

mines

mines insolito tremore concutientur. Q
signa ego mecum considerans (vt animi
conceptum vobis aperiam) mundum ho
ni veneno infecto similem esse, existimo.

Quando quis venenum hausit, hodie v
cras alium dolorem experitur; sed temp
adueniente, quo toxicum vltimã suam v
exerciturum est, totum corp⁹ perturbat,
que omnes illius partes alterat: tum enim
uertuntur oculi, pallescit facies, surdesc
aures, cadunt capilli, nigrescit lingua, vox
ficit, guttur intumescit, contremiscunt m
bra, totum denique corpus liuore perfu
tur. O stupendas corporis huius infœlicis
terationes: ita etiam mundus venenum
bit, & hodie quidem vnum, cras aliud a
dens patitur, sed in fine totus quantus est
terabitur, vt indicet se morti iam esse v
num.

Matt. 24. Cadent enim stellæ, quæ sunt capilli ei
Ibid. *stellæ cadent de cælo.* Luna & Sol, oculi eius c
Luc. 21. gine contegentur: *Sol obscurabitur, & Luna*
Ibid. *dabit lumen suum.* Virtutes cœlorum, quæ su
sensus illius, concutientur. *Virtutes cælor*
mouebuntur. Elementa omnia, quæ sunt me
bra ipsius, turbabuntur. Contremiscet terr
Erunt terræmotus magni per loca. Tonabit
fulgurabit aer. *Illuxerunt coruscationes tuæ or*
Psal. 76. *terræ:* Ignis totum terrarum orbem occup
Psal. 96. bit. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit*
circuitu inimicos eius. Intumescet, & mugi
Luc. 21. mare, *Erit pressura gentium præ confusione soniti*
maris & fluctuum. Homines denique hanc co
fusionem & rerum omnium euersione
cernentes, attoniti & stupefacti consisten

Aresce

ntibus hominibus præ timore & expectatio- Ibid.
peruenient vniuerso orbi. O mundus, ô mũ-
dum, venenum hausisti, & tamen tibi non pro-
is: Toxicum mortiferum in Adami po-
manducasti, & sanum te esse autumas. Sed
in fine aduertes, quàm insolita, stupenda,
horribilia tibi sint euentura.

Unde igitur tantam modò mundus hic ha-
superbiam, venustatem ac magnificentiã?
plurimis venenatus iste mundus, qui in
sæculorum, cũ tot signis horrificis emo-
tus est, tanto in pretio habetur, vt etiam
dissimè illum plerique sectentur? In eius
que rei argumentum, quòd toxicum hau-
iamq; vltimo effectui, id est, morti vici- Ibid.
sit, *Erunt signa in Sole & Luna, & stellis, & in*
terris pressura gentium.

Neque mirũ est, quod tum in mũdo futu-
sint tot perturbationes. Mundus enim ap-
llatur in sacris literis mare. Vti in Prophe-
Habacuc. *Viam fecisti in mari equis tuis.* Et in
ea. *Ipse rugiet, & formidabunt filij maris*: Ha-
et enim littus, id est, finem suum. Habet etiã
aris profunditatem & vastitatem: tẽpus vi-
elicet medium inter mundi principium & fi-
em. Sicut ergo in mari, (quemadmodũ illis
qui cũ marinis fluctibus aliquando colluctati
sunt, notum est) circa littus, vnde magis intu-
mescunt, furent, colliduntur: adeoq; maiora
minatur nauigantibus pericula, & formida-
biliores excitant tempestates, quàm in alto
mari. Ita etiam in mũdo nouissimis tempori-
bus stupenda cernentur signa, motiones ac
perturbationes, quoniam ad littus, id est, ad
finẽ suũ propinquat. Modò, fratres, in alto ma

ri verſamur, quia non experimur crebra
peſtates, procellas & alterationes; adeoq;
nori cum ſolicitudine, timore ac diſcri
nauigamus. Sed tum ô Deus, quàm peric
ſa futura eſt nauigatio, qualis timor, metu
horror omni ex parte nos circumdabit, q
do viderim⁹ vniuerſarum creaturarum
turbationem atque confuſionem. Quia i
mundus ad littus, id eſt, ad finem ſuum
Ibid. perat, idcirco, *Erunt ſigna in Sole, Luna, &*
& in terris preſſura gentium. Et virtutes cœ
mouebuntur.

Præterea ſigna hæc idcirco fient, vt
ſtatis atq; ſenectutis mũdi huius indiciũ
Noſtis enim quãdo homo ſenuit, natura
quæ olim dederat, paulatim auferre. C
los, viſum, auditum, dentes, vocem, tot
corporis vigorem. Ita etiam Deus auctor
turæ, vt oſtẽdat mundum iam conſenuiſ
nemq; illius imminere, auferet illi omni
namenta, quibus quondam illum decora
rat. Cœlo ſtellas. *Stellæ cadent de cælo.* Soli ſ
Matt. 24. dorem. *Sol obſcurabitur.* Lunæ lumen. *Et L*
Ibid. *non dabit lumen ſuum* Elementis quietem. *I*
Ibid. *terris preſſura gentium præ confuſione, ſonitu*
Luc. 21. *ris & fluctuum.* Hominibus denique vigor
Ibid. & fortitudinem. *Areſcentibus hominibus p*
more & expectatione, quæ ſuperuenient vni
Ibid. *orbi.* Itaque in argumentum vetuſtatis mu
di, *Erunt ſigna in Sole, & Luna & Stellis.*

Porro ſigna hæc erunt expreſſa & cõſpi
omnibus, vt per ea manifeſtetur, Deum pa
lò poſt ad rationem ab hominib⁹ repeten
de cœlis in terras venturum. Quando Rex
liquis, cui multa parent regna, dicit ſe ex i
regn

gno, cui principaliter præsidet, in aliud regnum, ad iustitiam ibi administrandam velle discedere, sine vlterioribus testimonijs fides tanquam Regi adhibetur: eò quod verba Regum firma & stabilia esse soleant.

Verùm quoniam ex verbis Regis certò nõ constat, quãdo vel quo tempore id futurum sit, præsertim cum illud à libera ipsius voluntate dependeat, nec facilè quæ inter magnos Principes, res alicuius momenti aguntur, sciantur: poteſtne coniectura vel indicium aliquod dari, ex quo tempus discessus illius cognosci queat? Poteſt vtique, illud nimirum, quando aulæa pretiosa, varijsq́ue picturis decorata, è cubiculo & aula regia deponuntur: Imagines ac tabulæ, quæ totius habitaculi decus & ornamentum erant, inuoluuntur: ex eo enim clarum & manifestum sumitur argumentum, Regem breui ex eo loco migraturum. En summus cæli ac terræ monarcha, nõ semel sed sæpius, per se, per Prophetas, per Apostolos, pollicit⁹ est se aliquando relicto cęlesti regno, in terram venturum, ad rationem cum hominibus instituendam. Adhibenda igitur erit illi sine vlla ambiguitate, fides: tum quia Rex, tum quia Deus mentiri non valens: sed tempus quo id futurum est, ignoratur: tenet enim illud sub clauibus liberæ voluntatis suæ occultum atq; secretum, nec cuiquam rẽ tanti momenti hacten⁹ aperire voluit. Ex quo igitur indicio, aduentus illius breui futurus certò constare poterit? Ex eo nimirũ, quando aulæa & tabulas picturatas, cælorum videlicet, quę summi Regis hui⁹ pallatium sunt ornamenta, deponi, inuolui & contegi conspexerimus.

Signa quæ extremũ iudicij diẽ præcessura sũt, indicia erũt aduentus summi Iudicis.

erimus. Aulęa cælum exornantia, sunt
tabulæ verò Sol & Luna: hæ contegentu
Matt.24. inuoluentur, iuxta illud Matthæi: *Sol ob-*
bitur & Luna non dabit lumen suum : illa
deponentur è cælesti pallatio. Sicuti apu
dem Euangelistam legimus. *Stellæ de cæ-*
dent. Aduertitis ergo, quòd signa hæc m
festum futura sint iudicium & certa c
ctura, paulò post summum cęli Regem,
ram esse venturum, vt mũdum dijudicet
ita esse hodiernum demonstrat Euange
Luc.21. in quo posteaquam Christus dixisset. *Er*
na in Sole, Luna & stellis, statim subiungit,
videbunt filium hominis venientem.

Eadẽ erunt argumentũ erxercẽdæ in peccatores iustitiæ, & ferendæ sententiæ.

Præterea signa hæc clarum erunt in
quòd post breue tempus in malefactore
vlla pietate, iustitia sit exercẽda. Dicite
amabò vos, auditores: quãdo in regia h
be Neapolitana è fenestris pallatij Pro
vexillum illud tremendum, albi & rub
loris, insignia regis in medio præferens,
pansum esse cernitis, nonne certum ha
eo die reum aliquem, extremo supplicio
ciendum esse? Albus enim color huius v
li, indicat reum iuxta puritatem & cand
legum esse iudicatum. Rube[9] vero vindi
& supplicium, quod delinquenti, secund
iustitiæ ac legum seueritatem irrogatur,
monstrat. Insignia regis ostendunt, hanc
tiam esse profectam à Rege, qui fontẽ per
nistros suos morti adiudicauit: nam iude
actu iudicandi Regis personam repræsen
Vexillum hoc, (vti nostis,) tam diu circa
stam ita inuolutũ iacet, vt insignia Regis c
spici nequeant: donec aliquis reus suppl

m

ſtandus,& iuſtitia publica exercenda eſt:
monſtretur,ad hoc vſque tempus, iudiciũ
ueſententiam,vel Regis,aut Proregis gra·
à fauore,aut alia ex cauſa impediri potu-
Iuſtitia denique peracta,toto die illo, ex
dictis feneſtris vexillũ hoc ita dependet,
lbedo,rubedo,&inſignia regis exactè diſ-
niqueant: Quo declaretur, iudicium atq;
tentiam illam iam opere conſummatam,
plius reuocari neque impediri poſſe, quò
ius publica & omnibus manifeſta ſit. Ve-
quid vexilli huius ſignificationibus de-
andis immoror.

Dico igitur, ſigna illa iudiciũ præcedentia,
ura eſſe,veluti vexillum è magnis Solis &
næ feneſtris expanſum,ad ſignificandum,
oximam eſſe Iudicis in improbos vindictã
punitionẽ.Ecce vexillum & illius inſignia,
unt ſigna in Sole & Luna. Hoc autem vexillũ Luc.21.
rtim album partim rubeum eſſe,S.Ioannes
Apocalypſi docet , vbi horum ſignorum Apoc.6.
nſtitutionem ita depingit. *Sol factus eſt tan-
am ſaccus cilicinus , & Luna tota facta eſt ſicut
guis.* Saccus candorem vexilli,ſanguis vero
bedinẽ denotat. Neq; huic vexillo deerũt
ſignia regis. Ecce enim illa exhibet nobis
angeliſta dicens. *Et tunc apparebit ſignum filij
minis in cælo.* Erunt itaque ſigna illa iudiciũ, Matt.24.
uod mundus paulò poſt diuina auctoritate,
xta legum puritatem atq; candorem iudi-
ndus,& ſententia irreuocabili,&irremedi-
bili à ſummo iudice feriẽdus ſit: ita vt nulla
nplius peccatoribus ſpes conſequendæ ſa-
tis,poſſit ſupereſſe. *Erunt* igitur *ſigna in Sole* Luc. 21.
Luna.

Eadē indicabunt sublata esse peccatoribus omnia salutis remedia. Adhæc signa illa manifestabunt, pecca ribus omnia illa remedia, quibus salutem sequi possint sublata esse. Sunt autem ista media, præcipuè tria. Sanguis Christi, pœ tentia, & sanctorum interuentio. O pecca quando iram Dei vis subterfugere, & salu tuam constituere, ad Christi sanguinē rec ris, atque illum tibi sacramentis medianti applicas: austeram pro sceleribus admissi nitentiam subis: ad sanctos cōfugis, eoru preces imploras, vt pro te apud Dominum tercedant, tibiq; optatam salutem obtine remedia magna, salubria, & efficacia. Ve quia in mundi fine non erit vltra tempus sericordiæ sed iustitiæ, nō salutis sed dam tionis, peccatoribus. Idcirco Iudex, quia tur⁹ erit ad exercendam iustitiam, prima duo remedia è mundo auferet, ne peccato ad illa confugere, & iustitiam suam impe valeant; atque tam sublimi in loco ista stituet, vt ad illa pertingere nequeant.

Apoc. 6. Sanguinem Lunæ, & saccum, qui pœni tiam designat Soli adhęrere faciet. Iuxta il S. Ioannis in Apocal. *Luna facta est sicut san & Sol tāquam saccus cilicinus.* Quin & Prop ta Ioël clarissimis verbis prædicit, duo hęc media è mundo esse tollenda, ideoq; sac *Ioel. 1.* dotes ad plorādum inuitat: dicēs. *Plāgite cerdotes, quia tunc non erit sacrificium, quo De placare posſitis.* Sancti verò cum Christo cælis in terram descendent, ne pro peccato bus apud Patrem possint intercedere: ide *Apoc. 6.* subiungit S. Ioannes. *Et stellæ de cælo cecider super terrā.* Hę stellæ figurant sanctos, qui cu Christo Iudice è cęlis in terram delabent

quid non aduertitis, Danielem Prophe- *Dan.12.*
nctos stellas nuncupare? *Fulgebunt*, inquit,
quasi splendor firmamenti, & quasi stellæ in
tuas æternitates. Erunt autē cum Christo
rris, ne pro sceleratis hominibus apud
rem in cœlo possint interuenire. Itaque vt
nstretur omnia salutis remedia in nouissi-
iudicij die, è mundo tollenda esse, *Erunt*
a in Sole & Luna & stellis. Amplius dico. *Luc.21.*
Faciet Deus videri duo illa remedia in cæ- *Eadē faciēt ad impiorū maiorem confusionē.*
anctos verò secum in terram adducet, ad
iorem improborum hominum dolorē &
fusionem: Erunt namq; illis ante oculos
remedia, per quæ salutē consequi potuis-
si ea ex animo amplexi fuissent: videbunt
iam à Deo non stetisse, quo minus salutem
sequerentur, is enim remedia ista, in hunc
nem illis tradiderat: sed illos sibimetipsis
efuisse, quoniam remedijs collatis vti nolu-
runt. Quocirca confusione ac dolore opple-
i, ex hisce signis cognoscēt, verum esse illud,
quod Deus per Prophetam inquit. *Perditio*
tua ex te Israel. Itaque tum propter impiorum *Ose.13.*
maiorem cruciatum & verecundiam: tum vt
manifestè videant, non se illis, sed illos sibi-
metipsis damnationis causam extitisse. *Erunt*
signa in Sole, Luna, & stellis. Quod perinde est, *Luc.21.*
ac si Euangelista Lucas dixisset, videbunt So-
li & Lunæ & stellis signa salutis, quæ ipsi res-
puerunt, adhærentia.

Cernentur ad hæc signa illa in cælo, vt sint *Eadē signa erūt trophæum diuinæ iustitiæ.*
veluti trophæum diuinæ iustitiæ; qui sæpius
quidem voluit in peccatores animaduertere,
sed confugientibus illis ad efficacissima hæc
remedia, atque (vt ita dicam) ad hæc arma, di-

uina miseratione, illis collata, eandem iusti-
am ita retuderunt, vt ipsis incommodare ne-
quiret. Tum verò quoniam Christus oẽs pec-
catores victos, suæq; potestati subditos habe-
bit, ideirco in trophæum & signum victoriæ
eadem illa arma quę ipsum in animaduersio-
ne præpediebant, sublimi loco, id est, in cœlo
constituet.

Quemadmodum fortis miles, qui hostem
suũ singulari certamine vicit ac profliga-
arma illius, excelso loco vt omnium con-
ctui pateant, in trophæum & maiorem glo-
suam solet affigere: Ita etiam diuina iusti-
quia tum de peccatorib⁹ triumphatura, il-
qúe armis & remedijs omnibus spoliatura
affiget illa in trophęum & signum victori-
excelsissimo pallatij sui loco: id est, in cœlo
Luc.21. ab omnibus conspici queant. Hanc igitur
Apoc.6. causam, *Erunt signa in Sole, Luna, & stellis. Sol*
ctus est, tanquam saccus cilicinus, & Luna tota
cut sanguis. Atque vt signa hæc (de quibus co-
piosa se mihi offert dicendi materies, si de
ex proposito loqui statuissem) tãdem aliqu-
do cõcludam. Præcedent signa in Sole extre-
mum iudicium, *Erunt signa in Sole*, vt significe-
tur mũdo, methodus & ordo eiusdem iudi-
cij: vox.n. ista, Sole, quatuor literis scribitur
Cur signa speciatim in sole extremum iudicium præcessura sint. S.O.L.E. quæ quatuor proprietates, sapien-
tiam, omnipotentiam, liberalitatem & æter-
nitatẽ in hoc iudicio manifestandas, indicã-
S. notat Sapientiam. O. omnipotẽtiam. L. Li-
beralitatem. E. AEternitatem. Quæ omnia
vniuersali cernentur iudicio. Sapientia enim
cõspicietur, quia Iudex apertè ac sine vllo er-
rore merita & demerita omnium exactissime

cognos-

gnoscet, & illa quidem cęlesti gloria remu-
rabitur, hæc verò æternis gehennæ incēdi-
puniet. Omnipotentia manifestabitur, quia
vnicam iubentis vocem, *Surgite mortui, ve-*
ad iudicium, terra omnes homines viuos
mortuos restituet. Liberalitas apparebit,
Christus regnum cæleste, amœnissimū,
lentissimum, omniq; fœlicitate affluens,
tris operibus exiguis ac penè nullis, si cum
ta magnificentia componantur, retribuet,
ceratos etiam homines, multo minori, quā
era ipsorum promeruerāt, pœna mulcta-
Remunerabitur iustos, quemadmodum
Doctores aiunt, *vltra condignum*, & puni-
mprobos, *citra condignum*. Deniq; patescet
ernitas, quia peccatores & scelerati homi-
ad æterna gehennæ incendia, condemna-
intur: iusti verò ac pij sempiternis cū Chri- *Matt. 24.*
gaudijs perfruentur. *Ibunt impij in supplici-*
æternum: Iusti autem in vitam æternam. Erunt
itur, *signa in sole*, vt mundo detur intelligi, in
iudicio futuram esse interminatam sa-
ientiam, infinitam omnipotentiam, libera-
tatem immensam, & æternitatem perpetuā.
ot itaque signis præcedentibus, verissimum
quod Dauid inquit. *Manifestè veniet.* & *Psal. 49.*
quod in Euangelio S. Lucæ Christus ait. *Luc. 21.*
nunc videbunt filium hominis venientem cum po
state, & maiestate magna. Quoniam ergo ha-
tenus de primo, eorum quæ ad modum ad-
entus Christi ad iudicium pertinent, satis
sè differuimus, veniamus nūc ad secundū:
idelicet. *Non silebit.*

V I.

Quā formidabili specie Christus ad iudiciū venturus sit.

IN primo aduentu suo loqui nō potuit, q
in paruuli lactentis specie venit: In secu
verò loquetur: quia non in forma imbec
pueri sed hominis perfecti, in eadem a
qua à mortuis resurrexit, atq; cælos ascen
conspicietur. Ideoq; vltra *non silebit*. O pe
tor retine diligenter memoria, hæc ve
Non silebit, id est, vociferabitur, exclam
aduersum te. Audi & contremisce.

Omnia scelera tua, quæ opere, cogita
atq; imaginatione perpetras, Deus min
ac singulatim vno involumine describit
autem volumen non est Chartaceum, se
terna ipsius Dei memoria, vti rectè no
Psal. 138. Propheta regius, cum ait. *Imperfectum m
viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribe*
Non præterit vel minimum iota, quod
annotet. O Christiane cùm peccatū alic
in secreto admittis, & te à nemine con
existimas, magno in errore versaris, qua
enim homines te non videant, attamen i
entur & notāt actiones singulas, (quod m
est,) nō modò Angeli & sancti omnes, ve
etiam dæmones: Et quamuis ab illis min
conspicereris, nihilosecius attenderet te, D
us, Iudex & vltor tuus, cui nihil abscondi
est. Audi S. Patrē Augu. in Regula. *Putādu*
S. August. inquit, *non videri? videtur omnino & à quib
videri non arbitratur. Et si à nemine hominum
deatur, quid faciet de illo desuper inspectore, q
latere nihil potest*. Si ergo putas, illum non c
nere scelera tua, neque describere, quoni
silet, & in te secūdùm scelerum tuorum m
rita in præsenti vita non animaduertit: g
ui errore laberis, quia singulatim & minu

conspicit, notatq; in æternæ memoriæ suæ lumine; hæc autẽ memoria non est labilis obliuiosa, instar nostræ, sed omnia quæ cõmittitur, semper ante se habet, eorũq; omni tempore meminit. Et quando iudicij dies aduenerit, ea tibi obijciet, seuerissimamq; pro illis pœnam à te reposcet, ipse enim testis & iudex est omnium actionum, cogitationum, & sermonum tuorum. Non audis eum dicentem? *Ego sum iudex & testis.* Et S. Gregor. lib. 2. moralium? *Sic Deus vias nostras considerat, & gressus dinumerat, vt nec minimæ quidem cogitationes, ac verba minutissima, quæ apud nos vsu viluerunt, in iudicio indiscussa remaneant.* *S. Gregor.*

Quanquam igitur tacere videatur, attamẽ noli ô peccator existimare, quòd perpetuum futurum eius silentium: certò namq; certus die quadam illud frãget. *Et non silebit.* Vociferabitur autem adeò fortiter, vt vniuerso mundo, iniquitates tuæ manifestę futurę sint. *Psal. 49.* Nõ audis illum per Esaiam prophetam dicẽtem? *Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar.* *Esai. 42.* Quod perinde est ac si dixisset. Quáuis hactenus innumera tua & omniũ hominum scelera conspexerim, attamẽ semper tacui, silui, patiens fui, dissimulaui, emendationem longanimiter expectãs, quã tamen vix aut nunquam in te & alijs aduerti: nũc igitur apertè vobis omnibus denuncio adfuturum aliquando tẽpus, quo non amplius silebo, sed loquar, vti mulier parturiens. Considera diligenter, ô Christiane, illa Dei per prophetam comminantis verba, cùm dicit se locuturum non vt hominẽ ira & indignatione plenum, sed vt mulierem parturientem. O insignem meta-

metaphoram, quæ nobis semper mente
nenda foret.

Notum est enim, fœminam parturient
propter ingentes partus dolores, sæpenu
rò alta voce plorare, gemere, exclamar
vt etiam à longè exaudiri possit: nihilq; v
mentiùs cupere, quàm vt citissimè à partu
tionis angustijs liberetur, prolemq; in v
conceptam, in lucē effundat: omnis hora
omne momentum quo hęc parturitio di
tur, mille annorũ spatiũ reputat. Deus i
his verbis. *Vt parturiens loquar indicat*, qu
die iudicij facturus sit. Tum enim propte
lentij diuturnitatē, ac patientiæ suæ long
mitatem, qua peccatores ad pœnitētiam p
stolatus est, pectus prægrauatum habebi
tius mũdi sceleribus atq; peccatis, quæ ipsi
non aliter atq; mulierem grauidam fœtu
tero conceptus, vehementer prement. Au
te illum dicentem. *Iniquitates vestræ, sicut*
Psal. 37. *graue grauatæ sunt super me.* Et quoniam v
propter nimiam molem & grauitatem illa
stinere nequit, desiderio magno ea partu
& vniuerso mũdo publicare cupit, vt ab o
nibus conspiciantur & in omnium consp
puniantur. Hoc partus & publicationis d
deriũ vt indicaret, dicit. *Vt parturiens loqu*
Quocircà ô peccator, ô peccatrix, quam
Deus taceat & in præsenti vita non te puni
nihilosecius certò tibi persuade, quòd aliqu
do tempus adfuturum sit, quo ad perpetua
confusionem & ignominiam tuam vltra n
silebit.

Audi quid idem Propheta, alibi de hoc i
dicio loquens, dicat, & totus horrore conc
ce

Dominus, inquit, *sicut fortis egredietur, & si-*
cut vir præliator suscitabit zelum suum: vocifera-
bitur & clamabit, super inimicos suos confortabi-
tur, dissipabit & absorbebit simul. Pondera dili-
genter tecum, verba singula, & ingentem a-
nimo timorem concipe. Dicit. *Dominus sicut*
fortis. Non videbitur tum, qualis in primo ad- *Tremenda*
uentu visus est, instar agni, totus mansuetus, *iudicis speciẽ*
humilis, pacificus: sed instar leonis totus fe- *es siue de-*
rox & crudelis, Non in specie pueri imbellis *scriptio.*
pediculosi Herodis iram fugientis, neque in *Esai. 42.*
forma serui, hominibus obtemperãtis: sed in
specie viri ætatis perfectæ, atque in forma Do-
mini fortis terribilis atque metuendi. Sequitur.
Sicut vir præliator suscitabit zelum suum. Non e-
nim apparebit tum, vti olim, vt manibus ho-
minum suorum tradatur, flagelletur, spinis co-
ronetur, in crucem agatur, & necetur: sed ex-
hibebit se bellatorem truculentum, capitane-
um formidabilẽ, cõtra inimicos ingẽti furore
accensũ, aut militibus rebellibus grauiter in-
fensum. Ideoque furore & indignatione plenus,
armabit in eos vniuersum mundum, cum o-
mnibus creaturis, iuxta illud: *Accipiet armatu-* *Sap. 5.*
ram zelus illius & armabit creaturam ad vltionem
inimicorum: & pugnabit cum illo orbis terrarum
contra insensatos. Hoc vt innueret ait Propheta
Sicut vir præliator suscitabit zelum suum. Et mox
subiũgit. *Vociferabitur & clamabit super inimi-*
cos suos confortabitur. Tum enim non videbi-
tur amplius tacens, vti olim coram Iudicum,
Pilati, Caiphæ, & Herodis tribunalibus: licet
falsò accusaretur, & contra omne fas & ęquũ
morti adiudicaretur: neque dissimulabit vltra
per silentium scelera hominum: sed ira & fu-

rore

rore in peccatores plenus, ita fortiter ex-
mabit, vt metuenda vox ipsius sceleratoru
hominum aures obstupefactura, & vniu
mundum ingenti terrore completura sit.
cludit demum tremendis hisce verbis. D
pabit & absorbebit simul. Quia tum terra de
cēs atq; inferni fauces, tartareasq́; vorag
detegens, omnes peccatores simul iūctos
uos absorbebit, vt grauissima gehennæ
dia, in omnem sæculorum æternitatem
vlla sui consumptione experiantur. *Diss*
& absorbebit simul. Quid amplius prophe
cere potuit? Quapropter, fratres mei, et
Deus modò sileat, peccatores ad pœnitē
longanimiter expectando: veniet tame
quando tempus, quo *Non silebit*, quo fo
exclamabit, quo nimium hominibus te
incutiet, quo seuerissimè in peccatores
maduertet, suamq́; iustitiam in illos tem
tis instar effundet. Sed iam satis multa d
cundo, ad modum aduentus Christi spe
transeamus ad tertiū, quod his verbis in
mo sæpè citato describitur. *Ignis in consp*
ius exardescet.

V I I.

Cur ignis Christi aduentum præcessurus, illo quo mūdū iudicante arsurus sit.

QVid causæ esse putatis, auditores, q
ignis Christi ad iudicium aduentū p
cessurus, totoq́; illo tempore, quo mund
dicabit, in quatuor mundi partibus ar
sit? Quod præcessurus sit, docet regius P
pheta cum ait. *Ignis ante ipsum præcedet, &*
flammabit in circuitu inimicos eius. Quod id
ipso iudiciū exercente, arsurus sit, idem p
tes regius testatur in psalmo, qui huius no
sermonis dux & scopus est: cum ait. *Igni*

Psal. 96.

Psal. 49.

ctu eius exardescet. Attēdite nunc mysteriū. Pręcedet Christum iudicem ignis ad castigationem & vindictam scelerum: & vt prorsus tollat & eradicet, malum illud germen, quod hacten⁹ omninò extirpare nequiuerat. Peccatū enim noxijs herbis siue zizanijs simile est, quæ agricola ex agro prorsus eradicare nequit. Si ex vno loco ea euellat, renascuntur in alio: & si hinc illa extirpet, illinc denuò emergunt: si vnam agri partem repurget; in altera reuirescunt & pullulant. Quare animaduertens se illa simul extirpare non posse, ignē inijcit, totumq; agrum cōburit, vt sic vna omnium zizaniorum deflagratione, agrum mundet, ac zizania prorsus tollat. Idem quod agricolæ circa zizaniorum eradicationem, hoc Deo circa peccati extirpationem euenit. Constituerat enim illud Deus è mundo funditùs tollere atq; extirpare, ideoq; modo in hac, modò in alia orbis terræ parte in scelera hominum acriter animaduertebat. Sed puniente illo vnam partem in alia repullulabāt: eradicāte illo peccata ex vno populo radices agebant in alio: repurgante illo vnum hominem, in alio comparebant.

Ad scelerū omnium è mundo extirpationē.

Vt igitur agrū hui⁹ mūdi omninò à scelerū zizanijs repurget, quid facturus est? In tempore iudicij vniuerso terrarum orbi ignem inijciet, hacq; generali conflagratione, malū illud peccati germen ita tollet, vt amplius nō compareat. Ad peccati igitur perfectam extirpationem. *Ignis ante ipsum præcedet.* *Ignis in conspectu eius exardescet.*

Psal. 49.
Psal. 96.

Præterea præcedet Christum Iudicem ignis, totumq; mundū depopulabitur: quatuor

ex causis. Propter elementorum emunda-
nem: propter impiorum punitioné: prop
bonorum purgationem: propter omnium
rationabilium animantium, ac sceleratoru
hominum necem: cunctarumq; rerum co
Ad elementorum purgationem. bustibiliū deflagrationem: Hinc est, quod
gelicus Doctor affirmet, ignem hunc qui
dicium antecessurus est, omnium ignium
ficiū facturū esse: ignis videlicet, elemen
infernalis, purgatorij, & materialis. Elem
taris, quia purgabit elemēta. Tum enim
omnia iuxta illam Christi sententiam. *Ec*
ua facio omnia, renouanda sint, elemen
hunc ignem purgabuntur, atq; perfectio
Apoc. 21. suam consequentur. Terra fiet transpare
pellucida sicut aqua, aut veluti chrystall
qua, sicut aer: aer veluti ignis: ignis vt o
cœlestes. Nō auditis S. Petrum Apostolo
principem, hanc elementorum purgatio
in epistolis suis prædicentem. *Elementa, in*
2. Pet. 3. *calore soluentur*, id est, purgabuntur.

Ad sceleratorum hominum punitionem. Infernalis: quia improbos & sceleratos
mines comburet, quib⁹ experimentū qu
dam siue prælúdium dabit in hoc mundo
ternorum incendiorum, in quæ paulò
Psal. 96. præcipitandi erunt. Vnde ait scriptura.
mabit in circuitu inimicos eius. Qui autem
isti inimici, nisi peccatores?

Ad electorū mūdationē. Purgatorij, quia omnes peccatores de
leribus suis contritos, atque ex animo cō
sos, & in Dei gratiam receptos purgabit. N
omnes iusti tunc in corpore glorioso com
rituri sunt ante Iudicem, purgati & ab om
culpa & pœna liberi, vt cum illo triumph
tes cœlos inuehi possint, nec supererit
qu

aliquã temporis, vt in locis purgatorijs re-purgentur: quia mox resurgere & Iudicis cõ-spectui se sistere cogentur. Ne igitur sine purgatione maneant, præcedet ignis ille ardētissimus, quo in ictu oculi purgabuntur.

Ignis denique materialis, quia omnibus animantibus & peccatoribus; qui tum in mundo degent necem inferet, atq; omnia ędificia, & cuncta quæ mundus habet, comburet, quia extrà non erunt necessaria. Vnde S. Petrus. *Terra autem & omnia quæ in ipsa sunt opera, exurentur.* Necem igitur ignis iste, vt dixi, cunctis peccatoribus in mundo viuentibus, dabit, vt mortui & in cineres redacti, confestim resurgant, Iudicioq; cum cæteris præsentati, æternæ mortis sententiam accipiant. Vbi aduertite hoc de solis peccatoribus affirmare, quòd ab igne interimēdi sint, non de hominibus pijs & iustis: illi enim morientur quidem, vt in glorioso corpore statim valeant iterum resurgere, sed non enecti ab igne: quia Deus illa morte ipsos è medio tollet. Auscultate. Christus omnes illos ad se rapiet, atq; in nubibus simul in separatis turmis cōstitutos, exemplò naturali morte defungi permittet, statimq; in ictu oculi, denuo ad vitam non ampliùs miseram & mutabilem, sed beatā & gloriosam reuocabit, vt cum cæteris electis, qui priores suscitabuntur, ad cælestia regna triumphantes migrare valeant. Docet id S. Paulus Apostolus in epistola ad Thessalonicenses vbi ait. *Qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur; qui residui sumus; simul rapiemur in nubibus obuiam*

Ad omniū animantiū & peccatorū necem.

2. Pet. 3.

Quā morte in extremo iudicio iusti viuentes defungēdi sint

1. Thess. 4.

Christo in aera, & sic semper cum Domino eri
Quando dicit. *Qui in Christo sunt resurgen*
mi, de electis loquitur antea vita functis,
sunt in Christo, id est, cum Christo in c
regnant, hi namque primi surgent. Qua
post hæc ait: *Deinde nos qui viuimus & reli*
mur, & residui sumus, simul rapiemur in nubib
uiam Christo in aera. Loquitur de electis
adhuc in terra inter viuos degentibus, qu
pientur à Christo in aera, ibiq; è vestigio
dem animas emittent, sed subitò in glor
corpore, nunquam ampliùs morituri, re
gent, ideoq; subinfertur. *Et sic semper cum*
mino erimus.

O igitur ter quaterq; fœlices, probos,
stos, omnisq; peccati quod purgādum fu
pertes, qui tum in viuis erunt, quia subita
& dulci morte defungentur, moxq; iter
in ictu oculi, ad æternam, beatā & glorio
vitam resurgent. Contra verò infœlices,
leratos & improbos homines, qui tum in t
ris degent, quia incendia ignis in præsenti
ta, & in futura immortales gehennæ flamm
experientur: adeoq; duplici eorum corp
igne cruciabuntur: vno ante iudicium in m
do: altero post iudicium in inferno.

Porrò, auscultate fratres, quid S. Malach
propheta de tremēdo vniuersalis iudicij d
deq; igne hoc qui mortem peccatoribus
præsenti vita intentabit, atque in altera o
nes reprobos torquebit, vaticinetur. *Ecce, in*
Malac. 4. quit, *dies Domini veniet, succensa quasi camin*
& erunt homines facientes impietatem, stipula,
inflammabit eos. Notate verba singula: sunt
nim auditu horribilia. Dicit, *Ecce dies veni*

censa quasi caminus, partim vt indicet, totum mundum eo die similem futurum fornaci flagrantissimo igne succensæ: partim vt ignis huius vim atq; ardorem significet. Nam ignis fornacis, omni alio igne alibi succenso ardentior & efficacior est, quia cum sit inclusus, vires suas fortiùs exerit. Quare vt incendij huius maximum ardorem, cruciatumq́; quem peccatoribus in tremendo illo die adferet, demonstraret, ait: *Succensa quasi caminus*

Adiungit deinde, quòd omnes peccatores in hunc ignem veluti stipula, non vti lignum vel aliud quid mittendi sint: *Erunt omnes impietatem facientes stipula.* Et rectè peccatores stipulis comparantur. Quid enim aliud sunt stipulæ, quàm paleæ siccæ, inanes, sine fructu, atque ignem facillimè cõcipientes: idq; multo magis si in fornacem conijciantur? Ita & peccatores sicci & aridi sunt, quia humore diuinæ gratiæ destituũtur. Sunt præterea inanes & sine fructibus bonorum operum, atq; in ardentissimo illo igne, qui parabitur illis à diuina iustitia partim in præsenti vita, vt per illum si vixerint mortem obeãt: partim in altera ad sempiternam eorum punitionem, velocissimè inflammabuntur. Idcirco sequitur. *Et inflammabit eos*, illis nimirũ incendijs, quibus reprobi tum hîc, tum in futuro cruciabũtur. Habetis igitur idem illud quod Propheta Regius ait. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflãmabit in circuitu inimicos eius.* Et. *Ignis in conspectu eius exardescet.* Cæterũ audite & aliam de hoc igne rationem subtiliorem audituq́ue dignam. Psal. 69.

Ignis iste qui in conspectu Dei, vsque ad iu-

Ad improborũ hominum scelera manifestãda.

dicij finem, semper ardebit, præter quatu
illa officia paulò ante dicta. aliud etiam m
nus exequetur. Nã manifestabit & videri f
ciet in cõscientijs improborum, omnia ipsi
rum scelera: at non in consciẽtijs proboru
& iustorum. Quomodo id futurum, sit bre
& luculenta ostendam similitudine. Quéa

Simile.

modum si duo folia chartæ candidæ assum
tur, atq; in vno eorum succo limonum, in
tero verò aqua characteres aliquot describ
tur, neutrius scriptura conspici, vel legi po
sit: at si eadem folia igni admoueantur, vn
quidem in quo characteres aqua exarati f
runt, scriptura euanescet, chartaq; nullam
mnino maculam aut literulam præteritæ
ptionis ostendet, sed tota reddetur candi
alterius verò in quo characteres succo lim
num descripti fuerunt. scriptura non aliter
si atramento scripta fuisset, conspici & le
poterit. Ecce hîc videtis ignem ea, quæ la
bant & videri nequibant, manifesta & cõsp
cua reddere.

His folijs, auditores, iustorum & improb
rum conscientiæ similes sunt. Conscientię
storum aqua tribulationum & lachrymaru
è corde cõtrito & humiliato profusarum, in
scriptæ sunt. Peccatorum verò succo sensu
litatis & voluptatum huius mundi. Singu
peccata, singulæ sunt literæ, quas improbi ho
mines, in conscientiæ suæ charta exarant. C
terùm interea temporis, dũ homines iusti
peccatores in hoc mundo viuũt, hæc scriptu
ra conspici nequit. Multi enim existimant
iusti, qui sceleribus varijs implicati sunt: Mu
ti contra peccatores, qui occulta iustitia
fa

ſtitate claret. Iudicij verò die omnia manifeſtabuntur. Tunc enim folia conſcientiarum noſtrarum, igni qui in cōſpectu ſeueriſſimi Iudicis exardeſcet, admouebuntur: & in iuſtorum quidem conſcientijs, quæ aqua vti dictum eſt, inſcriptæ ſunt, nulla conſpicietur labes & macula, ſed prorſus candidæ & ſpecioſæ erunt. In eorum verò cōſcientijs, quæ ſucco limonum, id eſt, ſenſualitatis & voluptatū terrenarum inſcriptæ ſunt, tot ſcelera & flagitia immania exarata cernentur, vt omninò nigræ, deformes, & aſpectu fœdæ futuræ ſint. Nam omnia & ſingula peccata ita conſcientijs illorum inſcripta conſpicientur, vt quilibet ea diſcernere ac legere poſſit. Hanc igitur ob cauſam, *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Porrò certū eſſe, quod diximꝰ, ex eo aduertere poteſtis, quod Dauid non dicat, *Ardebit*, ſed *inflammabit*. Eſt namq; differētia inter ardere & inflammare: illud enim notat combuſtionem atq; conſūptionem: hoc verò magnam excalefactionē. Eo igitur verbo demonſtratur, peccatores inimicos Dei, poſt reſuſcitationem, non conſumendos, ſed inſtar chartæ limonum ſucco inſcriptæ, ad ignem excalefaciendos eſſe, vt omnia illorum ſcelera diſtinctè conſpiciantur & legantur. Vt ergo omnibus improborum ſcelera manifeſta ſint, ignis Iudicem præcedet. *Pſal. 96.*

Bone Deus, quomodo fieri poterit, vt in tremendo illo iudicij die, ignis ille flagitia ipſorum nō detegat, ſi eos tali timore & horrore cōcuſſurus eſt, vt vultu pallidi, totoq́ue corpore tremebundi, languidi, & tantùm

non exanimes futuri sint? ex quo clarissim
extrinsecus sumetur indicium, de sceleri
intus in eorum conscientia latentibus? C
tra verò probi & iusti, (ô fœlicitatem exim
quia nullis scelerum maculis, conscientia
as deformatas esse animaduertent, sine vll
gnis timore stabunt coram Iudice, vultu
lari, totaq; corporis constitutione alacri &
cunda: atque inde manifestum dabunt a
mentum internæ bonitatis, puritatisq;.
dicta sufficiant de tertio puncto eorum,
ad modum aduentus Christi ad iudiciu
tinent: veniamus ad quartum & vltimum
delicet: *Et in circuitu eius tempestas valida.*

VIII.

EOdem illo tempore, Christiani, quo i
omnia depascet, tempestates, ac proc
ingentes, magnum vniuerso mundo terr
adferent.

In primo Christi aduentu nullus temp
tis strepitus nec in terra, nec in aere, nec i
quis, nec in igne auditus fuit. Sed sola M
virgo sanctissima, suauia percepit Angeli G
brielis colloquia, & Angelus Mariæ. Qu
postea in lucem editus fuit Christus, aud
fuerunt in cælo & terra dulcissimæ Angelo
Luc. 2. rum Spirituum melodiæ cantãtium. *Glori
excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ v*
Psal. 49. *tatis.* In secũdo verò horrẽdi strepitus & ru
res exaudiẽtur. *Et in circuitu eius tẽpestas vali*

Exploratumne habetis, quid hoc loco p
tempestatem intelligatur? Nihil aliud qu
ruinæ sonitus, & procellæ ingentes in om
lo

o. Quia iudicium illud antecedet maxima tempestas in terra, propter ingẽtes terræmotus qui vniuersum mũdum cõcutient & trefacient: in aqua propter nimiam ventorum compugnãtium rabiem: in aere propter dua fulgura, & densissimas grandines: in quæ extra elemẽtũ suũ exũdabit, omniaq; umet: in cęlis quia cõtenebrescet Sol, obrabitur Luna, cadẽt stellæ, atq; cęlorũ virtutes relicto naturali motu suo cõmouebũt. Erit inquam tempestas in terra, quia propter ingentes terræ cõmotiones, omnes muri, ędificia corruent: montes subsident: valles exaltabũtur: terra dehiscet, ac infinitis rebitur voraginibus, ex quibus in ipsam vsq; erni abyssũ profundissimã despect⁹ patebit *erunt terræ motus magni per loca*. Ex hisce terrę cõmotionibus, non tantũ solo coæquabuntur, oẽs vrbes, castellæ, arces, & cuiusq; generis fabricæ: sed etiã nõ pauci homines eorum ruinis opprimentur & cõterentur. Audite magnum illum Firmianum, l. 3. diuin. institutionum id contestantem. *Tunc ve*, inquit, *abominabile tempus existet, quod nulli omnium sit vita iucunda: subruentur funditùs ciuitates, atq; interibunt homines, non solum igne, verum etiam terræmotibus assiduis.* Auscultate præterea Sophoniam Prophetam de hoc nouissimo iudicij die, quẽ in spiritu præuidit, præclarè differentem, cùm ait: *Dies illa, dies tribulationis & angustiæ super ciuitates munitas*. O verba dignissima, quę assiduò memoria circumferantur. Ponderemus diligenter singula. *Dies*, inquit, *tribulationis & angustiæ*. Nostri dies in præsenti vita, q̃uis tribulationi-

Tempestates in omnibus elementis in extremo iudicij futuræ sint.

In terra.

Luc. 21.

Lactantius.

Sophon. 1.

tribulationis & angustiæ nominetur.

lationibus & aduersitatibus pleni sint,att
rectè dies tribulationis & angustiæ appel
nequeũt,quia tales nõ sunt omnib⁹ genera
hominibus. Nã vno in afflictionibus exi
te,aliũ gaudio efferri:vno afflicto,alium l
animo esse,vno tribulato,alium consolati
culis terrenis affluere videmus , sed no
erit in extremo iudicij die:quia omnibus
neratim improbis hominibus,erit illa die
lamitatis & angustiæ,ne vn⁹ quidẽ interi
erit,qui animo sit hilari & iucundo : tũ
omne illorum gaudium,omnis volupta
mne solatium finẽ accipiet, & æternũ ip
væ initiũ capiet.Imò & homines probi a
sti,visa totius mundi ruina,& totius terra
orbis deflagratione, non valebunt hilari
animo:neque ita cõstantes, vt sine omni
tis turbatione atque cordis commotione
turi sint. Rectè igitur inquit Propheta So
Sophon.i. nias. *Dies tribulationis & angustiæ* . Et Ecc
in funebri officio,eidẽ se conformans m
canit. *Dies illa dies iræ, calamitatis & miseri*
magna & amara valdè. Adiungit deinde Pr
pheta. *Super ciuitates munitas.* vt his verbis
dicet,tunc ad effugiendam tremendi Iud
iram,nihil profuturam fugam in castellas
bes&arces robustissimas,eò quòd assidui
ræmotus, omnia mœnia, turres, munition
atq; omnia cuiuscunq; roboris ædificia
uersura&solo adæquatura sint. *Super ciuita*
munitas. In eo .n. die calamitosissimo illos
validissimas vrbes incolunt , Deus visitab
subruendo & euertendo simul ac semel ip
ciuitates, cũ earũ habitatoribus . O diẽ v
uerso mũdo tremendum ac formidabile

C

Cur putatis auditores, hūc diem à Propheta Malachia, speciatim appellari diem Domini? Ait enim. *Antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* Et ab Ecclesia in officio defūctorum. *Dies Domini magna & amara valdè.* Suscipite mysterium, & in animis vestris illud diligenter recondite.

Cur dies iudicij dies Domini appelletur.
Malach. 4.

Omnes dies vsque ad nouissimum iudicij diem, nostri sunt, nobis collati à Domino, vt in bonis ac præclaris actionibus insudemus, vt animæ salutem operemur, vt cæleste regnum lucrifaciamus. Vnde S. Paulus Apost. *Dum tempus habemus operemur bonum.* At in nouissimo iudicij die nemo neque iustus, neq; peccator, amplius aliquod bonum vel malum efficere poterit.

Galat. 6.

Tunc enim omnes hominum actiones cessabunt, atque coram summo Iudice pauidi ac trementes consistent, vt iuxta operum suorū bonorum vel malorum merita, præmiū siue pœnam recipiant. Et Deus in illa die solus operabitur: quia solus omnes dijudicabit, sententiam feret, remunerabitur, condēnabit: & peccatores quidem in æterna inferni tormēta præcipites aget: iustos verò secum ad sempiterna Paradisi gaudia ducet. Cū igitur Deus solus illo die operaturus sit, iusto iure Propheta & S. Ecclesia, diem hunc, diem Domini appellant. *Dies Domini magnus. Dies Domini magna & amara valdè.*

Malach. 4.

Cur igitur ô Christiane præclaras actiones non moliris in diebus tuis, vt Dominus in die suo causam non habeat sententiam contra te ferendi, teq; sempiternis gehennæ flammis adiudicandi? Desere malas actiones, bonas

amplectere, vt in illo die, inter illos qui ad
rennia cælestis regni gaudia transferen
inueniri merearis. Sed reuertor ad id v
digressus sum. Erit ergo in extremo iud
die tempestas ingens in terra, non modò
pter assiduas terræ commotiones, quæ om
subruent, atque funditus euertent, sed et
propterea quod tribulationibus & angu
vniuersa terra plena futura sit.

In mari. Erit tempestas in mari, propter vento
sibi aduersantium furorem: illi enim inte
se pugnãtes, modò aquas vsque ad cæli si
instar altissimorum mõtium attollent: m
easdem vsque ad imum fundi instar pro
dissimarum vallium, deprimment. Ex eo au
consequetur, vt aquæ tantum sonitum at
mugitum edituræ sint, vt vniuersum mu
horribili strepitu suo repleant, mortaliu
Luc. 21. tum in terris viuentium auribus surdita
inducant. Vnde S. Lucas. *Arescentibus hom*
bus præ confusione sonitus maris & fluctuum.

In aere. Erit tempestas in aere, quoniam tonitru
rum inusitati strepitus, fulgura coruscan
atq; grandines densissimæ multis homini
& animantibus necem adferent: ideoq; te
& mundus vniuersus ingenti horrore atq
Psal. 96. stupore complebitur. Vt nõ immeritò Re
us Propheta dixerit. *Illuxerũt coruscationes*
orbi terræ, vidit & commota est terra. O maxim
cunctorum viuentium terrorem.

In igne. Erit tempestas in igne, quoniã extra spha
ram suam in quatuor mundi partes, Orient
Occidẽtem, Aquilonem & Austrum sese di
fundet; omnesq; siluas, solitudines, campo
arbores, herbas, ædificia, & opera hominu

ar

te elaborata, ac denique omnia quę mūdus
ambitu suo complectitur, cum hominibus &
animantibus incendet, atq; comburet, iuxta
illud. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in*
circuitu inimicos eius.

O incendium dolorosum. O horrorem
tremendum, qui tum vniuersum terrarum
orbem occupabit.

Erit tempestas in cęlo: quia Sol & Luna ob- *In cælo.*
scurabuntur, stellę cadent, & virtutes cęlorū
motrices, insolito motu commouebuntur, a-
deoq; ingentem omnibus hominibus, terro-
rem, horrorem atque timorem incutiēt. Heu
tunc omnium genæ pallorem induēt, sanguis
congelabitur, corda palpitabunt, mēbra con-
tremiscent, mortuisq; quàm viuis similiores
erunt. O tempus horribile ac metuendū. *Sol* *Matt. 24.*
obscurabitur & Luna non dabit lumen suū, & stellæ
cadent de cælo, & virtutes cælorum mouebuntur.

Quod tunc refugium, quod effugiū inue- *Nullū prorsus effugiū peccatores inuenire poterūt in die Iudicij.*
niēt peccatores, quò se ab ira venturi Iudicis
abscondant, atque à ruinis supra se venienti-
bus tueantur? Si ad mōtes seu valles confugę-
rint, illos quidem in valles, has verò in mon-
tes commutatos esse conspicient. Si ad cāpe-
stria & vastas solitudines fugere tētauerint, in
voragines ad dehiscendum præparatas in-
current. Si arcibus & castellis validissimis se
includere cogitauerint, omnia euersa & solo
coæquata esse cernent. Si ad euitandam rui-
nam terræmotuū, naues conscendere & mari
se committere conati fuerint, vndas modò i-
ta attolli, vt cælum contingere, modò ita de-
primi, vt in abyssum vsq; descendere videan-
tur, conspicient, adeoq; à mari in terram rę-
ijcien-

ijcientur. Si machinis quibusdam in ae
suspendere moliti fuerint, fulgura coru
tia & grandines densissimæ interitum ipsi
ferent. O casum formidabilem, in quãcu
se partem conuerterint, siue in Orientem
in Occidentem, siue in Meridiem, siue in
ptentrioné, ignem omnia consumere a
pascere intuebũtur. Si oculos in altum s
lerint, stellas cadere, Lunã sanguine tinc
Solem obscuratum, vt omnes cælos pe
batos atque confusos esse conspicabun

O mærorem & angustiam, quæ tum
ratorum hominum corda occupabit, cu
omni ex parte tot ruinis & periculis circ
datos esse viderint, cùm tot insolitos in o
bus creaturis motus conspexerint, cùm d
que vniuersum mundum euerti & subru
causa aduerterint, vt verificetur illud Sap
tis. *Armabit creaturam ad vltionem inimic* *suorum: & pugnabit cum illo orbis terrarum* *tra insensatos*. Qui enim alij sunt isti inimic
insensati, quam peccatores? Nam inimici
sunt, quia multis modis eum grauiter off
dunt: insensati sunt, quia ita cæci, stolidi,
propriæ salutis immemores, vt relicto bo
quod malum est amplectantur. O pecca
audi quod dico, & toto corpore atque ani
contremisce.

Sap. 5.

Si Rex Catholicus ex regno Hispaniæ,
hoc regnum Neapolitanum, quod itidẽ ipsi
est, migraret, causã aliquã criminalẽ ibi di
dicaturus, ideoq; totam Hispaniam comm
ceret atque subuerteret, secum adducen
omnes illius regni magistratus, atque om
militiam. Huc autem appulsus (præter num
ros

Quantus futurus sit metus, qui corda peccatorum in die occupabit, eleganti ostendit similitudine.

ipsam illam multitudinem armatorum & of-
ficialium quam secũ adduxit,) omnia tribu-
nalia ciuitatis huius, regalis consilij, magnæ
Vicariæ, aulæ regiæ, & alia non pauca conuo-
caret, neq; illa modò, sed etiam ea quæ per to-
tum hoc regnum varijs in locis sparsim re-
periuntur; idq; non alium in finem, quàm vt
huius causæ reos iuxta singulorum meritum
iudicaret atque puniret: quis terror, quis me-
tus, quæ trepidatio, inter tot apparatus infœ-
licium reorum animos inuaderet? Id verbis
explicari nequit, ideoq; vobis expendendum
relinquo. Quam nõ calamitatem potiꝰ tole-
rarent? quas non afflictiones & molestias su-
stinerent? quid nõ pecuniarum expenderent,
vt effugere possint, iram exacerbati regis? Du-
bium non est, quin omnes potiùs calamitates
& miserias experiri, atque citius substantiæ
suæ iacturam pati malint.

O peccator in ijsdem terminis imò & mul-
tò peioribus res tuæ constitutæ sunt, & non
times? non trepidas? non totus horrore cõcu-
teris? non mauis omnem potiùs laborem ac
molestiam sustinere, facultates tuas in paupe-
res expendere, omniumq; rerum tuarum ia-
cturam pati, vt liberari queas? O te stultissi-
mum. Audi ô miser, ô infœlix.

Rex cælestis ad dijudicandam causam tuã,
tot signis commemoratis, totum regnũ suũ
cœleste conturbabit: atque inde abscedens,
secumq; vniuersam Angelorum & Sanctorũ
militiam assumens, in regnum huius mundi
veniet. Eò autem appulsus, ignẽ, aquam, ter-
ram, aerẽ, cæterasq; creaturas oẽs aduocabit
& armabit cõtra te. Tu es reus ille, & malefa-

ctor,

ctor,cuius causa omnes hi apparatus fient,
tamen tibi non prouides,nec vllam hac de
cogitationem suscipis?Si enim tecum cogi
res Christum aliquando contra te & omn
sceleratos homines venturum,quomodo fi
posset,vt vitam nō corrigere,moresq; in m
lius cōmutare satageres?O te vesanum & c
cordem?Terreni regis iudiciū times,& cœ
stis Regis illo multò terribilioris ac formi
bilioris,iudiciū non metuis? Ad illud de
nandum omnem molestiam,omnē afflic
nem,omnem calamitatem patereris,& ad
dicium tremendi Dei effugiendum, nihil
sustinere ? Vt è manibus ac potestate terr
tribunalis eximereris, omnes facultates t
libens tribueres, omnia quæ habes diuend
res,filios etiam tuos pignorū & obsidum l
eo donares:& vt à cęlesti tribunali eximar
nihil pecuniarum vis erogare?nullam paup
ribus & egenis eleemosynam impartiri?nul
lam necessitatem patientibus opem pręstar
Non aduertis multò seuerius ac formidabil
us esse cęlestis Regis iudicium,quàm terren
hic enim solum corpus cruciatibus afficit,e
qúe si multùm noceat, necem adfert:ille aut
corpus simul & animam morti non subiect
exquisitis supplicijs torquere potest. O te m
tis ac rationis prorsus inopem , qui ad decli
nandam mortis sententiam aduersum corp'
quod nihilosecius aliquando moriturū est
latam,tam multa sustinere ac facere mauis:&
pro effugienda perenni illa sententia in corp
& animam simul promulganda,nihil vis age
re, nihil pati , nullam iniuriam æquanimite
ferre , malas actiones non deserere , boni

actionibus non insudare, sed in quadam animi desidia & oscitantia, atque bonorum operũ fastidio vitam transigere. Certè quid dicam aut sentiam nescio, quãdo extremis hisce temporibus inter nos tantum timoris diuini contemptum, tam exiguam salutis curam, tãtam in bonis operibus efficiendis negligentiam, tãtam ad malum promptitudinem, tam modicam erga proximos charitatem, tantam denique malitiam & peruersitatem vigere conspicio: profectò nihil aliud causæ reor subesse, quàm quòd hoc iudicium sæpiùs nobis ob oculos non constituimus, sed illius memoriam post tergum reijcimus, nec vnquam futurũ, vt summi Iudicis tribunali sistamur, nobis persuademus: si enim illud cum animis nostris ita vt par est reuolueremus, vita corrigeretur, mores in melius cõmutarentur, atque omnes certatim in vnum hoc quam diligentissimè incumberẽt, quomodo se inuicem in bonis actionibus præcellere, Iudicique venturo gratum obsequium exhibere possent, vt sic coram tremenda illius Maiestate puri & ab omni culpa alieni comparerent.

Hæc nobiscum attenta mente frequenter tractemus, nam beati & fœlices erimus, si hęc cogitatio ad vitæ correctionem nos induxerit. Nunc quoniam lingua mea vos ad tremẽdi huius iudicij cõsiderationem induxit: silebo aliquãtisper, vt interim dum spiritũ haurio, mens vestra saluberrimæ huic cogitationi se totam immergat, donec ad alia maiora vobis exponenda redeam.

SECVN-

SECVNDA PARS.

I.

Terribilis Iudicij descriptio.

AQuila illa grandis, quæ tam sublimi[ter] volauit, vt cœlos supergressa, oculos[in] summum Solem Deum defixerit, illumq[ue] ineffabili mentis voluptate contemplata fu[e]rit: Ioannes inquam Euangelista, vidit, quem[ad]modum in Apocalypsi legimus, quæ p[ost] multa sæcula Dei filius cunctis homini[bus] facturus erat. Audite fratres, quid se vid[isse] testetur & extimescite.

Apoc.20. *Vidi*, inquit, *thronum magnum & candi[dum] & sedentem super eum, à cuius conspectu fugit [cæ]lum & terra: & vidi mortuos magnos & pus[illos] stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt, [&] alius liber apertus est, qui est vitæ, & iudicati [sunt] mortui, ex his quæ scripta erant in libris, secun[dum] opera eorum.* O tremendam visionem. Decl[a]remus eam breuiter.

Vidit thronum magnum & candidum. Thro[]nus iste ingens & candidus, erit candidissim[a] & lucidissima nubes, è gloriosissimo Chri[sti] corpore profecta, aut diuinitùs instar thro[ni] speciosissimi efformata. *Et sedentem super eum.* Qui supra illum consessurus est, erit Dei fil[i]us in humana quidem specie: sed glorio[sa], *Matth.24.* quemadmodũ ipsemet apud Marcũ & Ma[t]*Marc.13.* thæum Euangelistas testatur, cùm ait. *Videbi[tis] filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, [&] venientem in nubibus cæli.* Eius autem aspect[us] adeò metuendus & horribilis erit, vt cœlu[m] & terram ingenti terrore concussurus [sit]. *A cuius conspectu fugit cælum & terra.* Per cælu[m] & terram, probi & improbi, iusti & peccato[res]

res, intelligendi veniunt: quorum illi propter actiones cælestes, cælū: hi verò propter actiones & solicitudines terrenas, terra, rectè nuncupantur.

Si autem iusti ad cęlum pertinentes, Iudicis conspectum formidaturi sunt: qualis timor peccatores ad terram, imò ad infernum spectantes occupabit? Vnde S. Gregorius formidabilem hunc tanti Iudicis aspectum secum considerans ait: *Quid facient virgulta deserti, vbi concutietur virga Paradisi.* Porrò ante illius thronum oēs homines qui vnquam in mundo vixerunt, præsentandi sunt, ideoq́ue mox subditur. *Vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni.* Hic comparebunt Imperatores & subditi: Reges & populi: Principes & subiecti: Domini & serui: Pontifices & Episcopi: Cardinales & presbyteri: Religiosi & Laici, & vt paucis absoluam oēs homines, qui ab exordio mundi vsque ad nouissimum iudicij diem in terris vnquam extiterunt, cuiuscunq; fuerint conditionis & status. *Magni & pusilli.* Horū autem actiones & cogitationes clarissimè cernentur, conscientiarum singulorum libris inscriptæ: & secūdum illos vel ad sempiternam gloriam, vel ad nunquam finienda supplicia adiudicabuntur: ideoq; S. Ioannes his verbis visionem suam terminat. *Et libri aperti sunt, & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta sunt in libris secundum opera eorum.* Euidens igitur & clarum est, tum ex rationibꝰ allatis, tum ex diuinarum literarum testimonijs, tū ex hac visione, quam Deus S. Ioanni ostendit, Deum aliquando ad rationem nobiscum instituendam, venturum: quando autē id futu-

S. Gregor. Papa.

rum sit, nemo cognitum habere potest, ne-
per viam naturalem, neque per sacrarum li-
terarum testimonia. Vtrumq; rationibus ma-
festis euincam.

II.

Tēpus quādo futurum sit extremū iudiciū, per viam naturalem sciri nequit.
Esai. 30.

NOn per viam naturalem: quia in nouissi-
mo iudicij die motus cœlorum cōquie-
scent. Sol in oriente firmabitur, atque septi-
semetipso lucidior erit. Luna immobilis c-
sistet in occidente, eandemq́; obtinebit cla-
ritatem, quam modo Sol habet: iuxta illud E-
Erit lux Lunæ, sicut lux Solis: & lux solis erit septu-
pliciter, sicut lux septem dierum. Ita vt æquali-
vtrunque hæmisphærium illuminetur. Fi-
autem motus huius, quoniam circularis e-
sciri nequit: quia vti Philosophi aiunt, mo-
circulari, neque principium, neque fi-
assignari potest. Ergo per viam natural-
tempus vniuersalis iudicij cognosci non v-
let.

Neque per sacrarū literarum testimonia.
Ioan. 15.

Nec etiam ex sacris literis aliquid cert-
illo haberi potest. Quia nec Deus in veteri l-
ge: nec Christ⁹ in noua Apostolis aut alijs v-
quā reuelauit tempus certum, quo ad iudi-
dum venturus esset. Imò ille qui dixerat -
postolis: *Omnia quæcunque audiui à Patre m-*
nota feci vobis: cum ab illis de iudicij temp-
& rebus quibusdam ad illud pertinentib-
interrogaretur: *Domine quando hæc erunt?* R-
pondit: *De die autem illa & hora nemo scit, ne-*
angeli cælorum, neque filius hominis, nisi solus P-
ter. O verba diligenti consideratione & ex-
minatione dignissima. Quomodo enim fi-
potest, auditores, vt Christus hunc diem -
noret? Si autem nouerat, cur illum se sc-

Matt. 24.
Marc. 13.

pe-

pernegat? Audite quàm conuenienti ratione permotus id dixerit.

Nō adferam ad solutionē propositæ quæstionis, distinctionem illam, qua plurimi dubietatem hanc dissoluunt, nimirum, Christū quatenus Deus erat, iudicij diem perspectum habuisse: at quaten⁹ homo erat, ignorasse: nō enim probatur mihi distinctio hæc, neque omni ex parte rationi cōsentanea esse videtur. Absolutè namque sentio Christū & quatenus Deus, & quatenus homo erat, iudicij diē cognitum habuisse. Quòd quatenus Deus, illum sciuerit, perspicuum est, *Omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius*. Quod etiam quatenus homo illum non ignorauerit, ex doctrina sacrorum Theologorum euincā aliter esse non posse. Attendite.

Christus nō tātum quatenus Deus sed etiā quatenus homo scit diem iudicij.

Aiunt Theologi, animam Christi in instāti suæ cōceptionis propter vnionem verbi hypostaticam, æquè beatā extitisse, vt nunc est. Statim enim postquam se carni vniuit in vtero B. Mariæ virginis, respectu Deitatis cui se coniunxit, perfectam adepta est beatitudinē. Hac veritate supposita, sic argumētor. Ad beatū spectat integrè nosse vniuersalia & particularia omnia ad statum suum pertinentia; nā alioqui, si ei talis cognitio rerum ad se spectantium deesset, beatus non foret. Ad Christum autē, quatenus homo est, pertinet, iudicium vniuersale in fine mundi exercere, quēadmodum in Euangelio Ioannis de seipso testatur cum ait: *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, quia filius hominis est.* Et in Euangelio hodierno: *Tunc videbunt filium hominis venientem*: vbi nota quod dicat,

filium hominis non *filium Dei*. Ergo necesse est, illum iudicij diem & horam, etiam quatenus homo est, non ignorasse: alioqui anima ipsius non fuisset perfectè beata: deficiente illi aliqua cognitione ad se spectante. O præclaram rationem. Accipite & aliam doctiorem atque sublimiorem.

Alia ratione id declarat.

Asserunt Theologi, Christum, quatenus homo erat, propter vnionem Verbi, statim postquam conceptus fuisset, omnia sciuisse quæ Deus scit, *scientia visionis*: non *simplici intelligentia*. Declaro. *Scientia visionis* in Deo, est nosse omnia, quæ Deus vnquam fecit & facturus est. *Simplex intelligentia*, est nosse omnia quæ fecit, facturus est, & facere potest, etiam si nunquam opere perfecturus sit.

Hinc ita infero. Vero verius est quodam tempore exercendum esse in omnes homines iudicium. Notum est igitur Deo tempus hoc *scientia visionis*. Ergo & Christo quatenus homo est, incognitum esse nequit, cùm omnia nouerit, quæ Deus scit tali scientia: ex consequenti igitur diem etiam & horam illius iudicij perspectam habet.

Cur Christus cũ nosset iudicij diem, dicat se illum nescire.

Sed hic maior sese nobis offert difficultas. Si nouerat iudicij diem & horã, cur se nescire affirmat? Ergóne mendax est Christus? Nequaquam: hoc enim de illo sentire nefas esset, quia cùm sit ipsa veritas, semper verax est. Imò iustissimo iure se hunc diem nescire affirmauit, nec vllum in eo mendacium admisit. Attendite.

Ratio 1.

Aiunt sacri Doctores, speciatim S. Augustinus, Christum quidem sciuisse diẽ iudicij, sed non ita, vt reuelare posset. Quare cũ Christus

stus negat se illum scire, ita verba illius acci-
pienda sunt, quasi discipulis dixisset. *De die il-* *Marc. 13.*
la nec filius hominis scit, ad reuelandum. Ideoq́ue
nolite mihi amplius tali interrogatione mo-
lesti esse, discipuli mei: quamuis enim illius
iudicij tempus non ignorem: illud tamen nec
vobis, nec cuiquam alteri potero patefacere.
Egregia profectò est hæc S S. Patrum exposi-
tio: quam vt exactiùs vobis declarem, simili-
tudine illustrabo.

Fecit cum eis Christus, idem quod præcel- *Illustrat similitudine.*
lens aliquis gladiator facit cũ discipulo; hunc
de omnibus quidem ad artem gladiatoriam
spectantibus exactè instruit, sed vnicum sibi
ictum reseruat, idq; eum in finem, vt semper
discipulo superior sit, nec is in eam prorum-
pat audaciam, vt magistrum ad æquale ausit
prouocare certamen. Et nihilosecius è disci-
plina sua illum dimittens, totam artem se do-
cuisse, nec quicquam sibi reseruasse affirmat.
Cur autem hoc, si vnũ adhuc stratagema illi
incognitum nouit? nisi quia illud nemini vult
patefacere, sed sibi soli secretò retinere. Ita e-
tiam Christus magister præstantissimus, fecit
cum discipulis suis. Informauit illos de om-
nibus quæ sciuit, iuxta illud. *Omnia quæcunque* *Ioan. 15.*
audiui à Patre meo nota feci vobis: vnicum dun-
taxat ictum sibi reseruauit. Quisnam est ille?
Vniuersalis iudicij dies, quando reprobos o-
mnes crudeli illo iustitiæ ictu feriet: *Ite male-
dicti in ignẽ æternum*. Rectissimè igitur de hoc *Matt. 25.*
iudicio loquens ait: *Nec filius hominis scit*, sub-
audi, *Ad reuelandum*. Cùm tamen, eò quod ad
munus ipsius eiusdem iudicij executio perti-
neret, illud nosset, sed ita, vt secretum serua-

ret. O præclaram SS. Patrum rationem. Vultisne & aliam? Audite.

Ratio 2. Manifestum vobis est, Christum duob⁹ modis considerari posse. Vel vt saluatorē, vel vt Iudicē. In primo aduentu, venit tantummodo vt Seruator hominum peccatorum, nō vt Iudex In secundo autē veniet, vt Iudex cōtra homines improbos & sceleratos, non ampliùs vt Saluator. Iam verò ad illum quatenus Saluator erat, nō pertinebat iudicare, vel cōdemnare, sed saluare. Et quia discipuli interrogabāt eum de rebus ad iudicis officiū pertinentibus, eo tēpore cum munus exequeretur Saluatoris, iustissimo iure respōdit, se ista nescire. Quare quemadmodum S. Ioannes in
1.Ioan.5. Canonica sua, quando ait: *Qui ex Deo est, non peccat*, ita intelligendus est, *quatenus ex Deo est*. Sic etiam Christus dicens, *Nec filius hominis scit*: accipiendus est, quasi dicat, *quatenus Saluator*. Etiamsi *quatenus Iudex* non ignoraret: sed in illo munere tunc non erat: adeoq; nec
S.August. ea, quæ ad illud spectabant, ipsum manifestare decebat. Vnde S. Augustinus, in serm. de 2. feria Pentecost. *Quare*, inquit, *Saluator dictus est mundi, nisi vt saluet mundum, & non vt iudicet mundum*. O eximiam rationem, intellectum omnem prorsus quietantem. Accipite & aliam amoris plenissimam.

Ratio 3. Inter homines arctissimo amore se inuicē cōplectentes, notum est, sæpè modum quendam loquēdi vsurpari, quo ita vnum profertur, vt tamen aliud quid innuatur. Hic autem modus loquendi flagrantissimum amorem, atque molestiam, amoris causa, animo conceptam demonstrat.

Verbi

Verbi gratia . Si quis amicum habeat ſibi *Simile.*
valdè charum, noueritq́ illũ ex Principis alicuius gratia excidiſſe, & ab alio fortè interrogetur: noueritne quid infortunij amico euenerit? Is ad exprimendum ardentiſſimum, quo erga illũ feruet, amorẽ, dolorẽq́ ex hoc infortunio conceptum, negabit ſe ſcire: quaſi diceret in corde ſuo. Ego quidẽ quid dicere velis exploratum habeo: ſed quia iſtud ignorare mallẽ, & magnum id animo meo dolorẽ atque cruciatum adfert, neſcio . Videtis hic amori cauſam adſcribendam eſſe, quòd cùm amici infortunium nõ ignoret, attamẽ ſe neſcire inquiat: adeoq́ negatio hæc ſimul amorem quo illum complectitur: & dolorẽ quo ex illi⁹ infortunio afficitur, manifeſtat. Bone De⁹: Ecquis vnquã maior & ſyncerior hominis amicus in mundo extitit, quam Chriſtus Seruator, qui pro illo necem ſubire non recuſauit? Id cauſæ fuit, quòd cùm inter homines viueret, & à diſcipulis de calamitatibus & afflictionibus, quæ homini euenturæ erant in die iudicij, interrogaretur , vt amorem quo ergà illum, flagrabat, & dolorem quem ex illius infortunijs capiebat, manifeſtaret, reſpõderit , ſe neſcire . *De die illa, neque filius hominis ſcit, Sed ſolus Pater:* Quod perinde eſt ac ſi dixiſſet. Dies illa me quidem non latet, ſed idcirco eam neſcio, quia ignorare malim, propterea quod animũ meum hominis calamitates affligant. O effuſiſſimũ Chriſti erga nos amorẽ, quo impulſus fuit affirmare, incognitũ ſibi eſſe, quod erat notiſſimũ. Dicit deinde ſolũ Patrẽ illius diei habere notitiã, *ſed ſolus Pater:* quia is abſolutè Deus eſt , & vt Deus nulli *Marc.13.*

 poteſt

potest obnoxius esse passioni: ideoq; is solus dici potest hunc diem scire, sine vllo dolore aut animi molestia.

Orationem amoris diuini indicem, Audite obsecro, & aliam, cæteris multò doctiorem atque sublimiorem.

Ratio 4. & vltima. Inter diuinas Personas solus Pater habet bonitatem à se & per se, non aliunde communicatam: Filius autem & Spiritus sanctus habent illam aliunde: Filius enim habet illam à solo Patre: Spiritus sanctus autem à Patre & Filio. Quod de bonitate dico, idem de scientia, alijsq; diuinis attributis intelligẽdũ est. Solus enim Pater habet scientiam à se & per se, non aliunde profectam: At filius non habet illam à se, sed à Patre: & Spiritus S. ab vtroque. Quare quicquid de bonitate verificatur, idẽ & de scientia verificabitur. Christus autem, cùm ab adolescente illo, à quo interrogabatur, quid pro æternæ vitæ consecutione sibi faciundum esset, titulum bonitatis sibi dari *Marc. 19.* audiret, *Magister bone, quid faciendo vitam æternam possidebo?* Respondit: *Cur me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus Pater.*

O Saluator benignissime, nõ es tu infinita, & interminata bonitas? imo nõne ipsamet bonitas? Cur ergo te bonũ esse negas? Saluator, auditores, hic de bonitate illa, à seipsa ꝑfecta, nõ ab alio communicata intelligendus est, quæ solius est Patris, hac enim ratione solus Pater non alia persona diuina, bonus appellari potest. Ideoq; Christus sapienter admodũ res- *Marc. 10.* pondit, quando ait. *Cur me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus Pater,* intelligendo hoc de bonitate nõ cõmunicata: Nã si de bonitate communi-

municata accipiatur, Filius & Spiritusſanctus etiã ſunt ſummè boni. Hæc quæ de bonitate dicta ſunt, ſi rectè percepiſtis, poteritis eadem etiam de ſcientia rectè intelligere. Illa enim quatenus eſt à ſe & à nemine alio cõmunicata, ſoli Patri propriè ineſt, non Filio, neq; ſpiritui ſancto: qui eam ex Patris habent cõmunicatione. Ad hanc ſcientiã Chriſtus reſpexit, quando diſcipulis de die iudicij percunctantibus, reſpondit ſe neſcire, ſed ſoli Patri eum diem cognitum eſſe. Vt hic ſit ſenſus verborũ Chriſti. *De die illa & hora neq; filius hominis ſcit, ſed ſolus Pater*, ſubaudi, *à ſe*. Filius namque hũc diem non ignorabat, per ſciẽtiam à Patre ſibi communicatam. O ſublimem ſpeculationẽ: quam S. Chryſoſt. hunc locum in commentarijs ſuis in Euang. Matthæi explicans, adfert. Sed dimiſſis ſublimibus hiſce ſpeculationib⁹, veniamus ad ea, quæ nobis vtiliora & ſcitu magis ſunt neceſſaria. *Marc. 13.*

III.

QVanquam, auditores, certò ſciri nequeat, quando hæc iudicij dies adfutura: ex multis nihiloſecius ſignis & argumentis coniecturare licet, è vicino illum nobis imminere: ita vt mihi verè vos alloqui poſſe videar his Prophetæ verbis. *Iuxta eſt dies perditionis, & adeſſe feſtinant tẽpora.* Plurimæ enim ſunt coniecturæ, quæ mihi perſuadent, vt diem hunc non longè abeſſe credam. *Multis ex coniecturis iudiciũ probatur eſſe vicinum. Deut. 32.*

Chriſtus apud Euangeliſt. Matthæum, octo ſigna deſcribit, quæ in nouiſſimis diebus euẽtura, atq; diem vniuerſalis iudicij proximè antoceſſura eſſent: hæc autẽ vel omnia, vel certè pro multò maxima parte mihi cõpleta eſſe videntur. *Coniectura prima. Octo ſigna iudiciũ præceſſura.*

1. dentur. Primum est. *Venient in nomine meo, di-*
Matth.24. *centes; Ego sum Christus, & seducent multos.* Se-
2. cundum. *Surget gens contra gentem, & regnum*
3. *aduersus regnum, & erunt pestilentiæ & fames,*
4. *terræmotusq; magni per loca.* Tertium. *Tunc tra-*
dent vos in tribulationem & occident vos. Quar-
5. tum. *Et eritis odio omnibus gentibus, propter nomē*
meum. Quintum *Surgent multi pseudo prophetæ,*
6. *& pseudochristi, & seducent multos.* Sextum. *Et*
abundauit iniquitas & refrigescet charitas mul-
7. *torum.* Septimum. *Et prædicabitur Euangelium*
8. *hoc in vniuerso orbe.* Octauum, & vltimum. *Cū*
videritis abominationem desolationis stantem in
loco sancto. Quod signum statim sequetur finis
& consummatio mūdi: iuxta illud quod Sal-
uator statim infert: *Tunc erit consummatio.* Hāc
excipiet vniuersale omnium proborum atq;
improborum iudicium. Iuxta illud quod ali-
bi ait. *Cum videritis hæc omnia, scitote quia prope*
est in ianuis. Fratres mei, examinate atq; per-
pendite vobiscum, omnia præterita & præ-
sentia tēpora, & videbitis, octo hæc signa vel
omnia, vel ferè omnia adimpleta esse. Vt hu-
ius rei veritas pateat, singula suo ordine pau-
lisper expendamus.

Octo signa quæ Christ⁹ in nouissimis tēporibus euētura esse prædixit iam cōpleta esse probatur.

Matth.24.

Primum. Primum est. *Venient in nomine meo dicentes, Ego sum Christus, & seducent multos.* Quā multi in populo Iudaico visi fuerūt, qui se Messiam in lege promissum esse iactitarunt? Percurrite ipsorum libros Thalmudicos, qui in maxima apud illos existimatione habentur, & inuenietis non paucos, post Christum hunc sibi titulum assumpsisse, & pro Messia à Iudæis receptos fuisse. Barrabā quemdam triginta annis Messiæ loco habuerūt, quem postea falsitatis con-

conuictum de medio sustulerunt. Verũ cum popul⁹, apud Sacerdotes & legisperitos instaret, iamq; tempus, quo Messias venturus erat, adesse clamitaret, & nisi alius aliquis demonstraretur, Iesum Christum, quem illi per inuidiam cũ ingenti cõtumelia in crucẽ egerant, quiq; nunc à Christianis adoratur, pro vero Messia cuperet amplecti, illi, vt Christi gloriam, quoad fieri posset extinguerent, populiq; tumultum sedarent, alium Messię loco elegerunt, Arzobam nomine, in quem etiã, elapsis triginta annis, cùm fraus patuisset, gladio animaduerterunt. Quare illis circa hoc negotiũ iam penè desperantibus, quẽdam nomine Tabiculanum, qui non erat de stirpe gentis Hebreæ, protulerunt atq; in Messiam elegerunt, quamuis Deus toties promisisset, se ex illa gẽte & speciatim ex tribu Iuda Messiam eis daturum. Quid? Nõne in Thalmudicis libris legitur, ipsos ad eam vesaniam deuenisse, vt Magum quendam Messiam à Deo promissum se esse vẽditantem, receperint? Hic autẽ vt verbis suis fidem faceret, signi loco se illos per mare siccis plantis traducturum, pollicitus est: quare cùm aliquos eorũ arte magica, vti in eisdem libris memoriæ proditur, in nube quadam inclusos secum vellet traducere, nube supra mare soluta, vndis omnes hausti & submersi fuêre.

O ingentem stultitiam; cęci & confusi pro Messia deniq; suscipient Antichristum. Habetis igitur veritatẽ primi signi. Veniamus ad secundum, quod est. *Surget gens cõtra gentem, & regnum aduersus regnum. Et erunt pestilentiæ & fames, terræmotusq; per loca.* Hoc autem etiam

adim-

adimpletum esse clarissimum est.

De bellis historiæ refertæ sunt. Quã multa prælia in regionibus Orientalibus, Occidétalibus, Aquilonaribus & Australibus gesta sũt? Quam cruenta & sæua in vna hac Italia ab Aphricanis, à Gothis, ab Hunnis, à VVandalis, à Longobardis, à Francis, habita fuêre certamina, quæ illi vastitatem & exitium penè attulêre? Vix vllus in ea locus est, quem nõ flumina sanguinis ex hominum in prælijs occisorũ cadaueribus profusi, inundauerint.

Secundum.

Sed relinquamus bella sæculorum præteritorum. Quis numeret, quot hoc nostro sæculo, bella extiterint? Notũ est vobis magnũ & cruentum illud nauale certamen, in oriente gestũ, quádo mare adeò nauibus refertum erat, vt siluæ speciẽ præberet: in quo Christiani, sub fœlici ductu & auspicijs inuictissimi illius ducis, qui Austriacæ domus ornamẽtum extitit, tam fœlicem & concupitam obtinuerũt victoriam, vt Ionicum mare sanguine totum ruberet. Nec hodie quidẽ desunt nobis bella periculosissima in Perside, in Francia in Flandria, alijsq́; locis quamplurimis. Adimpletum est igitur Christi dictum. *Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum.*

Quid dicam de pestilétia? Quot mortiferæ pestes mundum depopulatæ sunt? relinquo præteritorũ temporũ mortalitates, de nostris duntaxat loquar: Eas autem si nosse auetis, testentur earum immanitatem, Venetiæ, Mediolanum, Panormum, & aliȩ ciuitates innumeræ. Fuerunt enim hæ pestilentiæ adeò contagiosæ, atq; tantam hominum multitudinem sustulerunt, vt in istis vrbibus, non tot homines

nes viui remanerent, quot mortuis sepeliendis & deplangendis sufficerent.

Iam verò ad famem quod attinet, eane nobis deficit? Nequaquam, nam & nostris tēporibus non vna generalis fames & annonæ caritas audita fuit. Veniunt nobis in memoriā annus sæculi huius quinquagesimus nonus, sexagesimus nonus, & alij complures. Quibus tanta extitit in toto terrarum orbe frumenti penuria, vt homines pro sui sustentatione, nō modò herbas satiuas & hortenses, sed etiam agrestes in cibum admitterent, adeoque vultus eorum tam erant macilenti, vt mortuis quàm viuis similiores essent. Vt interim sileā innumeros, qui fame enecti nulla alia vrgēte infirmitate, animas exhalarūt. Nouit hoc Roma, nouerunt & aliæ vrbes, quæ homines in publicis semitis, in villis, in fœnilibus, in stabulis alijsq; locis mortuos iacentes viderunt, eorumq; fœtorem naribus acceperunt.

Porrò, nūquid nulli nobis cogniti & auditi sunt terræmotus. Non loquar de illis, qui extra Italiā acciderunt, qui tam insoliti fuêre, vt etiam montes deuorauerint, ciuitatesque & prouincias integras absorbuerint: sed de illis qui in Italia ante paucos annos euenerunt. Nosti hanc calamitatem ô Neapolis, quæ aliquot abhinc annis tam crebros & ingentes terræ motus sensisti, vt terra sub pedibus tuis contremiscente, singulis penè horis atq; momētis extremam perniciem expectares metueresq; ne ipsa dehiscens, te absorberet, ac viuam sepeliret. Quare diebus aliquot continuis, nullam quietem capere potuisti, donec vapores isti subterranei, in aquis Puteolanis

exitum

exitum repererunt, atq; tam vastas terræque arenarum moles eiecerunt, vt ibidem altissimum illum montem versus Lacum Auerni, quem ad libitum intueri potes, constituerint.

Nosti & tu Ferraria, nam in te tot cõtinuis mensibus durauerunt hi terræmotus, vt cum vix reparabili detrimento tuo, multa superba & magnifica ædificia, templa, domos, pallatia subruerint, & solo æquauerint. Quo factũ est vt omnes ferè siluarum circumquaque adiacẽtium arbores, mœnia tua subierint, ad ædificia sustentanda, ne tota penitus corrueres. Adeò vt ciuitas nobilissima, non ampliùs ciuitas, sed sylua, esse videretur, propter multitudinem arborum in vicis ad domorum ruinam minitantium fulcimentum, erectarum. Ecce auditores, secundum etiam signum de bellis, pestilentijs, fame, ac terræmotibus, adimpletum esse cernitis.

Tertium. Tertium est, de persecutionibus & necibus hominum iustorum. *Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos*: Quod etiam iam cõsummatum & perfectum est. Quam multi enim Christiani, sæuorum Tyrannorũ & Christianæ fidei hostium persecutionibus exagitati, martyrio affecti, varijsq; mortis generibus è medio sublati fuêre, iam inde à temporibus Apostolorum, vsque ad Constantinum magnum, sub quo Principe pijssimo, Ecclesia pacem primum adepta est? Quot nostro hoc sæculo, nostraq; memoria, in Anglia, in Hibernia, in Germania, in Francia, in Mauritania, in Turcia, alijsq; partim barbarorum & infideliũ, partim hæreticorum locis, propter

Ca-

Catholicam fidem inauditos cruciatus, afflictiones, atque neces subierunt?

Iam verò quartum illud signum de odio in Christianos propter Christum, *Et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum*, an nondū vobis adimpletum esse videtur? Nōne Christiani omnes à Tyrannis, à Iudæis, à Turcis, à Mauris, vti clarum est, semper odio habiti fuêre? Nonne & hodie apud barbaras illas gentes vehementer exosi sumus, propterea quod Iesum Christum crucifixum Seruatorem nostrum adoramus? *Quartum.*

Quintum adhæc, quod de falsis prophetis est. *Surgent multi pseudoprophetæ & pseudochristi & seducent multos*, quis nō videt adimpletum fuisse in Cherinto, in Simone mago, in Ebione, Mahometo, & alijs hæresiarchis, qui coloratis sermonibus suis, atque nouitatibus contra veræ atque Euangelicæ doctrinæ antiquitatem, quam Sancta mater Ecclesia, sancti Apostoli, Doctores, Theologi, omnesque veri Christiani sequuntur, inuentis, non tantum homines simplices, sed etiam integras sæpè prouincias & maximos populos circumuenerunt, atque in errorem induxerunt, hodieque inducunt? *Quintum.*

De sexto, quod est, *Et abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum*, quid attinet multa dicere? cùm vnusquisque nouerit, & experiatur, quantoperè in mundo iniquitas dominetur, & Christiana charitas negligatur? Nullum enim est vitium adeò detestandum, quod hisce temporibus deploratissimis sine vlla verecundia non perpetretur. Omnis status, omnis ætas, omnis gradus, omnis sexus pessi- *Sextum.*

pessima quæq; operatur: & quod maioris pe-
uersitatis indicium est, in sceleribus suis gl-
Prou. 12. riatur. *Exultant in rebus pessimis.* Non est ampl-
ùs in mundo Dei timor & amor: non chari-
tas erga proximum. *Non est qui faciat bonum*
non est vsque ad vnum. Septem igitur signa per-
fecta sunt.

Psal. 13. Octauum. De octauo, nimirum. *Et prædicabitur Euan-*
gelium hoc in vniuerso orbe, nihil præterea di-
cam, quàm quòd Euangeliũ Christi ab Apo-
stolis, sacris Doctoribus & concionatoribus,
in toto orbe diuulgatum & annũciatum fue-
rit. Sola India noua hactenus incognita sup-
erat, in qua ab annis plus minus octogin-
etiam Christi fides tanto cum animarum fru-
ctu prædicari cæpta, atq; ab incolis tanto cum
feruore audita est, vt in ijs, qui ad Christum
indies aggregantur, quorum ingẽs numerus
est, Ecclesia primitiua reuixisse videatur: tam
boni, tam sancti, tam prompti atq; parati sunt
ad omne opus bonum: quod ad verecundiã
& confusionem nostram dico, qui multò illis
perfectiores atq; sanctiores esse deberemus,
cùm Christi vicarium, atq; innumeros diui-
ni verbi præcones, religiosos, templa, sacrifi-
cia nobiscum habeamus: & tamen immani-
bus flagitijs sæpenumerò implicati sumus.

Quandoquidem ergo nũc omnia hæc ad-
impleta esse cõspicimus, quid aliud restat, nisi
vt videatur abominatio in domo Dei, quod
Matt. 24. est signum octauum & vltimum? *Cum videritis*
abominationem desolationis stantem in loco sancto,
Post hanc autem Christus statim ad iudicium
in homines exercendum venturus est: *Tunc*
erit consummatio. Scitote quia propè est in ianuis.

Sed

Sed quid dico signum illud adhuc efficié- superesse? Imò videtur, iam perfectū esse. Quam multæ namq; abominationes cernuntur in domo Dei? Rebus sacris & diuino cultui dedicatis, homines ad incantationes & veneficia abutuntur. In Ecclesia sæcularia negotia non aliter atq; in publicis foris & plateis tractantur. Quam multa porro turpia & illicita, quæ propter honestatem silentio inuoluo, ibidem moliuntur & auspicantur, sceleratissimæ quædā mulieres, quas non attinet nominare, cùm earum nomina cunctis nota & manifesta sint? In clero autem quantæ vigēt ambitiones? Ibi Simon adhuc emit & Giezi vendit. O detestandas abominationes in loco sācto, quas summoperè execratur diuina maiestas. *Cum videritis abominationē desolationis, stātem in loco sancto: tunc erit consummatio.* Ad qd illud, *tunc*? Cur non potius dicimus: *Nunc erit consummatio.* Fieri enim vix potest, vt lōgè absit tempus illud, quo audietur tremenda ista vox: *Surgite mortui venite ad iudicium: Quia iuxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora. Scitóte quia propè est in ianuis.* Verùm transeamus ad alias coniecturas Iudicij vicinitatem demonstrantes.

Matt. 24.

Deut. 32.
Matt. 24.

IV.

CVR putatis Deum & Seruatorē nostrum Iesum Christum in diuinis literis Solem appellari? Vt apud Malachiam: *Timentibus nomen eius, ortus est Sol iustitiæ.* Accipite rationem. Quia quemadmodum Sol, quando naturali motu suo omnia duodecim signa zodiaci pertransijt, circulum suum absoluit, annumque terminat, & vniuerso mundo nouam atque

Malach. 4.
Secunda cōiectura de iudicij vicinitate.

amœniorem faciem inducit: nam mo[...] suum hyeme abscedente consummat, & v[...] auspicante inchoat: Ita etiam quando D[...] qui est Sol vniuersum mundum viuificans[...] sine sui mutatione, cũcta mutans, omnia [...] signa mysticè transierit, tum infœlix hoc [...]culum finem accipiet, & aliud multò fœlici[...] atque beatius inchoabitur: quia tum mund[...] iuxta illud Apocalyps. *Ecce noua facio omn[...]* innouabitur: & fœlicissimum atque iucundi[...]simum iustorum ver apparebit. Nam om[...] homines qui vnquam in mundo vixeru[...] tanquam semina & radices sub terra recon[...]tæ, ad nouam vitam resurgent, quamuis n[...] omnes ad nouam gloriam: quia iusti dũta[...] in gloriosis corporibus resuscitabuntur, & [...] gaudia cælestia transferentur: improbi v[...] sine vlla gloria, in deformibus corporibus [...] vitam reuocabuntur, vt post acceptam sen[...]tiam, cum vniuersis dæmonibus in imam i[...]ferni regionem, sempiternis tormentis exc[...]ciandi præcipitentur.

Christus cur dicatur Sol: & quomodo signa zodiaci mysticè decurrat.

Et quoniam auditores, Deus, sol nost[...] duodecim zodiaci signa simbolicè, non ali[...] atq; Sol iste visibilis decurrit; videamus n[...] quã multa hucusq; signa absoluerit, vt hin[...] pateat, quàm vicinus sit mundi finis, quam [...] propinquum sit vniuersale iudicium. Video [...] enim mihi rectè ac tutò affirmare posse ab il[...]lo iam omnia signa decursa esse, aut certè vi[...] vnum aut alterum quod decurrendum si[...] superesse. Attendite.

Sol iuxta Theologorum Græcorum, Lati[...]norum, & Hebræorum sententiam in Ariete [...] conditus fuit: est autem signum Arietis con[...]

stitutum

utum in dextero cæli latere, adeoꝗ ceteris
bilius & dignius, quandoquidem ab eo Sol
rum suum auspicatur, & in pisce quod vl-
num signum est, eūdem finit. Aries est ani-
l forte & mansuetum. In hoc igitur signo,
us, sol noster, fuit in mundi creatione: quia
o moliendo maximam fortitudinem &
mensam bonitatem declarauit, nam mera
nitate sua impulsus, ad ministerium homi-
mundum & omnia quæ in eo sunt, condi-
t. At non diutinam morā fecit in hoc signo.
lox enim in Taurum, animal ferox & im-
cabile transijt, quia post Adami transgres-
nem, & hominum scelera multiplicata, fu-
re ingenti contra illos exarsit; atque ex
ansueto ferox effectus est. Nam Adamum v-
a cum vxore è terrestri Paradiso expulit, v-
uersum mūdum generali aquarum eluuio-
e deleuit: Pētapolin ignominiosissimam, ali-
sque quamplurimas ciuitates igne cœlitus
isso cōsūpsit, atque innumeros homines ma-
s inundationibus prefocauit. Tā vehementi
itira, in humanū genus efferbuerat, vt iube-
t se appellari Deum vindictæ. Vnde illa in
acris literis verba toties ingeminari audim⁹.
eus exercituum. Deus vltionum Dominus.
Intrauit posthæc Geminos, Quādo miseri-
rum hominis commiseratione tactus, incar-
ari & diuinæ naturæ, in vna eademꝗ perso-
a humanam coniungere voluit. Fabulantur
uidā Poetæ de hisce geminis Castore & Pol-
uce, eos Iouis filios extitisse. Et Pollucem sin-
ularis beneficij loco à Patre accepisse, quòd,
i nollet, mori nequiret. Eū verò propter in-
gentem amorem, quo fratrem suum comple-

ctebatur;mori maluisse in terra,vt vterq; im-
mortalis semper viueret in cœlo. Vnde pro-
ter mutuum hunc amorem,dicuntur cōsti-
ti fuisse à Dijs in circulo zodiaci pro signis
lestibus. Hæc fabula pulchrè quadrat in sum-
mum Iouem nostrum, verū & immortale
Deum,cui sunt duo filij , vnus per natura
videlicet Christus:alter per creationē, vid
licet homo. vnus eorum,id est Christus, im
mortalis erat, at propter flagrantissimum
morem,quo hominem deperibat, in tēpo
mori voluit,vt hominem secum ad cælesti
regna eueheret,atq; immortalē constitue

Transijt deinde ad Cancrum,qui retro
graditur. Rectè namq; incedere est, à virt
ad honores,à laboribus ad requiem,à mer
ad præmia progredi. At Christus Dominus h
tempore,retrogradu cursu ferri cœpit. N
à fatigationibus ad iniurias, ab iniurijs ad i
famiam,ab infamia ad cruciatus,à cruciati
ad patibulum,à patibulo ad mortem,à mo
ad infernum, quasi obliquo gressu perre
O cursum retrogradū.Præterea quando S
hoc signum ingreditur,maximi vigent cal
res. Quando autem feruentior fuit diuini
moris calor,quam Christo in Cruce pro in
micis suis mortem oppetente?

Ex cancro ad Leonem cucurrit, quando
mortuis resurrexit. Nam vt Isidorus lib.12.E
timolog.cap.2.ait, Leo nascitur mortuus,
Isidorus. post tres dies,patris rugitu viuificatur. Ita
Gen. 49. Christus tribus diebus iacuit in sepulchr
Psal. 3. mortuus,tertia verò die, paterna virtute resu
rexit. Vnde illud. *Accubuisti vt Leo, & quasi le*
na,quis suscitabit eum? Et Christus de seipso. Eg

dor

miui & *soporatus sum, & exurrexi, quia Dom-*
suscepit me. O quàm terribilis Leo fuit
ristus Seruator, tertia die tanta cum virtu-
resurgens, atque de cunctis hostibus suis, Apoc. 5.
erno, morte, & peccato triumphans. *Vicit*
de tribu Iuda.

Ingressus est deinde signum Virginis, à re-
rectione, vsque ad Spiritus sancti missio-
m: in illis enim paucis diebus, sola sanctissi
virgo Maria huius fulgentissimi Solis fuit
spitium: quia in ipsa mansit vera & viua fi-
s in filium, & sola eo tempore erat consola-
o & refugium Apostolorum. Audite quid
hac Virgine prodiderit Ouidius, Poeta E-
nicus, qui octauo decimo post Christũ in-
rnatum anno, è viuis excessit; siue quod à
ybillis id didicisset, siue alia ratiõe, à se enim
ntam scientiam tantumq; lumen habere nõ
otuit. Dicit ergo. Ouidius.

O virgo fœlix, O virgo sanctificata.
Per stellas, vt spica nites, quis det mihi tantum
Viuere, quod possim laudum fore præco tuarum.

Porro Libram petijt, quando cælos ascen-
lit, & coram Patre omnia hominũ peccata,
in vna libræ lance, in altera vero cruciatuum,
ormẽtorum, ac mortis suæ merita deponẽs,
atri ostendit, se plus in pœnis toleratis per-
oluisse, quam Adamus cæteriq; homines per
ommissa scelera debebãt: adeoq; manifestè
eclarauit meritum suum, si cum nostris sce-
eribus cõparetur, infinitis partibus superare.
Hanc librationem, iãdudum ardentibus vo- Iob 6.
tis exoptauerat natura humana, cũ per S. Iob
ait. *Vtinam appenderentur peccata mea in statera:*
& calamitas quam patior, illa videlicet quam

 passus

passus sum in carne mea, quæ à Christo,
bo æterno assumpta fuit, in qua acerbissi
passionem & necem subijt: *quasi arena*
hæc grauior appareret: nam arenæ maris in
tæ sunt: mea autem scelera, quantæcunq;
numerari possunt.

Neque diu post suam in cœlos ascẽsion
in Libra perstitit, sed ad Scorpionem, quod
nimal venenatum est, transiuit: quando ni
rum vniuersam Ecclesiam, viuentibus ad
Apostolis, ab hæreticis veneno malesani
ctrinæ infectam vidit: videlicet à Menan
Ebione, Cherinto, Nicolao, Simone m
qui Apostolorum ætate vixerunt. Qui au
his nocentiores vnquam visi fuêre scor
Ezec. 2. nes? Vnde Dominus ad Ezech. *Subuersor*
tecum & cum scorpionibus habitas.

Ingressus deinde est signum Sagittarij, q
do Imperatores & Reges Christianam fid
persequi cœperunt. Tum enim nihil nisi ia
la & sagittas in toto orbe, aer pluebat. Tunc
omnibus mundi partibus, nihil conspicie
tur, præter flagella, exilia, mortes, ferrum,
nes, catenas, cõpedes, equuleos, patibula, cr
ces Christianis præparatas. Quid? nõne & h
die videre licet inter Christianos, sagittas
tium, cauillationum, supplicationum, acc
sationum, infamiarum, persecutionum, ini
riarum, & falsorum testimoniorum, per c
stella, ciuitates, palatia, iudicumq; tribuna
Prou. 25. volitantes? Nam teste Salomone, *Gladius*
sagitta acuta, qui loquitur contra proximum su
falsum testimonium. Imò, hoc pacto à multis
pse Deus sagittis configitur: quia patrimon
um illius, & opes carissimæ sponsæ ipsius, sa

...Ecclesiæ petuntur: his tã sæculares quàm
...rici tendunt insidias: has per viam rectam
...l obliquam, iustam vel iniustam, fas siue ne-
...s auertere, sibiq; conquirere satagunt. Vt nõ
congruè de ipso illud sacræ scripturæ intel- 1. Reg 31.
...gi possit. *Consecuti sunt eum viri sagittarij, &*
...ulneratus est vehementer à viris sagittariis.

Hucusque vidistis Deum, solem nostrum
...ouem signa decurrendo absoluisse, atq; de-
...imum, id est, Capricornũ, quod animal fœ-
...idum libidini supra modum deditum est, in-
...rare cœpisse. Per hunc autem figuratur non
modò ætas nostra, sed etiã Antichristi de quo Dan. 11.
scriptum est. *Erit in concupiscentiis fœminarum,*
nec quenquam deorum curabit. O tempus pessi-
mum. Quotusquisque enim est hodie inter
Christianos, qui se ab effreni & turpi hac pas-
sione superari non sinat?

O ætatem nostram laxam, carnalem, & fœ-
tidam. Quid autem aliud sunt Christiani libi-
dinibus immersi, sceleratáq; vita professio-
nem suam deturpantes, quàm nuncij & præ-
cursores Antichristi, ipsum breui adfuturum
& in mundo imperaturum indicantes? *Anti-* 1. Ioan. 2.
christi multi sunt.

Antichristo præsente mox delabetur, Deus,
sol noster in Aquarium, ad gratiarum suarũ
flumina in fideles deriuanda: tum enim adeò
sæua & immanis ingruet persecutio, vt nun- Matth. 24.
quam ei similis fuerit, neque futura erit. *Erit*
tribulatio magna, qualis non fuit. Et nisi ille, A-
quarium ingrediens deformis & execrãdæ
bestiæ dies abbreuiaret, vix quisquam ex ho-
minibus salutem consequeretur. *Nisi abbre-*
uiati essent dies eius, non fieret salua omnis caro.

Intrabit deniq; in signum Piscis. Quia h[oc] signo exoriente, incipit lætũ & fœlix temp[us] veris. Tũ aperitur terra, & radicũ ac semi[num] quæ intus latebant germina, foras prodeũt[:] ta etiam tunc homines, sub terra in sepulch[ris] suis recõditi, ad nouam vitam resurgent. Be-nè autē in signo piscis mansurus dicitur: qu[i] ad iudicium in homines exercendum, veni[et] cum Apostolis hominum piscatoribus. *Faci[am]*

Matt. 4. *vos fieri piscatores hominum.* Et posteaquam omnes homines resurrectionis reti extraxerit, bonos seliget, tanquã cælo dignos: improbos verò in imam inferni regionem abijciet, velut etiã ipsius terræ habitatione indignos.

Matt. 13. *Eliget bonos in vasa sua, malos autem foras mittet.* Si ergo Deus, sol noster, nouem signa pertrãsijt & decimum iam ingressus est: & paulò post vndecimũ, ac deinde duodecimum intraturus est, quis ambigat, vicinum esse iudicij diem? Itaq; fieri non potest, vt longè absit tēpus illud, quo audituri sumus vocem illam

Deut. 32. Matth. 24. terribilem. *Surgite mortui, venite ad iudicium,* quia, *Iuxta est dies perditionis & adesse festinant tempora. Scitote, quia propè est in ianuis.*

V.

Tertia coniectura.

Porrò magnum mihi præbet argumētum de huius iudicij vicinitate, Christus Seruator apud Lucam. Qui locus attēta consideratione dignus est. Indicat enim discipulis suis & ex cõsequenti omnibus Christianis, ex eorum disciplina & institutione profectis, tempus quo futurum sit extremum & generale mundi iudicium: Non, inquam, tempus fixũ atq; determinatum, certorum aliquot millium annorum, sed tale, vt ex eius verbis mani-

festè

festè satis intelligi possit, iudicium hoc è vici- *Luc. 12.*
no imminere. Ait ergo. *Qua hora non putatis, fi-*
lius hominis veniet. Expendite vobiscum dili-
genter verba hęc, & clarissimam in illis latere
videbitis coniecturam, ex qua Iudicij huius
vicinitas sumi possit.

Dicite mihi, amabò vos, auditores, fuitnę
vnquam temp⁹ aliquod, in quo minorem dę
hoc iudicio cogitationē homines susceperūt,
quàm fiat hoc tempore? Heu nemo illud secū
voluit, nemo illius vel ad momentum recor-
datur, sed omnes memoriam illius post tergū
reijciunt, quasi nunquam id futurum crede-
rent: cū tamen multò certius sit, illud aliquā-
do exercendum, quàm vos hoc ipso momēto
viuere. Negari quidem non potest, nostra hac
in re, oscitātia, quia nimis manifesta est: nihi-
lominus vt cunctis cōspicua fiat, eleganti eam
similitudine demonstrabo, & manibus penè
palpandam vobis præbebo. Attendite.

Si causa quæpiam criminalis periculi alicu- *Simile.*
ius, contra nos agitaretur: & certò sciremus
Iudicem aliquem venturum, qui magna cum
accuratione, diligentia, & seueritate eandem
causam perpensurus atq; examinaturus esset,
nōne magno in metu atque formidine versa-
remur? nonne assiduè de iudicio quod cōtra
nos instituendum esset, cogitaremus? nonnę
dies noctesq; methodū ac rationē qua salua-
ri & eximi ab hoc iudicio possemus, nobiscū
tractaremus? nonne præclaros & excellentes
aduocatos qui causam nostram tuerentur, se-
ligeremus? nōne facultates & opes nostras, in
eos qui nobis auxilio esse quirent, libentes at-
que volentes expenderemus? nonnę omnem

viam ac rationẽ iustum & formidabilẽ hunc Iudicem deliniendi, atque nobis conciliandi perquireremus? nõne summo studio & industria quid ei carũ & gratum esse posset, inuestigaremus, vt hoc offerẽdo, eum nobis amicum & beneuolum faceremus? Dubium non est, quin omnia hæc summa cum diligentia & sollicitudine perlecturi essemus. Quis autem tam stultus & excors esset, vt eum ausit offendere atque ad iram prouocare? Nemo planè.

O nos vesanos, excordes, stolidos, atq; salutis immemores. Ventilatur contra nos causa quędã maximè criminalis, imò dupliciter capitalis, de corpore simul & anima. Venturus autem est certò Iudex iustissimus ac seuerissimus, qui eam magna cum accuratione & diligentia, discutiet atq; examinabit: Deus ipse. Sententia quam laturus est, nõ erit dubia, sed si rei fuerimus inuenti, contra nos sine vlla ambiguitate atque cunctatione feretur: & tamen nihil eorum agim⁹: quæ propter causam criminalẽ in mũdi iudicijs faceremus. Quotusquisq; n. nostrum est, qui seuerũ hoc iudiciũ metuat? qui illo audito contremiscat? qui de illo sæpè loquatur? qui dies noctesq; illius recordetur? qui omnem viam & rationem illud euadendi perquirat? qui sanctum aliquẽ in cęlo, aut iustum in terra, vt Aduocati munere pro se fungatur, causãq; suam apud seuerũ hunc Iudicem agere velit, interpellet? qui facultates & opes suas in pauperum vsus, vt per illos iuuari mereatur, eroget? Quotusquisque est, qui cum aliqua industria peruestiget, quid ei potissimũ offerat, quo iustum furorẽ illi⁹ delinirę ac mitigare possit? Quotusquisque

que est, qui munera, maiestati eius summoperè placentia, qualia sunt sanctarum virtutũ, & bonorum operum exercitia, præsentare contendat? Nemo certè aut rarus quisque. Dicam maius aliquid de nostra socordia, stoliditate ac mentis vesania. Quotusquisque nostrûm est, qui eum, innumeris sceleribus non offendat, & iustam illius iram in se prouocet? Nam perspicuum est, quàm paruam habeamus rationẽ mandatorum illius; quam vili in pretio atque æstimatione apud nos sint sanctissimæ leges ipsius: quã facili negotio ad quæuis scelerum genera perpetranda induci valeamus. Hæc autẽ omnia nonne sunt clara & expressa indicia, quòd de iudicio in nos exercẽdo vix vnquam cogitemus? Mox igitur aderit tremenda illa iudicij dies: quoniam Christus dixit. *Qua hora non putatis, filius hominis veniet*. At nos hoc tempore minimùm de Christi aduẽtu cogitamus: Ergo iuxta Christi sententiam longè non potest abesse hora illa metuenda, qua audituri sumus terribilem vocem. *Surgite mortui, venite ad iudicium*. Quia, *Iuxta est dies perditionis & adesse festinant tempora. Iam propè est in ianuis*. Deut. 32. Matt. 24.

V I.

PRæterea S. Paulus, imò Spirit⁹ sanctus per S. Paulum, in epistola ad Timotheum tria signa describit, extremum & generale mũdi iudiciũ antecessura, quę mihi omnia videntur esse adimpleta. Attendite. Ait enim. *Spiritus autem manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, & in hypocrisi, loquentium mendacium, & cauteriatam haben-* Quarta coniectura. 1. Tim. 4.

habentium suam conscientiam. Primò dicit, futuros quosdam qui relicta vera Catholica, & orthodoxa fide, suo iudicio & sẽsui inhæsuri, doctrinamq́; erroribus plenam ac planè diabolicam disseminaturi, & magnam sanctitatem sub hypocrisis pallio victuri sint: *Discedẽt quidam à fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum & in hypocrisi.* Secundò, mẽdacium in mundo regnaturum esse. *Loquentium mendacium.* Tertiò homines non syncœram & integram habituros esse conscientiã, *Et cauteriatam habentium conscientiam.* Quis autem non videt, ea omnia, nostra hac ætate adimpleta & perfecta esse.

Ad primum namque quod attinet, cui non clarum ac perspicuum est, illud in hæreticis à vera & Catholica fide dilapsis, cõsummatum esse? qui ducti à peruersa mente & malignis spiritibus, in varios distracti errores, doctrinã suam diabolicam, omnibus modis quibus possunt, disseminant, & instar hypocritarum se sanctos esse fingunt: dum primùm quidem exteriùs se Christi imitatores & Euangelij eius defensores mẽtiuntur, deinde verò & interiùs & exteriùs ei omnino cõtrarij sunt, vti ex eorum factis & quotidiana experientia liquet: atq; hoc simulationis artificio plurimos circũueniũt. Deꝰ bone: quã multi horũ nostra hac ætate extiterunt in Germania? in Anglia? in Scotia? in Hibernia? in Hollãdia, Zelandia, Frãçia? Regnis primùm quidem catholicis, & feruẽtissimis atque acerrimis diuini honoris Ecclesiæq; Romanæ defensoribus, nunc autẽ capitalibus eius hostibus: quę impiè ac temerariè pietatem, probitatem, ac Religionẽ tot ante-

antecessorum, cõsanguineorum, & nõ cõsanguineorum, propriarum & alienarum familiarum, condemnãt, quasi oẽs illi in vera fide errauerint, nulliq́; alij præter ipsos, salutẽ consecuturi sint? O stultos & amentes, qui nõ audiunt Paulum dicentem. *Dicentes se esse sapientes stulti facti sunt.*

En videtis primum eorum quæ notat Apostolus, adimpletum esse. *Discedẽt quidam à fide attendentes spiritibus & doctrinis dæmoniorum, & in hypocrisi.* Iam verò secundum etiam adimpletum esse, quis dubitet? De nostris enim tẽporibus rectè verificatur illud Oseæ. *Non est veritas in terra.* Viri & mulieres, senes & iuuenes mendacium meditantur. Inter nobiles, & ignobiles, ciues & agricolas, patritios ac plebeios, emptores ac venditores nihil cernere licet præter innumeras deceptiones, fictiones, circumuentiones, mendacia, & falsa testimonia; & quidẽ sæpenumerò propter vnius nummuli lucrum. Quod præcipuè accidit Iudicum culpa, qui tales excessus, seuerè non puniũt, quemadmodum munus illorum requirit, & leges volunt. Secundum igitur etiã nostro tempore abunde impletum esse aduertitis. *Loquentium mendacium.* *Osea. 4*

De tertio quid dicam? Bone Deus: quo in statu sunt nostrę cõscientię? Quis credat quã illæ contaminatæ, quamq́; cauterijs vulneribusq́; deturpatæ sint: quippe quæ adeò noxium fœtorem exhalant, vt ad Dei nares vsque pertingat? O Christiani, scrutemur aliquantulum pectora nostra & animaduertemus, nullum esse facinus tam immane, quod in nobis non dominetur. O si vniuscuiusque consciẽ-

tia

tia peruideri posset, quot in singulis cauteria; quot vulnera, quot labes atque maculæ conspicerentur. In diuitum conscientijs (præter alia scelera multa) cerneremus superbiam: in iuuenum conscientijs iram: in senum conscientijs auaritiam; in militum conscientijs gulã, blasphemiã; & in omniũ generatim cõscientijs, luxuriã. O conscientias, deformes, inquinatas, cauteriatas. Liquet ergo, tertium etiam signum, eorum quæ S. Paulus Apostolus recenset perfectè atque integrè impletũ esse: *Cauteriatam habentium conscientiam*: Quid ergo nunc aliud restat, nisi vt breui audiatur vox illa formidabilis, *Surgite mortui, venite ad iudicium*? Quia, *iuxta est dies perditionis & adesse festinant tempora*. Addam superioribus coniecturis & aliam, cum qua secundæ huic parti finem imponam.

Deut. 32.

V I I.

Quinta cõiectura. Heb. 12.

O Christiani, quando quis senio confectus est, atq; ad decrepitam peruenit ætatem, nonne morti propinquus est? iuxta illud S. Pauli Apostoli. *Quod antiquatur & senescit propè interitum est*. Quando idem præter senium infirmitate aliqua languet, nonne morti vicinior est? quando verò gustũ simul amisit, nõne aliquanto proximior est? Quando præter hæc, linteamina & lectisternia ad se trahit, & quicquid semel apprehenderit, fortiter retinet, nõne morti adhuc vicinius propinquat? Quando deniq; membra illius refriguerunt, & sensus omnes amisit, nonne iam morti proximus, & tantùm nõ mortuus est? Nihil enim aliud restat, nisi vt oculos claudat & extremũ halitum foras emittat.

Ecce mundus hic homini ſeni atque decrepito ſimilis eſt, nec vlla prædictarum conditionum ipſi deficit, quis ergo ambigat eam interitui propinquare? Pedes eius, ſunt aqua, & terra: crura, montes & colles: brachia, elemẽtum aeris & ignis: caput, cælum: duo oculi, Sol & Luna: aures, Mars & Mercurius: nares Saturnus & Iupiter: os, Venus: capilli, quæ capitis ornamentum ſunt, Stellæ firmamenti: ſenſus communis, primum mobile: intellectus, cęlum chryſtallinum: memoria cœlum Empireũ. Ecce quã ſimilis eſt mundꝰ homini in omnibꝰ ſuis partibus. Idcirco nõ inconueniẽter antiqui philoſophi & ſapiẽtes hominẽ microcoſmum, id eſt, minorẽ mundum appellarunt. Quid? Non aduertitis quã bellè idem ſingulis hominis ætatibus reſpondeat?

Nam quemadmodum ſeptẽ ſunt hominis ætates ita & mundi. Infãtia mundi fuit ab Adamo vſque ad Noemum: Pueritia à Noemo vſq; ad Abrahamum: Adoleſcentia ab Abrahamo vſq; ad Moyſen: Iuuentus à Moyſe vſq; ad Dauidẽ: Virilitas à Dauide vſque ad Chriſtum: Senectus plena ſapientiæ atque prudentiæ à Chriſto vſque ad ſacros Eccleſię Doctores: Decrepitas à ſacris Doctoribus vſque ad finem ſæculorum. *Septem mundi ætates.*

O Chriſtiani quẽadmodum homo ſeneſcit, ita ſeneſcit & mundus: quẽadmodum homo decrepitus efficitur, & infirmatur, ita & mundus ſuam habet ætatem decrepitam, ſuis etiã premitur infirmitatibus: quẽadmodum denique moritur homo, ita & mundꝰ aliquãdo ſua morte defungetur. Non auditis ſacrã ſcripturam id conteſtãtem? *Opera*, inquit, *ma-* *Pſal. 104.*

nuum tuarum sunt cœli: ipsi peribunt; tu autē permanebis & oēs sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos & mutabuntur. Necessarium namq; est, fideles vt moriatur mūdus, si renouandus est, iuxta illud: *Et erit cælū nouum, & terra noua.* Verum enimuero videamus quam sit morti & termino suo vicinus.

Esai. 65.

Affirmo igitur, eum senio grauatum & iā decrepitum esse. quia sex mille & amplius annis qui ab illius creatione, secundum Græcorum, Hebræorum, & Latinorum sapientum supputationem effluxerunt, stetit, & quasi vitam suam vixit. Cæterùm quādo quis decrepit⁹ est, curuo incedit corpore, caput depressum habet in terram, humoribus abūdat, frigidis defluxionibus & catharris plenus est, friget vehemēter, & ex vestibus exiguum accipit calorem, iuxta illud quod de Dauide senescente scriptum est: *cum operiretur vestibus, non calefiebat.* O infœlicitatem. Mundus in tali hodie statu est. Curuus & ad terram inclinatus incedit, quia nostra hac tempestate terrena tantùm aspicit, terrena cogitat, terrena sapit, de cęlestibus autem vix vllam cogitationem & curam suscipit. Humoribus malis abundat, id est, innumeris vanitatibus, & cogitationib⁹ prophanis, desiderijs peruersis ac noxijs se vindicādi, ac proximū dāno siue iniuria afficiendi: lasciuis præterea & inordinatis carnis appetitionibus plenus est. O noxios humores, qui hodie vniuersum mundum occupant.

Mundus senex & decrepitus est.

3. Reg. 1.

Catharris adhęc, à capite destillantibus refertus est: qui nihil aliud sunt quam vanæ cogitationes atq; cupiditates honorum, opum, dig-

dignitatum. Friget quia charitate in proximum, & amore in Deum destitutus est. Vestitus non calefit: quia quantumuis eum innumerabiles Religiosi crebris admonitionibus & diuini verbi concionatores frequentibus sermonibus, (qui sunt animæ vestes) conentur calefacere, atque inflammare charitate in proximum, pietate in pauperes, amore in Deum, feruore, spiritu ac zelo in seipsum attamẽ nihil proficiunt, æquè vt antea frigore constrictus manet in malis, nec adduci potest, vt bona opera moliatur. O mundum decrepitũ semper frigidum.

Mundus infirmus est.

Quid, quòd præter ipsam senectutẽ innumeris etiam peccatorum morbis lãgueat? Decumbit in lectulo pigritiæ, & linteaminibus ocij. Imò quod peius est gustatum perdidit, adeo vt pro dulci amara, pro amaro dulcia amplectatur. Amaritudinem namque rerum mundanarum carnis, ac sensuum, dulcedinẽ; dulcedinem verò spiritualium atque cœlestium rerum, amaritudinem esse arbitratur. Et nõ audit miser comminationes Dei dicentis: *Væ qui dicitis amarum dulce, & dulce amarum:* (*Isai 5.*) O signum clarissimum grauis ęgritudinis. Nã vti S. Augustinus (*S. August.*) ait: *Impius non sentit dulcedinem Dei, quia de febre iniquitatis palatum cordis amisit.* Quin etiam senex & infirmus hic mundus sanctissimorum sacramentorum gustu priuatus est. Dicite mihi amabo vos, vbi est gustus ille primitiuæ Ecclesiæ, quãdo fideles confessioni & sacræ communioni, quotidie; aut certè, vt minimum singulis Dominicis diebus operam dabant iuxta illud. *Erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communi-*

catione fractionis panis? Quando Missarum so-
lennia, & reliqua rerum diuinarum offici-
conciones, ieiunia, preces frequentabant?

Quando ad eleemosynas in pauperes ero-
gandas prompti ac liberales erant? Imò gra-
uiori adhuc symptomate mundus premitur
quoniam omnia trahit ad se.

Mundus ad mortem usque läguet.

Nostis enim, auditores, ex ijs quę ante dix-
imus, infirmum quando lectisternia & linte-
amina ad se trahit, & quicquid semel man-
apprehenderit, fortiter retinet, morti prox-
mum fieri & animã statim exhalaturum es-
Idem indicium in mundo languente cern-
mus. Nam quilibet siue Dominus, siue seru-
siue diues, siue pauper: siue patritius siue pl-
beius, aliorum opes & substantiam ad se tr-
here, sibiq́ acquirere nititur. Et si quando
obtinuerit, alteriusq́ facultates ad se pertr-
xerit, fortissimè retinet, nec eas è manibus si-
bi extorqueri sinit, neque adduci potest, vt a-
liquam earum partem pauperibus & egen-
dispertiatur, aut malè ablata & cõquisita r-
stituat. O quàm malum est hoc signum mũ-
ægrescentis. Quã manifestè hinc patet mor-
ipsius esse proximam. Quin adhuc peiori
statu res illius constitutæ sunt.

Namq́ totus in sacrarum virtutum & bo-
norum operum exercitijs refriguit. In mũd-
enim hoc tempore, nihil aliud cernitur q-
fides frigida, calore diuinæ gratiæ destitut-
spes frigidior, quæ cum in Deo deberet co-
stitui, tota in rebus terrenis locatur: charit-
frigidissima, erga Deum & proximũ: quoru-
ille ab hominibus parum diligitur, hic mul-
minus. Iam verò cæteræ virtutes adeo è mũ-
do exu-

do exulant, vt ibidem vltra nõ cõspiciantur. Nihil hic adijciam de operũ bonorum exercitijs. Quàm enim frigidi ac remissi sint homines ad bonas & præclaras actiones moliẽdas, omnibus perspicuũ est. Vt meritò de his temporibus illud sacræ scripturæ possit intelligi. *Abundauit delictum, & refrigescet charitas multorum.* *Matt. 24.*

Fratres mei multò adhuc manifestioribus indicijs declarat mundus hic decrepitus, & infirmus mortis & interitus sui vicinitatem. Quia nimirum omnes sensus, internos pariter & externos perdidit: iuxta illud quod lib. 2. Regum in figura peccatoris scriptum est. *Nunquid vigent sensus mei ad discernendum suauẽ & amarum?* *Mundus morti proximus est.* *2. Reg. 19.*

Non enim audit ampliùs, non videt, nõ odorat, non gustat, non loquitur, non mouet manus, non intelligit, non recordatur. Intelligite. Non audit volens ac libens Dei verbũ & admonitiones salutiferas, quibus à malis actionibus se abstinere monetur: non videt dãna ac detrimenta quæ per peccatum incurrit, & bona quæ perdidit: non percipit odoratu spirituali, scelerum suorum fœtorem, & diuinæ gratiæ fragrantiam: non discernit gustatu, sapiditatem atque dulcedinem diuinorum sacramentorum: nõ loquitur cum Deo per humiles ac feruidas preces: non mouet manus ad eleemosynarum largitionẽ, & bonorum operum exercitia: intelligentia caret, quia diuinam maiestatem, & suam vilitatem non cognoscit, nec quo in statu res suæ cõstitutæ sint, intelligit: memoria destitutus est, quia diuinorum beneficiorum, & scelerũ ad-

missorum, quę sempiternę perditionis ei causa sunt, non recordatur. O munde infœlix, O munde decrepite, ô munde infirme. O mũde insensate, iam morti propinquus, interitus tuus proxim⁹ est, aderit breui tempus, quo tremendam illam vocem audies. *Surgite mortui,* Deut. 32. Matt. 24. *venite ad iudicium* : quia *iuxta est dies perditionis & adesse festinant tempora. Est in ianuis.* Nihil tibi reliquum est, nisi vt oculos ad sempiternum somnum capiendum claudas. Claudes autem inuitus etiam, quia Christus ait. *Sol obscurabitur & Luna non dabit lumen suum.* Et in Euangelio hodierno. *Erunt signa in Sole & Luna.* Isti, ô munde, sunt oculi tui, qui cum defecerint, & obfirmati fuerint, extremum emittes anhelitum, & perfectam mortẽ obibis. Quis autem nouit, an hoc ipso anno id futurum sit? *Iuxta est dies perditionis & adesse festinant tempora.* Peruenimus modo charissimi mei, ad oculorum mundi obfirmationem: Et notum vobis est, quãdo de oculis claudendis agitur, etiam agi de requie: quiescamus ergo paulisper, vt paulò post excitati & vegetiores effecti, reliquam Dauidicæ picturæ partem vobis enodare ac dilucidare valeamus.

TERTIA PARS.

I.

SCriptura illa, breuis quidem quoad sententiam, at difficilis quoad intelligentiã, & sublimis quoad mysterium, quam Rex Chaldæorum Balthasar in conuiuio cum familiaribus & Regni proceribus atque optimatibus discumbens, tribus digitis aulę regię Dan. 5. parietem exarari conspexit, in hæc verba. MANE, THECEL, PHARES.

Quæ

Quæ animum ipſius tantoperè conturbauit, vt vultu expalleſceret, viribus deficeret, atque toto corpore contremiſceret, quamq; nemo ſapientum omnium, in Regno ipſius, quod ampliſſimum erat, degentium, præter vnicum Danielem enodare potuit, illa inquã me ſuſtollit ad inſigne & eximium quoddam Sacramẽtum, noſtro ſcopo apprimè deſeruiens: quod vobis proponere decreui. Memini quidẽ me, complures horum verborum alijs temporibus attuliſſe expoſitiones, at modò hanc maioris timoris & conſiderationis declarationẽ accipite, atque cum hoc Rege, ingẽti horrore concutiantur animi veſtri: quia non tam illius cui nihil profuerunt, quàm veſtri cauſa, hęc verba in pariete deſcripta fuêre.

Inſigni figura demonſtat, quo modo Chriſtus omnes ad iudiciũ vocaturus ſit.

Balthaſar Rex in conuiuio recumbens, repreſentat hominẽ, à Deo Regem & Dominũ omnium creaturarum ſub cælo exiſtentium, conſtitutum: iuxta illud Geneſeos: *Dominamini piſcibus maris, volatilibus cæli, beſtijsq; vniuerſæ terræ.* Hic in conuiuio diſcumbit, quia homines delitijs, voluptatibus, & gaudijs mundi huius, ſe, vt plurimum, tradunt. Dum autem luxui & compotationibus indulget, conſpicit manum capiti ſuo imminentem & tribus digitis ſcribentem: MANE, THECEL, PHARES, id eſt, Deum trinum & vnum; quia actiones Dei extrinſecæ, totius ſimul Trinitatis ſunt. Eam autẽ ſententiam mundi ſapientes non intelligunt, ſed ſolus Daniel, id eſt, ſapientes Dei, ſacri videlicet Theologi, & Doctores Eccleſiæ. Nam illa myſteria ad Chriſtianæ doctrinę veritatem, non ad mundanarum ſcientiarum falſitatem atque inanitatem

Gen. 1.

tem ſpectant. Intelligite.

Dan. 5. Ait Daniel ad Regem. O Rex. Interpretatio ſcripturæ hæc eſt. MANE: *Numerauit Deus regnum tuũ & compleuit illud.* THECEL: *appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens.* PHARES: *diuiſum eſt regnũ tuũ, & datum eſt Medis & Perſis* Fratres mei, ponderate vobiſcum diligenter has diuini vatis interpretationes.

MANE, id eſt, in matutino nouiſſimi diei, quo amplius Sol nõn occidet, ſed ſemper firmus in oriente conſiſtet: quoq; initium ſumet iucundiſſimus ille dies æternitatis, qui veſperum neſcit, numerabitur & complebitur regnum hominis. *Numerauit Deus regnum tuum & compleuit illud.* Hoc autem regnum eſt totum ſimul humanum genus, quod coram tribunali ſummi Iudicis comparebit, qui tam exactè totum illud dinumerabit, vt ne in vno quidem particulari homine erraturus ſit: & cõplebit, quia generatio hominum in terris eſſe deſinit. Sequitur. THECEL. *Appenſus es in ſtatera & inuentus es minus habens.* Quia totum humanum genus reſurget, & conſtituetur in bilance ſeueri examinis, tremẽdi viuorum ac mortuorũ Iudicis: & maxima hominum pars inuenietur minus habere: minꝰ videlicet meritorũ, & plus ſcelerum; minus bonorum operum, plus prauarum actionum: quia pauci ſunt iuſti, plurimi autem peccatores. *Et inuentus es minus habens.* Adijcit demum Propheta PHARES; *Diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis.* Quia genus humanũ eo die in duas partes diſtribuetur, & vna pars ad dexterã, alia verò ad ſiniſtram Iudicis collocabitur: Illi qui ad dexteram cõſtituentur, Medis,

dis,id est,Christo & Apostolis eius dabuntur,
cum quibus ad cæli gaudia cõscendent. Medi
enim in lingua hebræa,idem sonãt, quod *mẽ-*
suratores,Christus autem cum Apostolis om-
niũ hominum merita & demerita mensura-
bit atque dijudicabit. Illi enim sunt ad quos Matt.19.
Christus in terris adhuc degens dixit. *In rege-*
neratione cum sederit filius hominis in sede maie-
statis suæ, sedebitis & vos iudicantes &c.

Qui verò ad sinistrã collocabuntur, Persis
id est, dæmonibus tradẽtur: Quia Persę, iuxta
interpretationẽ hebraicam, idem sunt, quod
tentantes, siue *tentati*: tales autem sunt malig-
ni spiritus, qui hominum in terra sunt tenta-
tores: Qui etiã rectè tentati appellantur, quo-
niam à Lucifero in cælis tentati, & ad rebelli-
onem cõtra Deum persuasi fuerunt. Sublimi
ergo cum sensu & intelligentia ait Daniel ad
Regem. *Diuisum est regnum tuum, & datum est*
Medis & Persis. Vultisne hæc omnia breuiter
videre in Euangelio Matthæi? Ecce regnũ hu- Matt.24.
mani generis numeratum & completum. *Cũ*
venerit filius hominis, congregabuntur ante eum o-
mnes gentes. Ecce illud in statera examinis ap-
pensum, *Esuriui, sitiui, hospes eram, nudus eram,*
&c. Ecce illud minus habens meritorum &
bonorum operum. *Non dedistis mihi manduca-*
re, non dedistis mihi bibere, non collegistis me, non
cooperuistis me. Ecce illud diuisum. *Segregabit*
eos ab inuicem, sicut segregat pastor oues ab hædis:
ponet autem oues à dextris, & hædos à sinistris.
Ecce vnam illius partem traditam Medis, id
est, Christo & sanctis eius. *Venite benedicti*
Patris mei, possidete regnum vobis paratum ab o-
rigine mundi. Alteram vero Persis, id est, dæ-

monibus. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Aduertite demũ de vtraque parte Euangelij conclusionem. *Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Videtis, auditores, quam bellè Euangelium correspondeat figuræ. Possem quidẽ de hac figura latiùs fusiusque differere, sed quoniam alibi eadem nobis sub alijs verbis repetenda sunt, in eum locum ea placuit reijcere & de illis tantummodo verbis, *Diuisum est regnum tuum & datum est Medis & Persis*, aliquantò vberius loqui. Quãdoquidem ergo, auditores hucusque audiſtis, quis futurus sit huius vniuersalis Iudicij Iudex: quanta sit aduentus eius certitudo; temporis verò quo venturus est, non modò nulla certitudo, sed etiam magna vicinitas, quemadmodum ex plurimis indicijs & coniecturis, partim è mundi conditionibus, partim è sacris literis, petitis, demonſtratum est: Videamus nunc qua methodo Iudex omnes ad iudiciũ aduocaturus, quo ordine collocaturus, quibus de rebus rationem exacturus, quam sententiam laturus, quomodo denique homines Medis ac Persis traditurus sit; quæ omnia maximi terroris & horroris materiam continent.

II.

Atque, vt à primo auſpicemur, audite quomodo cæleſtis hic Iudex omnes ad Iudicium vocaturus & conſtituturus sit. *Aduocabit,* (inquit Propheta regius) *cælum desursum & terram, discernere populum suũ.* Voce alta & formidabili animas bonorum è cœlis euocabit, ideo dicitur, *Aduocabit cælum desursum:* nec nõ & animas quæ in Purgatorijs ignibus & ima

Methodus instituendi iudicij.
Psal. 49.

dam-

damnatorum regione detinentur, ex terræ gremio vocabit, idcirco additur. *Et terram.* Verumenimuero cuius rei gratia? vt nimirũ corporibus suis vniantur & resurgant, atque rationem ab illis repetat: proinde concludit. *Discernere populum suum.* Quæ autem vox illa tam potens futura est, vt hoc efficiat? Accipite eam: *Surgite mortui, venite ad iudicium.* O quantum terrorem incutiet, improuisa hæc vox, omnibus mortuis, maximè ijs, quos scelerũ conscientia redarguit.

Quando quis, auditores, conscientiam immani aliquo crimine commaculatam & remordentem habet, atque se insignis alicuius supplicij reum esse cognoscit, si dormiens insolitum aliquem strepitum, & vocẽ altam se subitò à somno excitantem audiat & dicentẽ. Heus tu homo scelerate, iam tibi nobiscũ ad curiam eundum est: Regis modò captiuus es, nunc iudici, ad vltimam pro facinoribus tuis sententiam excipiendã sisteris: magnus procul dubio improuisam hanc vocem, ad repẽtinam citationem, metus & trepidatio eum occuparet, sanguis concresceret, erigerentur capilli, vultus pallesceret, vox faucibus hæreret, cor palpitaret, ac denique membra omnia tremore concuterentur. Ex hoc euentu imaginari poteritis vobis aliquantulum, qualis terror, qualis metus, qualisq; trepidatio futura sit, hominũ mortuorũ, modò in sepulchris suis, quasi in lectulis dormiẽtiũ, eorum maximè, qui multorum criminum sibi cõscij sunt, quando se excitari, ad Dei tribunal euocari, atque vocem illam terribilem intonari audierint: *Surgite mortui, venite ad iudicium.*

sistite vos tribunali iustissimo Cælestis Regis, vt ab illo sententiam meritis vestris dignam accipiatis. Ah ad vocem hanc capilli eorum erigentur, vultus pallorem induent, sanguis concrescet, corda palpitabunt, & membra omnia ad se inuicē præ tremore collidentur.

S.Hierony. Vnde S. Hieronymus in epist. ad Heliodorum. *Ad vocem tubæ pauebit omnis terra cum populis: tunc lugubre mūdus immugiet, tunc tribus ad tribum pectora feriet, tunc potentissimi quondam Reges nudo pectore palpitabunt.* Quæ autem hæc tuba futura est, nisi formidabilis illa vox Christi? *Surgite mortui, venite ad iudicium.* In momento, in ictu oculi, ad tubæ huius sonitum, ad vocis huius auditum omnes homines resurgent, seq; summi Iudicis conspectui sistēt.

1.Cor.15. Testatur id S. Paulus cùm ait. *In ictu oculi, nouissima tuba: canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.* O quantus hîc omnium metus, quantus terror futurus est.

Aduertite diligenter hanc citationē ad tam metuendi Iudicis tribunal, non futuram monitoriam, quales plerunq; sunt sæcularium Iudicum citationes, sed (vt Iurisconsultorum terminis vtar) præceptoriam & peremptoriā. Non inquam, monitoriam, quia tali citatione olim sæpenumerò, per Patriarchas, per Doctores & Prędicatores, homines citauerat. Sed præceptoriam, quia imperabit, vt resurgāt: iuxta illud. *Exurge Domine in præcepto, quod mandasti & synagoga populorum circumdabit te.* Quibus verbis hoc vult Propheta dicere. Quando Domine, post diutinam ad Patris dexteram sessionem surrecturus, atque ad mun-

Citatio ad Christi iudiciū non erit monitoria sed peremptoria.

Psalm. 7.

mundum dijudicandum venturus es, ad tuũ præceptum omnes nationes ac populi resurgent, tuoq; iudicio exhibiti, vndequaque te circumdabunt. Quin & peremptoriam futuram: quia nemini vllum vel minimum temporis spatium ad dilationem concedetur. Sed omnes ac singuli, in momẽto coram summo Iudice præsentabuntur. Audistis enim paulò ante Apostolum dicentem. *In ictu oculi, in nouissima tuba: canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.* 1.Cor.15.

III.

O Quàm diuersum erit hoc iudicium à mundi iudicijs. In mundi iudicijs quando quis citatur, in secundum vel tertium diem differre potest cõparitionem suam: quia in huiusmodi iudicijs termin⁹ aliquis statuitur: at in Dei iudicio, ne vnicum quidem tẽporis momentum tribuetur. *In ictu oculi* quisque se coram Iudice præsentare debebit. *Diuini iudicij diuersitas à mundi iudiciis quanta sit.*

In mundi iudicijs, quando quis citatur; non opus est, vt in propria persona iudici se sistat: sed alium pro se Aduocatũ vel Procuratorem, aut alios pro libitu potest delegare: At in Christi iudicio, omnes homines, qui vnquam in mundo vixerunt in propria persona tribunali eius se sistere debebunt. Nam vt Apostolus ait: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi.* Vbi notate verbum, *omnes*, quo vniuersali signo demonstratur neminem exceptum fore: notum est enim vobis vulgare illud Philosophorum axioma. *Qui totum dicit, nihil excludit.* Itaque, *Aduocabit cœlum desursum, & terram discernere* 2.Cor.5. Psal. 49.

popu-

populum suum, dicetq́; *Surgite mortui venite ad iudicium.* Omnes defunctorum animæ ad hā vocem in momento corporibus suis vnientur: suis, inquam, non alienis. quia quilibet in eo corpore, quo circumamictus fuit dum in terris viueret, resuscitabitur.

Qualia colloquia anima iusti cũ corpore in resuscitatione ipsius miscebit.

Porro quis explicet, quàm dulcia colloquia, vniuscuiusque iusti anima cum suo corpore in ipsa coniunctione atque ad vitam reuocatione miscebit? Alloquetur eam tota hilaris & iucunda huiusmodi verbis. O carissimum corpus quod dum in mundo mecum vitam traduceres, plurima bona opera edidisti, meritorumq́; meorum causa adiuuans extitisti, vbi hactenus delituisti? vbi tanto tempore tuum domicilium habuisti? Sancte Deus; tunc in obscuris ac fœtidis sepulchrorum cauernis, in puluerem ac cinerem redactum fuisti, & ego perennia cælestis vitæ gaudia incolui? Hoccine operum tuorum præmium? hæccine laborum & sudorũ tuorum merces? istane ieiuniorum, abstinentiarum, macerationum, disciplinarum, mortificationum, vigiliarum, peregrinationum, lachrymarum, aliarumq́; afflictionum & piarum actionum mecum pro Christi amore susceptarum, remuneratio?

O carum corpus, ista tui in cineres conuersio, atque in caliginosis ac purulentis sepulchrorum cauernis habitatio, non fuit præmium tuis operibus correspondens, nec simile meo, quæ in hanc vsq; horam in fœlicissimis beatorum domicilijs requieui: iustum est igitur, vt quandoquidem mihi in laboribus comitem indiuiduum te præbuisti, mihi etiam in re-

requie socieris: & quandoquidem in meritis lucrefaciendis me adiuuisti, æquale etiam præmium mecum sortiaris. Exurge igitur, & coniungere mihi, mecumq; ad percipiẽdum laborum tuorum præmium veni. Pergamus læti atque alacres, ad Iudicis dexteram, cum cæteris electis: nã hodie simul omnes ad sempiternam cœlestis Paradisi iucunditatem ascensuri, gaudiaq; nullo vnquam tempore finienda percepturi sumus. O quem iubilum, quod gaudium, quam exultationem iustorũ animę & corpora sentient, in hac sua vnitione atque ad vitam reuocatione.

At contra vniuscuiusque improbi anima, tota furoris & rabiei plena, corpus suũ cui inuitissimè copulabitur, hoc pacto intrinsecus alloquetur. O corpus millies maledictũ, quoniam erga me nõ vt sociũ, sed vt hostẽ te gessisti: innumera scelera perpetrasti, meq; toties ad Deum & Iudicem summum, qui nunc ad rationem operum reddendã nos euocat, offendendum impulisti. O sceleratum corpus, nihil vnquã aduersitatis sustinere, nullas bonas actiones, nulla virtutum exercitia moliri voluisti: ieiunia, inedias, carnis mortificationes horruisti: lachrymis tua & mea crimina delere, Dominicæq; Passioni condolere, non curasti: Vigilias, laudes diuinas, eleemosynarũ largitionem fugisti, teq; totum huius mũdi voluptatibus & gaudijs tradidisti. Hactenus quidem nihil pro tot sceleribus pœnarum, si cum meis illæ componantur, quæ ardentissimis gehennæ ignibus cruciata fui, recepisti: sed nunc tempus est, vt tu etiam flagitiorum admissorum pœnas exoluas, & mecum nun- *Colloquium animæ hominis improbi cum suo corpore.*

quam

quam finienda inferni supplicia subeas. O ce-
ties millies maledictum corpus, cur mihi ob-
uiam te fers ? cur non potius in tenebrosa &
purulenta illa sepulchri cauerna, æternũ in
puluere & cinere delitescis ? O te sceleratum,
ô me infœlicem, quæ ad immaniora torméta
experienda denuo tibi cõiungor. Veni mise-
rum & iniquum corpus, nunc enim oportet,
nos coram summo Iudice comparere, atq; si-
nistram illius simul cum reprobis omnibus
tenere: ad æternã maledictionem capiendá:
imò quia parum hoc est, ad acerbissimos ge-
hẽnæ cruciatus, in omnem sæculorum æter-
nitatem tolerandos. O quantus dolor, quáta
angustia, erit animæ peccatricis in illa sui cor-
poris coniunctione.

Quãta sit hominũ post resuscitatio nẽ admiratio futura ex mũdi immutatione.

Iam verò posteaquam omnes resuscitati fuerint, quis explicet, quanta omnes homines admiratio subitura sit, ex huius mundi aspectu, quem priori mundo in quo vitam traduxerunt, vix vlla in parte similem esse stupebunt ? Non enim videbuntur in eo amplius fontes, flumina, torrentes, vti prius: quia exiccati erunt. Non herbæ, aut arbores, quia ab igne consumptæ erunt.

Non aues aut animantia terrestria diuersorum generum, quia extincta erunt. Nõ domus, pallatia, tẽpla, turres, castella, ciuitates, quia omnia hæc propter ingentes terræmot' euersa, solo æquata & in puluerem redacta erunt. Non colles, montes, valles, quia terra plana & æqualis erit. *Nam omnis vallis implebitur, omnis mons & collis humiliabitur, & erũt praua in directa, & aspera in vias planas* Non vllæ in agris semitæ, aut itinera ad certa loca ducen-

Luc. 3.

tia,

...; quia tota terra propter combuſtionem, ...nius erit faciei & æquabilitatis. Non deniq; ...ol & Luna ſolito more ab ortu in occaſum ...ouebuntur: quia Luna in occidente, Sol in ...riente immobilis cõſiſtet, iuxta illud Eſaiæ. *Non occidet vltra Sol & Luna nõ minuetur.* Ingẽs ...aq; ſtupor & admiratio complebit omnes, ...um mundum ſupra, infra, dextrorſum, ſiniſtrorſum, omni ex parte intuiti fuerint. *Eſa. 60.*

At homines ſcelerati & peccatores, nõ ſolum admiratione ſed ingenti etiã terrore cõplebuntur: quia quocunq; ſe conuerterint, & quamcũq; in partem oculos circumtulerint, horroris & lachrymarum materiam reperient. Si infra ſe reſpexerint omnia in cineres redacta eſſe cernent. Si ſupra ſe, præter horribilia cæleſtium ſiderum ſigna, Crucem in cælo cunctis conſpicuam videbunt: iuxta illud. *Tunc apparebit ſignum filij hominis in cœlo.* Videbunt autem ſolum Crucis ſignum, nõ Chriſti imaginem cruci affixam, nec B. Virginem Cruci aſtantem, quemadmodum mos eſt pictoribus eam figurare: atq; hęc omnia ad maiorem peccatoribus terrorem incutiendum. Quid enim agẽt miſeri, cum brachia illa pijſſima Chriſti crucifixi, non amplius extenſa & cruci conclauata: nec B. Virginem gratiæ patronam & miſericordiæ matrem, iuxta crucẽ conſiſtentem, intuiti fuerint. Si circa ſe, montes ſolo æquatos, valles eleuatas, ignes flagrãtiſſimos, dæmones ad accuſandum & rapiendum paratos cõſpicient. O formidinẽ, ô terrorem.

Peccatores quocunq; oculos conuerterint terroris materiã inuenient.

Matt. 24.

III.

QVid autẽ facturus eſt Iudex poſteaquam

ani-

animas iustorum partim è cælo, partim purgatorij locis: damnatorum verò ex ima inferni regione euocauerit, & suis corporib' vniuerit? Separabit è vestigio probos ab improbis, atq; illos ad dexteram, hos verò ad sinistram suam cõstituet: & iudicium cum singulis, iuxta opera eorum instituet. Hoc enim est quod Dauid in verbis sequentibus. *Discernere populum suum*, innuit.

Verbum *discernere* secũdum grammaticos, duplicem habet significationem: significat enim aliquando separare, aliquando sine errore clarè atque distinctè aliquid cognoscere: Quare illa est Prophetici huius dicti sententia. Postquam Iudex omnes homines aduocauerit, diuidet ac separabit electos suos à reprobis, & de vtrisq; seuerum, sed iustum & rectum instituet iudicium: quia clarè, distinctè, ac sine errore omnium illorum actiones, facta, cogitationes bonas & malas cognoscet. Veniet itaque, *discernere populum suum*.

O quàm admirabili cũ ordine illic conspicientur probi ab improbis segregati. Dexterũ summi Iudicis latus tenebũt omnes probi, iucũdo atq; hilari animo, suis singuli capitibus siue præfectis, quos in virtutibus aut professione imitati fuerunt, sociati. Cum Maria cœli Regina, stabunt innumerabiles virginum chori. Cum Anna coniugatorum turmæ. Cũ Petro clericorum multitudo. Cum Stephano martyrum victor exercitus. Cum Martino sãctorum Episcoporum & cõfessorum numerus. Cum Paulo heremita, omnium eremicolarum & Anachoretarum turba.

Quam multi illic pij Religiosi ad dexterã Iudi-

Iudicis ſimul cum S. Auguſt. conſiſtent? Quã multi cum S. Hieronymo? Quam multi cum S. Baſilio? Quã innumeri cũ S. Benedicto? Quã multi cũ S. Brunone Cartuſianorũ Patriarcha? Quã innumeri deniq; cũ SS. Bernardo, Dominico, Franciſco, alijsq; ſacrarũ Religionum primis initiatoribus. O quàm fœlices illæ turmæ, quæ capita ſua in vitæ probitate ac integritate, in virtutum exercitijs, in regularis diſciplinæ obſeruantia imitatæ fuerint: ad dexteram enim Iudicis ſtare iubebuntur de æterna beatitudine ſecuri. O quàm immenſo gaudio animi eorũ complebũtur, cũm illum à quo maximoperè amati, quemq; in hac vita optimum ſemper experti ſunt Aduocatum, ſuum Iudicem conſtitutum eſſe viderint.

Etenim ſi quis ei ſummi & principalis omnium cauſarum tum ciuilium, tum criminalium Iudicis munus demãdatum eſſe intelligeret, qui paulo ante diligens & ſolicitus cauſarum ſuarum Aduocatus extitiſſet, an nõ ingẽti lætitia afficeretur? nũ deinceps poſſit ambigere aut metuere ne cauſa caderet, vel ſententia cõtra ſe ferretur? Neutiquã. Hinc ergo imaginamini vobis, quale futurũ ſit iuſtorũ, qui in extremo iudicij die dexterã Iudicis tenebunt gaudium, quando illũ ſupremum ſuę cauſæ Iudicem conſtitutum eſſe aduerterint, qui in hac vita eximiũ ſe pro illis apud Patrẽ geſſit Aduocatum? vti S. Ioannes in epiſtola ſua canonica teſtatur, inquiens: *Aduocatum habemus apud Patrem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Cumulabuntur ergo iuſti, ineffabili gaudio, quia certi & ſecuri erunt, ſententiam non contra ſed pro ſe ferendã. O nos beatos ſi fœ- *1. Ioan. 2.*

si fœlicissimæ eorum societati, in illa die coniungi digni habiti fuerimus.

At contra improbi, ad sinistram Iudicis cõsistent, pallidi, ac toto corpore trementes, suis capitibus quorum in malis atque sceleratis actionibus vestigijs inhæserunt, singuli sociati, certi damnationis sententiam contra se ferẽdam: quia dum vitam in terris agerent, recusarunt atque spreuerunt sæpenumerò huius Aduocati patrociniũ: imò multis sceleribus eum offenderũt: quem modò seuerissimum Iudicem suum esse cernent. O peccatores memoria diligenter retinete, quòd ad sinistram Iudicis, cum Caino statuendi sint omnes homicidæ: cum Lamecho, oẽs adulteri: cũ Nébrotho omnes raptores: cũ Epulone omnes auari: cum Simone mago omnes simoniaci: cum Iezabele omnes meretrices: cum Iuda omnes proditores; cũ Barraba oẽs latrones: cum Herode omnes impij Principes: cum Pilato omnes iniusti iudices: cum Pharaone oẽs superbi & arrogantes.

Zach. 12.

Dicti huius veritatem comprobat Propheta Zacharias dicens: *Plãgent familia & familiæ seorsum.* Quibus verbis demonstrat, omnes improbos instar familiarum in turmas cum suis antesignanis separãdos, atq; infœlicitatem suam deploraturos esse. O infortunatam congregationem.

Iam verò quis animi mœror, quæ angustia diuitem auarum occupabit, cũ eum causę suę Iudicem viderit esse cõstitutum, qui adeò liberalis extitit, vt etiam proprium sanguinem pro hominis redemptione expenderit? Quis dolor potentis hominis sed peccatoris mentem peruadet, cùm eum Iudicis munere de-

fungi cõſpexerit, qui adeò egenus fuit, vt non haberet vbi caput ſuum reclinaret? Quos cruciatus animum hominis luxurioſi, voluptatibusq; carnis ac ſenſuum dediti opprimet, cũ ei Iudicis munus demandatũ eſſe aduerterit, qui caſtitatem tantoperè dilexit, vt de virgine naſci voluerit?

Quãtus cordis dolor, erit homini ſuperbo, cùm illum cauſę ſuę Iudicem eſſe cõſpexerit, qui fuit vnicum humilitatis exẽplum? Quale tormentum erit homini guloſo, cùm illum Iudicis munere defungi viderit, qui tam ſobrius extitit, vt quadraginta diebus & totidẽ noctibus ſine cibo perſtiterit? Quale ſupplicium erit homini iracundo & vindictę cupido, cùm ei Iudicis officium commiſſum eſſe intellexerit, qui tam manſuetus fuit, vt etiam in cruce pro tortoribus ſuis orauerit? Qualem ergo ſpem poterit habere quiuis peccator, de ſententiæ pro ſe latione, quandoquidem illũ habiturus eſt Iudicem, cuius vita ex diametro contraria fuit vitæ ipſius?

Quid verò excuſationis inuenire poterit, quæ ſufficiens ſit, ad ſuæ cauſæ defenſionem? Non poterit Auarus dicere, ſe ab auaritia ſibi temperare non potuiſſe, quia habebit ante oculos exemplum Chriſti liberaliſſimi. Non poterit Nobilis, aut Doctus reſpondere ſe propter nobilitatem, doctrinam & virtutes ſuas à ſuperbia abſtinere nequiuiſſe: quia videbit ante ſe Chriſtum nobiliſſimum, omniq; ſapientia & virtute inſtructiſſimum & nihilominus humillimum. Non poterit laſciuus, guloſus, iracũdus, prætexere, ſe caſtũ, ſobriũ, manſuetum eſſe non valuiſſe: quia verſabitur

ei præ oculis Christus, verum clementiæ, sobrietatis & castitatis exemplar. O peccator quam inuenies scelerum & vitiorum tuorum excusationem, cùm in illius conspectu atque præsentia steteris, qui est omnium virtutum & præclararũ actionũ, exemplar perfectissimũ? Pudore suffusus, obtumesces, nec quicquam respondere poteris: sed tantummodo infœlicitatem tuam acerbis lachrymis deplorabis

Matth. 24. iuxta illud. *Plangent omnes tribus terræ*, id est, omnes turmæ & sodalitia hominum peccatorum, cùm suis antesignanis ad sinistram Iudicis consistentium, Vbi rectè, inquit, *Tribus terræ* non *cæli* quia peccatores prorsus terreni sunt, nec quicquam cum cælestibus rebus commune habent.

Resurrectio piorum & reproborũ, quã diuersa futura sit.

Verũ aduertite hîc, Auditores, quòd quãuis omnes resurrecturi sint ad nouam vitam, attamen non omnes ad nouam gloriã, magna enim erit differentia inter probos & improbos resuscitatos, etiam quoad corpus. Quia corpora proborum erunt supra modum venusta & splendida, improborum verò supra

1. Cor. 15. quam dici possit, tetra & deformia. S. Paulum audite. *Omnes quidem*, inquit, *resurgemus, sed nõ omnes immutabimur*, id est, non omnium corpora pulchritudine, splendore & gloria dotabuntur, sed bonorum duntaxat. Cur enim enim existimatis hominem sæpenumerò in

Psal. 1. sacris literis lignum siue arborem appellari? vt in psalmis. *Tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum* Non aliam reor ob causam, quàm quod idem accidat homini quod arboribus. Intelligite.

Quemadmodũ arbores in hortis, viridarijs,

ijs,& agris consitæ, horrido hyemis tempo-re omnes inter se similes sunt, frondibus & omni ornamento spoliatæ: nec aridæ à virentibus, mortuę à viuis facilè discernuntur: at vere fœlicissimo adueniẽte, quo vniuersa terra nouis coloribus conuestitur, nullo negotio dignosci queũt. Quoniam arbores viuæ pulcherrimis coloribus, læta viriditate, frondibus, floribus, & fructibus decorantur: at mortuæ, manent aridæ, aspectu deformes, & omnibus ornamentis destitutæ: nec alteri vsui deseruiunt, quàm vt excindantur, & ignibus tradãtur. Tales sumus & nos: interea dum in hyeme præsentis vitæ degimus: probus ab improbo, iustus à peccatore difficillimè dignoscitur: imò nullus certò scire potest de semetipso, electus an reprobus: iustus an peccator sit: quemadmodum sapiens testatur. *Nescit homo an amore vel odio dignus sit.*

Eleganti similitudine hanc diuersitatem demonstrat.

Eccl. 9.

Sed in die Iudicij, quando aderit fœlicissimum tempus veris, in quo totus mundus renouabitur, & homines ad nouam vitam resurgent, omnes facillimè, quales reuera sint cognoscentur. Illi enim qui in vita præsenti, gratia, operibus & fide virentes extiterunt, ad dexteram iudicis consistent, ornati floribus immensæ pulchritudinis, frondibus æternæ vitæ, fructibus beatæ gloriæ, atq; vt vno verbo complectar, ineffabili gloria & fœlicitate circumdati. At illi qui in hoc mundo vita gratiæ destituti & in peccatis suis mortui fuerũt, sinistrum Iudicis latus cingent, aridi, deformes, floribus pulchritudinis, frondibus beatę vitæ, & fructibus æternæ gloriæ carẽtes: nec ad aliud vtiles, nisi vt è mundo tollantur, &

sempiternis gehennæ incendijs tradātur. Audite S. Chrysostomum homil. 45. in Matthęū, ea quæ dixi, confirmantem. *Tunc*, ait, *vnusquisque secundum opera sua manifestabitur, Impijs quidem nulla proferentibus folia, nullum ostendentibus fructum: sancti autem & folijs vestientur vitæ æternæ, & fructibus ornabuntur gloriæ.* O maximam discrepantiam, qua tunc probi ab improbis different: Erunt enim boni dexteram tenentes speciosissimi, pulcherrimi, splendidissimi, improbi verò sinistram cingentes, teterrimi, turpissimi, fœtidissimi. Nunc igitur, ô peccator, qui es arbor mortua, tecum reuolue, quòd ad sinistram Iudicis in tetra ac deformi specie, compariturus atq; cum reprobis omnibus, si in hoc statu permanseris, meritum immortalis gehennæ ignem hæreditaturus sis: quapropter, da operam, vt modò vitā corrigens, efficiaris arbor vitæ, & in illo iudicio inter iustos, viriditate virtutum ornatus, atq; æterna gloria dignus inueniaris.

V.

Quali sermone Christus iustos allocuturus sit: & quale præmiū illis donaturus.

VErumenimuero, quid facturus est Iudex postquā oues ab hædis, probos ab improbis, iustos ab iniustis segregauerit, & illos quidem à dextris, hos autē à sinistris statuerit. Primò ad dexterā, ad electos, carissimū populū suum conuersus, omnia illorum facta, dicta, cogitationes, desideria, actiones, virtutes, exercitia ponderabit, atq; illis ritè perspectis & examinatis, hoc pacto eos alloquetur. Oculus meus falli nequit, sed clarè atq; distinctè omnia cognoscit. Ego vos hactenus semper consideraui, & nunc etiam intrinsecus & forinsecus, à capite ad pedes vsq; considero & intu-

eor: nec quicquam aliud video in vobis præter actiones pias, & sanctas, quas membra vestra molitæ sunt: in cordibus & conscientijs vestris, nihil conspicio nisi fines & intentiones probas, cum quibus eadé opera effecistis: eximias præterea & diuinas in vobis virtutes, animas vestras mirandum in modum exornantes intueor: nullum denique in vobis aduerto vitium, quod si quando pro humana fragilitate occurrerat, per veram pœnitentiam prorsus deletum fuisse scio. Nunc igitur adsum, vt vos maioribus quàm vnquam antea bonis cumulem.

O electi mei, non satis mihi fuit, in primo aduentu meo, quò naturam vestram nobilitarem, vestra carne me induere, in vestris domicilijs nasci, vobiscum familiariter conuersari, ægros curare, mortuos vitæ restituere, sanctissimis præceptis & legibus meis vos imbuere. Non satis fuit pro vestri amore tradi, vinculis ligari, flagris cædi, fœdissimis sputis cõsputari, aculeatis spinis coronari, manibus pedibusq; cruci cõclauari, omnem sanguinem profundere, animam exhalare, latusq; meum vobis reserare: Quid dico? Nõ satis mihi fuit carnes meas in cibum, sanguinem in potum, animam in pretium tradidisse; sed etiam in hoc secundo aduentu meo, idcirco de cœlis delapsus sum, vt vobiscum cælum diuinitatis meæ augustissimum domicilium, gloriã meam, & omnia quæ possideo, cõmunicem. Regnũ meũ vestrũ erit regnũ, diuinitas mea vestra beatitudo, angeli mei, vestri familiares, sãcti mei comites ac socij vestri, mater mea mater vestra, pater meus pater vester, & ego frater

Matth. 25. ter vester. Eia igitur, *Venite benedicti Patris mei possidete regnum, vobis paratum ab origine mundi*: neque enim maius & excellentius quid vobis tribuere valeo: cum nihil neque in mundo neque extra mundum sit, quod huic possit æquiparari, & bonum illud omnia quæ desiderari queunt, in se complectatur. O dulcem inuitationem, ô securam possessioné, ô diuitias incomparabiles, ô regnum iucundissimũ, ô gaudium ineffabile. O fœlicitaté iustorum imméſam. Ecquis vnquam verba blandiora & affectuosiora audiuit, quàm illa sint? *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum vobis paratũ ab origine mundi.* Quod idé est, ac si diceret.

O carissimi electi mei, qui vt meis vestigijs insisteretis à mundo despecti, contempti, nulliusq; pensi habiti fuistis: & nihilominus dicebatis. *Persecutionem patimur, & sustinemus!* 1. Cor. 4. venite ad me & ego suscipiam vos tanquam magnę existimationis viros, veraq; nobilitate & virtutum ornamentis conspicuos in gloriam meam. *Venite.* Aequum enim est, vt vosq ab hominib⁹ sceleratis innumeris iniurijs affecti, maledictionibus atq; cõtumelijs impetiti fuistis, & easdem mei amore nõ modò patientissimè tolerastis, sed etiã maledicentibus vobis è contrario benedicebatis, atq; cũ Apostolo dicebatis. *Maledicimur & benedicimus.* 1. Cor. 4. benedictioné à me cõsequamini. *Benedicti.* Iustũ etiã est, vt vos qui mei & Patris mei gratia, parentes deseruistis, maioremq; mei, & legũ mearum, & Patris mei rationem habuistis, quàm propriorum parentum: atque illud mandatũ meum exactè adimplestis. *Qui reliquerit Patrẽ aut matrem propter nomen meum*: filij Patris Matth. 19. mei

mei adoptiui constituamini. *Patris mei.* Ratio-ni adhæc consentaneum est, vt vos qui mei a-more, omnibus desiderijs terrenis, & facul-tatibus vestris affectu, vt minimùm vosmet expoliastis: & dicere poteratis cũ Apostolis, *Ecce nos reliquimus omnia*, magnifica possessio- Matt.19.
ne donemini. *Possidete.* Lex porrò æquitatis re-quirit, vt vos qui tanto cum animi affectu & feruore inseruiuistis mihi, *Cui seruire regnare est*, vt inquam in huius seruitij repensionem, alicuius Regni hæredes instituamini: *Regnum.* Et quoniam cor vestrum ad meum amorem atq; ad percipiendã gratiam meã, ita paratum ac promptũ semper fuit, vt cum Dauide qui-libet vestrũ dicere potuisset. *Paratum cor meũ Deus, paratum cor meũ*, ego etiam vobis denũ- Psal.107.
cio, me pro tali animo, tamq; incenso affectu vobis præparasse regnum. *Vobis paratum.*

Quia verò à prima vitæ vestrę origine ad finem vsq; in seruitio meo perseuerastis, & si qui ex vobis ab eo defecerũt, ijdẽ postea ma-iori cum feruore ad obsequia mea se retule-runt, idcirco vos certiores reddo, me iam in-de ab exordio mundi ad hanc vsq; horã quæ mundi finis est, Regnum hoc vobis seruasse, *Ab origine mundi.* Nã rationi conueniens, vt e-go, vos qui multis donis & muneribꝰ me or-nastis, beneficijsq; deuinxistis, optimis è con-trario donis, ac muneribus cumulẽ, & bene-ficijs benefacta rependam. Non.n. memoriã excidit, quomodo mę famelicũ paueritis, si-tibundum votu refeceritis, peregrinãtę ho-spitio exceperitis, nudum vestiueritis, infir-mum visitaueritis, incarceratum deniq; pro virili adiuueritis. *Esuriui & dedistis mihi mandu-* Matt.25.
care.

care: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram & collegistis me: nudus eram & vestistis me: infirmus & in carcere eram & visitastis me. Horum beneficiorum in me collatorum quanquam vos fortè non recordemini, apud me tamen recēs est memoria. Nā quicquid eleemosynarū vel minimo pauperi, & mendico, amore mei donastis, id mihi per manus eorum tribuistis. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Quare cùm vicissitudinem vobis rependere tenear, quoniam me pro illis debitorem vobis constitui, tanquam de obsequijs mihi in eorum persona præstitis, nunc adsum, vt ea abūdè remunerer, itaq; dico vobis. *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum vobis paratum ab origine mundi.* O remunerationem copiosissimam, pro tam exiguo beneficio. O beneficium immensum, pro tam vili dono. O donum inæstimabile pro tam modico seruitio. *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum vobis paratum ab origine mundi.*

Quod perinde est ac si diceret. O genus electum. O carissimi amici mei. *Venite*, gaudenter. *Benedicti*, sanctè. *Patris mei*, diuinè. *Possidite*, securè. *Regnum*, opulenter: *Vobis paratum*, diligenter. *Ab origine mundi*, antiquitùs.

Venite, hilariter, *Benedicti*, perfectè, *Patris mei*, supernè. *Possidete*, stabiliter. *Regnum*, vnitè. *Vobis paratum*, propriè. *Ab origine mundi*, prędestinatè.

Venite, alacriter. *Benedicti*, summè. *Patris mei*, amorosè. *Possidete*, iustè. *Regnum*, pacificè. *Vobis paratum*, gratiosè. *Ab origine mundi*, localiter.

Venite, ô lætitiam. *Benedicti*, ô sanctitatem. *Patris mei*, ô diuinitatem. *Possidite*, ô securitatem.

em. *Regnum*, ô maiestatem. *Vobis paratum*, ô diligentiam. *Ab origine mundi*, ô vetustatem.

Venite ô inuitationem. *Benedicti*, ô perfectionem. *Patris mei*, ô eminentiam. *Possidete*, ô stabilitatem. *Regnum*, ô gloriam. *Vobis paratum*, ô amorem. *Ab origine mundi*, ô recordationem.

Venite, ô admonitionem. *Benedicti*, ô bonitatem. *Patris mei*, ô magnificentiam. *Possidete*, ô firmitatem. *Regnum*, ô opulentiam. *Vobis paratum*, ô gratiam. *Ab origine mundi*, ô prouidentiam.

O immensam iustorum fœlicitatem. O inexplicabilem gloriam. Fœlices igitur, & ter quaterq; beati, qui in vita probitatem & vitæ integritatem atque sanctimoniam sectantur, qui in gloriosis corporibus simul cum Christo & electis omnibus cælum ascendent, ibi perenniter regnaturi & ineffabili hac beatitudine in omnem sæculorum æternitatem perfruituri, sed relictis paulisper iustis, de improborũ iudicio & sententia differamus, qui præcipuus nostri sermonis scopus est.

VI.

De iudicio reproborum eorumque examine.

IVdicium, (vti Iurisconsulti aiunt) *est actus legitimus trium personarum, qui redditur in inuitum*, Quemadmodum in Digest. tit. *de verb. obligationib. leg. inter stipulantes*, legi potest. Ad iudicium ergo tres requiruntur personæ. Iudex, Reus, Actor: quando autẽ factũ negatur, necessaria est & quarta persona, videlicet, testis, quemadmodum legitur in Decret. dist. 4. quæst. 4. c. 1. Per testem autem, iuxta glosam, intelligi possunt, scripta, processus, instrumẽ-

ta,

ta, rationes & argumenta. Nihil horum in vniuersali iudicio deerit. Iam enim diximus Iudicē futurum esse Christum. Rei erunt omnes peccatores ad sinistram consistentes. Actor, Diabol⁹. Nec deerit testimoniorum copiosa seges. Attendite nunc quo pacto Iudex contra Reos processurus sit.

Posteaquam sermonem ad electos dexterā suam cingentes, absoluerit, eisq; præmiū meritis singulorum conueniens donauerit, mox ad improbos sinistram tenentes, ad æternam damnationem illis intētandam se conuertet: & facie tremenda ac formidabili, oculis ira succensis, & scintillas ignis quaquauersum vibrantibus, infœlices & præ timore vix sui compotes reos intuebitur. Talem autē futurum eius vultum. S. Ioannes in Apocalypsi testatur: vbi ait: *Cum iustitia iudicat, oculi autem eius sicut flamma ignis.* Apoc. 19.

Atque hoc metuendo aspectu suo, tantum terrorem singulis incutiet, vt plus tormentorum ex illo, quam ex supplicijs inferni percepturi sint: libentiusqúe gehennæ cruciatus toleraturi, quàm vel semel iratum Christi vultum aspicere.

S. August. Testis huius rei est S. Augustin. in illud Apocalyps. *Veniet dies magna iræ eius.* Vbi sic ait: *Tunc maius tormentum malis erit, furorem vultus Domini tolerare, quàm cruciatus inferni perpeti.* S. Hieron. Et S. Hieronymus. *Damnatis,* inquit, *melius esset inferni pœnas, quàm Domini præsentiam ferre iudicantis.*

Hinc est, quod S. Iob cùm in maximis calamitatibus suis, metuendi huius vultus & irati aspectus recordaretur, in has voces plangens

itque suspirans proruperit. *Nec aspiciet me vi-* *Iob. 7.*
sus hominis. Quod idem est ac si dixisset. Modò Deus ille qui homo simul & Iudex omnium futurus est, facie sua ira & future inflammata, in tremendo nouissimi diei iudicio me nō aspiciat, nihili æstimo omnes hasce afflictiones & ærumnas quas patior, quia nullæ sunt, si cum illo animi cruciatu, quem tremendus ille summi Iudicis aspectus illo die improbis adferet, componantur. *Nec aspiciet me visus hominis*. Imò multò leuiores & tolerabiliores æstimabat inferni pœnas, quàm furorem irati huius vultus, ideoq; mallebat in inferno delitescere quàm iratam Christi faciem intue- *Iob. 14.*
ri. *Quis, inquit, mihi tribuat, vt in inferno abscondas me, donec transeat furor tuus.*

Posteaquam verò turbato vultu trucíq; aspectu illos intuitus fuerit, hacq; ratione ita exterruerit, vt facie in pallorem versus omnes penè exanimentur: incipiet seueram cum illis ponere rationem, atq; singulatim examinare & reprehendere de omnibus quæ Propheta Dauid, propheta regius, in psalmo sæpe memorato recenset, inquiens. *Peccatori autē dixit* *Psal. 49.*
Deus. Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos.

Cæterùm antequam hanc Dauidis sententiam vobis enucleatius declarem, aduertite, verba hęc quidem ita sonare, quasi vnum tantummodo peccatorem alloqueretur; cùm reuera singulos, & omnes simul alloquatur.

Notum est enim, esse quẽdam loquendi mo-rem eis valdè familiarem, quibus ad populu sermones habere incumbit, quando verbi quidem & vocibus singularis numeri vtun-tur, omnes tamẽ generatim hortari & argue-re intendunt. Exempli gratia. Si concionator aliquis dicat. Te alloquor ô peccator, qui le-gem Dei viosas. Te ô Christiane, his verbis nõ vnum aliquem sed oẽs peccatores & Christi-anos qui sermoni intersunt, adhortatur, vel reprehendit. Iste autem loquendi modus id-circo ab illis vsurpatur, vt maiorem verbis suis addãt efficaciam, hominesq; à vitijs ma-gis deterreant. Ita etiam Christus nouissimo iudicij die, in singulari quidem numero im-probos alloquetur, sed ita, vt omnes simul & singulos, ijsdem verbis territare & exanima-re intendat. Idcirco ait Propheta. *Peccatori au-tem dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* O Chri-stiane, attende.

His verbis demonstratur, contra quod po-tissimum genus hominum Christus locutur' & iudicium instituturus sit. Cõtra illos nimi-rum, qui sub lege aliqua, vel naturæ, vel scri-ta, vel denique Euangelicæ vixerunt, quique confessi fuerunt, verum & bonum esse vtrũ-que testamentum vetus & nouum, sed factis eidem contradixerunt, ex quorum numero illi erant de quibus dicit Apostolus. *Confiten-tur se nosse Deum. factis autem negant.* Quod vt indicaret sacer textus, inquit. *Quare tu enarras iustitias meas & assumis testamentum meum per os tuum?* Quasi diceret. Cur leges meas sanctas & bonas, atque testamenta mea veracia esse cõ-

Tit. 1.

fessus

fessus fuisti,& tamen ea non seruasti? Hinc patet, iudicium hoc non esse exercendum in infideles, eò quod illi non enarrent iustitias eius, non enim credunt illum futurum remuneratorem bonarum,& vindicem malarum actionum, nec de testamentis eius veteri & nouo sermones habent, quoniam illa quæ in eis continentur, non credunt. *Qui* autem *non credit* teste S. Ioanne, *iam iudicatus est*, propter peccatum infidelitatis. In eos ergo iudicium hoc instituetur, qui verum Dei cultum non ignorarunt, sub quacunq; illi lege, siue naturali, siue scripta, siue Euangelica vitam traduxerint. Ioan. 3.

Porrò audite, quo pacto illos qui ad sinistrã consistent, examinaturus, quamq́ue asperis verbis eos increpaturus sit: Inquiet enim. *Vos verò odistis disciplinam* (plurali numero vtor, vt omnes faciliùs me intelligant) *& proiecistis sermones meos retrorsum. Si videbatis furem currebatis cum eo, & cum adulteris portionem vestrã ponebatis. Os vestrum abundauit malitia, & lingua vestra concinnabat dolos.* O scelerati & improbi, dicite mihi, Num negare potestis, vos æquissima præcepta mea odio habuisse, & sanctissimas leges meas post dorsum reiecisse? *Vos verò odistis disciplinam, & proiecistis sermones meos retrorsum.* Psal. 49.

Num inficiari potestis, quod quando latronem aliquem, siue vsurarium, siue alienarum facultatum vsurpatorem cõspiciebatis, eidẽ vos nõ sociaueritis, vt cum eo mala patraremini? *Si videbatis furem, currebatis cum eo.* Nũ veritati me parcere, probare valetis, quòd adulteris & fornicarijs vos cõiũxeritis, vt libidines

dines vestras, & carnis desideria cũ eis expleretis? *Et cũ adulteris portionem vestram ponebatis.* Num falsitatis me conuincere potestis, quòd lingua vestra circumuẽtionibus, proditionibus, mendacijs, blasphemijs, omniq; lasciuia referta fuerit? *Os vestrum abundauit malitia, & lingua vestrá concinnabat dolos.* Heu, à veritate prorsus confusi, capite ad terram inclinato, & oculis lachrymis suffusis; nihil habebunt, quod respondere queant.

Cæterùm diligentiùs aliquantò põderandum est nobis examẽ hoc, ne illi, qui alia peccata, præter illa quę diximus, admiserunt, ab hoc iudicio se immunes futuros existiment. Dauid enim paucis hisce verbis omnia peccatorum genera in iudicio discutienda complexus est, Intelligite.

Tria sunt genera peccatorum.

Tria sunt peccatorum genera, à quibus cętera velut riuuli à fonte, aut rami à radice pullulant ac deriuantur, & ad quæ alia omnia, veluti lineæ ad punctum reducuntur. Sunt autem ista. Cordis, oris, & operis. *Peccatum* namque, vti S. Augustin. ait, *est dictum, factum, aut concupitum contra legem Dei. Dictum*, ore, *Factum*, opere, *concupitum*, corde. Quocirca Iudex vt vniuersus mundus intelligeret, se omnia peccata in hoc iudicio discussurum & examinaturũ esse, hæc tria tantũmodo peccatorum genera, & trinas radices è quibꝰ cætera pullulant, nominat. In ijs enim verbis: *Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum*, cordis peccatum notat. In sequentibus verò, *Si videbas furem currebas cum eo; & cum adulteris portionem tuam ponebas*, peccatum operis. In illis denique, *Os tuum abundauit malitia*

S. August.

litia, & lingua tua concinnabat dolos, peccatum oris. Et ex consequenti demonstrat se de singulis peccatorum speciebus, id est, de omnibus peccatis cordis, operum & oris, examen institututurum esse. Itaque nullus peccator ab hoc iudicio se poterit eximere, eò quòd omnia etiam minima peccata ipsius seuero examine discutienda sint.

VII.

PRæter seuerum Iudicis examē, huic Iudicio etiam præsens aderit Diabolus, actorem'q́;, id est, tertiam huius Iudicij personam, cōtra improbos aget, multasq́; accusationes & querimonias aduersum illos instituet. Iudicem verò, his verbis, vti S. August. testis est, alloquetur. Iudex æquissime, tibi exploratū est, hos omnes qui ad sinistram tuam assistūt, tuos quidem extitisse per gratiam, meos autē factos esse per culpam: tuos per misericordiam, meos per miseriā: tuos per sanctissimam passionem tuam, meos per subdolā suasionē meam: tuos per creationem, meos per sāctissimarum legum tuarum destructionem ac euersionem. Te deserto, me secuti sunt: te relicto, mihi seruierunt: te spreto, meis cōsilijs & suggestionibus obtēperarunt: tua diuina gratia contempta, meis peruersis suggestionibus consenserunt: tuis denique sāctissimis sacramentis neglectis, meas spontè voluptates, & carnis lasciuias amplexati sunt. Iustum igitur & æquum est, vt illos mecum ad nunquam finienda inferni supplicia condemnes.

Diabolus extremo iudicio interērit & actorē aget.
S. August.

Neque deerunt testes, qui de mala ipsorū vita, testimonium ferant, & quartam personā ad Iudicium pertinentem constituant. Pręcipuus

Quā multi testes cōtra improbos

proditurι & illos accusaturi sint. puus autem testium erit, propria vniuscuiusque conscientia, quæ peccatorem intrinsecus remorsu pallidum, & exanimato similē prorsus constituet; atque externis hisce indicijs, scelera intus latentia prodet. Audite S. Paulū. *Rom. 2.* *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum. Auaro* testis & accusator erit auri & argenti cumulati, & scrinijs inclusi, ne lucem aspiceret, neue ex eo pauperibus & necessitatem patientibus succurreretur, rubigo. Vestes itē multiplices cistis conclusæ, magis vt à tineis & vermibus consumerentur, quam vt pauperes inde vestirentur: ipsæ præterea tineæ vestiū cōsumptrices testimonium ferent, & vindictā clamabunt contra auarum, quod maluerit mendicum frigore enecari, quàm vestimenta è cistis depromere. Nunquid non S. Iacobus, hoc ipsum antea clarissimis verbis illis denūciauerat? Audite. *Iacob. 5.* *Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit.*

Quales sint libri è quibus homines iudicādi sunt. Producentur deinde libri, in quibus omnia singulorū scelera, oēs peruersæ actiones, omnes noxiæ cogitationes, descriptæ erunt, & secundum ea quæ in libris reperta fuerint, quisque iudicabitur. Hinc S. canit Ecclesia. *Liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, vnde mundus iudicetur.* quod à S. Ioanne didicit, qui in Apoc. sua inquit: *Apoc 20.* *Libri aperti sunt, & alius liber apertus est, & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris.* Liber hic est æterna Dei memoria, in quo ipse omnia singulorum peccata describit. Liber etiam est vniuscuiusque conscientia, in qua peccata sua commissa quis-

quiſque exarat. Chriſtus deniq; quoad vitam ſuam eſt liber exemplaris totius vitæ noſtræ, quemadmodum ipſe teſtatur. *Exẽplũ*, inquit, *dedi vobis, vt ſicut ego feci, ita & vos faciatis*. De his tribus intelligenda sũt verba Eccleſiæ, & S. Ioannis, nam de alijs libris, propter ignem qui iudicium anteceſſurus, & omnia quæ in mundo ſunt cõſumptur⁹ eſt, id accipi nequit. *Ioan.13.*

Noli, autem mirari, quod Chriſtus ſimul & liber, & Iudex futurus ſit. Liber enim eſt, quoad vitam exemplarem, quam nobis præmõſtrauit: Iudex quoad auctoritatem diuinam. Liber quoad primum aduentũ: Iudex quoad ſecundum. Liber quatenus vitam ſuam cum improborum hominum vita collaturus eſt: Iudex quatenus in eoſdem æternæ damnationis ſententiam laturus eſt. *Chriſtus quomodo ſit liber.*

Inſtituetur ô Chriſtiane, in tremendo illo iudicij die comparatio, inter duos priores libros & hunc tertium, & vniuſcuiuſque vita binis priorib⁹ libris inſcripta examinabitur & perpendetur, an vitæ & exemplari, quod Chriſtus nobis præmonſtrauit, reſpondeat. Idcirco S. Ioannes in plurali ait. *Et libri aperti ſunt*, de prioribus libris id intelligens: Moxq; ſubiungit. *Et alius liber apertus eſt*, de tertio, cũ quo conferentur, id accipiens. Ac denique concludit. *Et iudicati ſunt mortui*, id eſt, rei, qui ideo mortui appellantur, quia vita gratiæ priuati, & æternæ morti deſtinati ſunt: *ex ijs quæ ſcripta erant in libris*, id eſt, iuxta malam ipſorum vitam, & ſceleratas actiones in prioribus libris exaratas.

In illo ergo die, ô Chriſtiane examinaberis, an imitatus fueris Chriſtum, an non: an vi-

ta tua Christi vitæ, atque illius sanctissimis quæ tradidit pręceptis, ac legibus conformis fuerit: an eas semitas, quas præiuit & mõstrauit, calcaueris: an verò contrarias inijueris. Et si te vestigijs suis non inhæsisse, sed alias illis contrarias vias ambulasse cognouerit, nihil aliud expecta, quàm seueram animaduersionem, quia *Iudicabuntur mortui*, id est, peccatores, *ex his quæ scripta sunt in libris.*

Cur Christus in sacris literis appellatur magister. Ioan 9. Luc.10.

Cur existimatis Auditores, Christum Dominum & Saluatorem nostrum, in sacris literis sæpenumerò magistrum appellari voluisse? vt apud Ioan. *Rabbi quis peccauit, hic aut parentes eius, vt cæcus nasceretur.* Et apud Luc. *Magister bone, quid faciendo vitam æternam possidebo?* Non ignoro sapientissime Domine, te idcirco ita nominari voluisse, quia venisti ad sacrarum literarum illustrationem, diuinæ legis interpretationem, veritatis manifestationem. Non me latet, te eapropter ita appellari voluisse, quia nobis semitas cœlestes cõmonstrasti, quidq; faciendum sit, vt eas perambulando, ad supernam patriam perueniremus, patefecisti. Non clam me est, te eã ob causam, ita nuncupari voluisse, quia discipulos habuisti quos optimè de rebus fidei instructos, ad viam salutis annunciãdam, in vniuersum terrarũ orbẽ misisti. Sed & alia est causa, propter quam idẽ magistri nomen non recusasti. Audi, ô Christiane, nouum hoc mysterium, & contremisce, quod talis magistri discipulus existas.

Elegãtissimi litudine id declaratur.

Quemadmodum ludimagister, posteaquã scriptionis exemplar, aut orationis construendæ methodum discipulis tradidit, tota die eos

eos ad diligentiam & ſedulitatem excitat, nũc minis, nunc ſcãni percuſſione, nunc virgarũ oſtenſione, vt timorem illis incutiat, atq; diligentes reddat. At veſpera, id eſt, examinis & abitus vniuſcuiusq; in domum ſuam, tempore aduenientе, non ampliùs minis ſed seriò rẽ aggreditur, diſcipulosq; pauidos ac toto corpore trementes nominatim euocat, & diligẽter examinat, an ſcriptio eorum, exemplari quod acceperant, concordet, quam ſi diſcordantem aut nimiò plus differentem animaduertat, non modo acribus verbis eos obiurgat, ſed etiã virgis cædit. Videas illũ diſcipulum negligentiorem hoc pacto alloquẽtem. Non cernis quàm male iſta litera A. meo exemplari correſpondeat? quàm malè itidẽ illa B. & iſta C? Non conſpicis iſtam literam D. aliter à me formatam fuiſſe? ſicq; per ſingulas Alphabeti literas progreditur, quouſq; omnes examinauerit. Idẽ facit de latinitate ſiue orationis cõſtructione. Nam ſi errores reperiat, aſperè illos increpat, dicens: Hoc relatiuum diſcordat à ſuo antecedẽte: hoc adiectiuum à ſuo ſubſtãtiuo, hic nominatiuus, à ſuo verbo: iſtam præterea clauſulam, iſtã periodum aliter fieri oportuerat. Ac denique ludimagiſter, eos qui negligẽtiores & ingenij tardiores ſunt, infimo loco, tanquã omni honore indignos, collocat: eis verò qui ingenio ſuo prȩclarè ac diligenter vtuntur, ſupremum locum attribuit.

Ita facit etiam nobiſcum Deus, verus magiſter noſter: Dedit nobis pro exemplari, ſemetipſum imitandum: totam videlicet vitã ſuã, quam inter homines agens, traduxit. *Exẽplum* *Ioan. 13.*

plum dedi vobis, vt sicut ego feci, ita & vos faciatis. Dedit nobis præterea latinitatis siue constructionis formã, id est, diuinorum mandatorum suorum obseruãtiam. Tota die, id est, in præsenti vita, in magno huius mundi ludo, vociferatur, & minatur per prophetas, per Apostolos, per sacros Doctores, per Concionatores, idq́ue vt terrorem inferat, inciteté; ad benè agendum, ad mandata obseruanda: prohibeatq́ue ne librum nostræ conscientiæ, & æternæ Dei memoriæ, errorib⁹ & barbarismis, hoc est peccatis innumeris cõpleamus. Nonnunquam scamnũ mensamue manu aut virga percutit, quando corpora & carnẽ nostrã quæ lignum in sacris literis appelletur, infirmitatibus, persecutionibus, bellis, fame, pesti-
Ezech.17. lentia affligit, quod per Ezechielem prophetam innuit, quando ait. *Ego humiliaui lignum sublime.*

Verùm omnes hæ mundi calamitates, nihil aliud sunt nisi minæ, nondum seriò rem aggressus est, æquissimus & sapientissimus magister. Aggredietur autem, quãdo vespera ingruerit, quando tempus aduenerit, quemq́ue in domum, quam viuens sibi in altera vita fabricauit, mittendi. Tunc oẽs & singulos ad rationem, lectionis vitæ suæ & operũ quæ gesserunt, reddendam, metuẽda illa voce aduocabit: *Surgite mortui, venite ad iudicium* Tunc vnusquisque tremens cum libro suo ei se præsentabit. Nam iuxta Ioannem libri aperientur, & secũdum ea, quæ illic scripta sunt singuli iudicabuntur. *Libri aperti sunt, & iudicati*
Apoc.29. *sunt mortui ex ijs, quæ scripta erant in libris.* Tũc Deus seriò examen singulorum auspicabi-

tur,

tur, & si quos repererit in hominibus erro- res, aspera obiurgatione, multoque asperiori punitione castigabit. O quàm seuerum tunc de singulis instituetur examen.

Alphabetū de quo Christus homines in iudicio exanimaturus est.

Dicet Deus ad hominē peccatorem. Hæc litera A. *Amor*, malè scripta est. Principaliter enim amandus tibi erat Deus, *Diliges Dominū Deum tuum*, at tu amorem creaturarum, creatoris amori antetulisti. Secundariò proximus etiam tibi diligendus erat: *Et proximum tuum sicut teipsum*, tu autem non solum odio illum persecutus es, sed etiam ei in necessitatibus existenti, aut summa rerum penuria laboranti, ne teruncio quidem subuenisti. Ista etiam litera B. *Bonum*, malè exarata est. Bona enim quæ tibi eatenus contuli, vt ea partim ad tuā vtilitatem, partim ad mea obsequia, partim ad vsus pauperum impenderes: quēadmodū hortatus fui quando aiebam: *Conclude eleemosynam in sinu pauperis & ipsa orabit pro te*: tu in res inutiles, & animæ tuæ nihil profuturas expendisti, nec pauperum vllā curā gessisti. Ista præterea litera C. *Conuersio*, pessimè formata est. Nam cum ex animo conuerti debuisses, donādo cor tuum mihi id postulanti atq; dicenti: *Fili præbe mihi cor tuum: Conuertimini ad me, in toto corde vestro*; Tu è contrario, mundo, carni, atq; diabolo cordis tui sedem ac dominium tradidisti. Adhæc litera D. *Donū*, malè collocata est. Cū enim tua donare debuisses, nosocomijs, Xenodochijs, templis, aut certè conferre ad virgines pauperes matrimonio iungendas, ad viduis, infirmis, alijsq; necessitatem patientibus subueniendum, vt multò excellentius in cælis à me præmium conse-

A. Matt. 22. B. Eccl. 29. C. Prou. 13. Ioel. 2. D.

quereris, iuxta illud quod in sacris literis scri-
Matt.10. ptum reliqui: *Qui dederit cyathum aquæ frigidæ in nomine meo, non perdet mercedem suam*, tu cō-
tra homo scelerate non solùm peruerso fine, sed etiam ad flagitiosas actiones, ad castas videlicet virgunculas circumueniendas tua tribuisti. Donis etiam ac muneribus, notarios,
E. scribas, aduocatos, & iudices corrupisti, vt iudicium peruerterent. Quin & ista litera E. *Exemplum* pessimè exarata est. Quin enim benè viuere, & bonum de te exēplum proxi-
Matt.18. mis prębere debueras, cum scriptum sit: *Videte ne scandalizetis vnum ex his pusillis, qui in me credunt*: valdè scandalosam & mali exempli vitā egisti, adeoq; dignus es tot nunc tormenta perpeti, quot mala exempla de te prębuisti,
F. quibus alij prouocati, maiestatem meam offenderunt. Sequens porro litera F. *Fides* quā curua & distorta est? Fidem namq; tuam formatam, viuam, bonisq; operibus coniunctam esse oportuerat, noueras enim illud Iacobi.
Iacob.2. *Fides sine operibus mortua est*, cùm è contrario illa fuerit prorsus informis, mortua atq; omni charitate & operibus vacua.

Non subsistet in hac litera Iudex, sed vlte-
G. rius perget, diceto; En video literam illam G. *Gratiam*, cum exemplari meo vix quidquam concordantem. Gratia enim pręueniens, quā tibi impertieram, ne otiosa apud te esset, sed
2.Cor.6. ea ad profectum tuum vtereris, iuxta illam S. Pauli Apostoli admonitionem: *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, apud te sterilis & infructifera mansit: nec vllam ex ea, ad animæ tuæ beneficium, vtilitatem hausisti.
H. Sed & illam quæ sequitur, H. *Humilitatem*, ab

...m, ab exemplo meo valde intueor esse differentē. Cum enim te sub omnipotenti manu Dei humilire, sanctissimisq; iussionibus meis obtemperare debuisses, iuxta illud quod scriptum est, *Humiliamini sub potenti manu Dei*, tu potiùs hominum voluntati propter ambitionem, te inclinasti, & submisisti, eisq; non modò in licitis, sed etiam in sceleratis, ac diuino humanoq; iure prohibitis actionibus morem gessisti, ne concupitis honoribus atq; dignitatibus sæculi huius fraudareris. Neque ista I. *Irascibilis*, cum mea scriptione quicquam cōformitatis habet: Eam enim in contumelijs & iniurijs tibi factis, fræno rationis frænare debueras, ne pareret odiū; sciebas enim scriptum esse. *Sol non occidat super iracundiam vestram*, at tu contra iniurias dimittere noluisti, odia intestina fouisti, & in proximi odio diutissimè perstitisti.

1 Petr. 5.

I.

Ephes. 4.

Quin & ista litera L. *Lex*, plurimum ab exemplari differt. Qui enim legem meam, & Euangeliū seruare debueras, quiq; hanc vocē meam sæpè auribus tuis intonari audieras, *Custodite leges meas atq; iudicia, & facite ea*, è contrario mundi, dæmonis & carnis leges potius amplexatus & sectatus es.

L.

Leuit. 20.

Neque Iudex in hac lege examen finiet, sed vlteriùs perget & ad discipulum stultū ac negligentem, ad peccatorem dicet: Non vides quàm turpis atque deformis sit hæc litera M. *Matrimonium*? Tu enim qui vxori tuæ coniugali vinculo sociatus eras, matrimonij iura intacta atque inuiolata, cum omni fidelitate custodire debueras, iuxta illam S. Pauli Apostoli monitionem. *Sciat vnusquisq; vas suum*

M.

1. Thessal. 4.

possidere in sanctificationem: at è contrario ead rupisti, adulteria crebra non cogitatione modò, sed etiam opere admittendo.

Non conspicis adhæc quàm malè formata
N. sit ista litera N. *Negotium?* Qui enim talentum siue naturale siue gratuitum, quod idcirco tibi contumeliam, vt eo negotiareris ad animæ tuæ bonum, & meritorum augmentum, rectè expendere debueras: quia sciebas me dixisse,
Luc. 19. *Negotiamini dum venio:* contra non tantùm in res inutiles sed etiam noxias illud expendisti, pecuniamq́ meam malè dissipasti: Intellectū ad mundana atq́ prophana secum tractanda: memoriam ad ea mente retinenda: voluntatem ad eadē concupiscenda conuertisti: pulchritudine ad illaqueādas animas, fortitudine ad proximum offendendum, diuitijs ad inanem ostentationem & inutiles expensas, honoribus alijsq́ donis ad superbiam abusus fuisti. Non intueris præterea quam ista litera
O. O *Oratio*, ab exemplari meo discordet? Qui enim preces cum intima animi deuotione, ac inflammato affectu ad me fundere debueras?
Luc. 18. iuxta meam in Euangelio admonitionem, *Oportet sēper orare & non deficere:* id minimè præstitisti, vel .n. ad preces concipiendas vix vnq̄ accedebas, vel si id fieret, orationē languenti & tepido admodū animo, sine vlla deuotiōe ac spiritu peragebas. Porrò nō aduertis, quā
P. curua & distorta sit hæc litera P. *Perseuerātia?* Cum .n. in bonis actionibus tibi persistendū fuisset, nam scriptum esse noueras:
Matth. 24. *Non qui incœperit, sed qui perseuerauerit vsq; in finē saluus erit*, tu cōtra, vel bonas actiones nunquam exorsus es, vel si incæpisti, eas paulò post ob exi-

guas

uas sese offerentes difficultates deseruisti: in-
nalis verò prompto ac volenti animo ad finē
sque perstitisti.

Nunquid hic ô Christiani summum Iudi-
tem examinis sui finem facturum existima-
tis? Nequaquam, sed vltra perget, quousque sin
gulis literis perpensis ad Alphabeti finem
perueniat. Dicet ergo: Ista litera Q. *Quies* pes- Q.
simè exarata est.

Non enim aliam requiē, te quærere opor-
tuerat quam me, qui sum vera animi quies, de Psal. 58.
quo scriptum erat. *Requiem tibi dabit Dominus*
Deus tuus: at tu eam in rebus huius sæculi, in
carnis ac mundi vanitatibus tota contentio-
ne quæsiuisti.

Adhæc sequens ista litera R. *Religio*, nullam R.
habet cum scriptione mea conformitatem:
Christiana enim religio, requirit hominem à
peccatis mundum, cuius cor sæculi huius af-
fectibus non sit contaminatum. *Religio munda* Iacob 1.
& immaculata hæc est, custodire se immaculatum
ab hoc sæculo; at tu è contrario, totus scelerum
sordibus oppletus fuisti, & cor innumeris
mundanarum rerum affectionibus inquina-
tum habuisti. Quin & huic proxima litera S. S.
Salus, admodum deformis est. Nam animæ
tuæ salutem, sancto cum timore, vti æquum,
& in sacris literis iussum erat, non curasti. Philip. 2.
Cum metu, inquit S. Paulus, *& tremore ve-* T.
stram salutem operamini. Multò præterea de-
formior illa quæ sequitur litera T. *Tempus*.
Cum enim illud ad obsequia mea & animæ
tuæ profectum expendere debueris, quia tibi Iac. 4.
dictum erat: *Dum tempus habemus, operemur*
bonum; tu è contrario, illud in pessimis con-
sum-

ſumpſiſti, aut certè in otio tranſegiſti. Porrò
V. litera iſta V. *Votum*, cum exemplari nihil pe-
nè congruit: Quia non modò votum in ſacro
baptiſmatis lauacro mihi nuncupatum, quá-
do dixiſti, *Abrenuntio Diabolo & pompis eius*,
violaſti, ſed etiam ea, quibus poſtea te ſponta-
nea voluntate obſtrinxiſti, tranſgreſſus es, nō
Pſal. 75. conſiderans ſcriptum eſſe, *Vouete & reddite*.
Z. Deniq; extrema illa Alphabeti litera, Z *Zelus*,
quàm parum cum mea ſcriptione conformi-
tatis habet. Nō enim habuiſti zelum honoris
& ſanctiſſimæ legis meæ, cùm tamen hac in
3. Reg. 19. re illuſtre exemplum tibi S. Helias prębuerit,
qui aiebat. *Zelo zelatus ſum pro Domino Deo ex-
ercituum*. Tota igitur ſcriptio tua vitioſa eſt, i-
deoq; aliud nihil exſpecta, quàm ſeueriſſimá
ſupremi Iudicis animaduerſionem.

Examinabit deinde cæleſtis hic magiſter i-
pſam latinitatem ſiue cōſtructionem, & dicet,
Nullam in hac compoſitione video vocum
rectam connexionem & cōſonantiam. Adie-
ctiuum hoc, *Malum* quod perpetraſti, non cō-
cordat, cū illo ſubſtantiuo Deus, qui te crea-
uit, vt bonus eſſes & piā vitā traduceres. Hoc
pręterea relatiuum, *Quid*, id eſt, quid obſerua-
ſti non cohæret cum antecedente ſuo, *Lex*, id
eſt, cum lege quam obſeruare debueras; Vi-
deo enim omnes alias leges præter meam, te
impleuiſſe.

Adhæc Nominatiuus ille, id eſt, tu ſiue Frā-
ciſcus, ſiue Antonius, ſiue Petrus nomineris,
cum Verbo, quod ego ſum, neutiq̄ congruit.
Nam inter te & me nulla fuit conformitas: ſi
enim ego aliquid præcipiebam, tu contrari-
um faciebas. Plurimos igitur in bona con-
ſtructione errores admiſiſti.

Iam verò, quod ad grammaticæ regulas attinet, vix vllam earum à te seruatam esse adcerto. Cũ enim actiuus esse debuisses & plurima operari: tu è contrario passiuus extitisti, atque ab otio te superari passus es. Et alibi cũ te passiuũ esse oporteret, in sustinendis amore mei tribulationibus, & pœnitentia pro peccatis agenda, tu neuter esse, & nihil horum perficere voluisti. Vbi autem te neutrum esse decuerat, id est, in mundi, carnis, ac diaboli suggestionibus ac molitionibus, tu cõmunis extitisti: Et vbi te cõmunem fieri, id est, facultates egentibus cõmunicare oportuerat, ibi deponens esse, id est, opes tuas sub mille clauib[*] deponere, quàm necessitatem patientibus ex ijs pro animæ tuæ salute succurrere maluisti.

Vbi verò deponentem in frumento, vino, lignis, alijsq́ ad vitam necessarijs, in nosocomijs, Xenodochijs, Prochotrophijs ad pauperũ vsus deponendis, te esse necessitas postulabat, tu impersonalis fuisti, nullã omnino pauperis personam intuens, cui ea quæ domui tuæ superfluebant, mei amore tribueres.

Neq; hic finietur summi Iudicis & magistri examen, sed cæteras quoque grammaticę regulas expendet, dicens. In hac clausula, vbi ratio exigebat, vt impersonalis esses, nullam omnino personam familiæ tuę, non filiũ, non filiam, non quemlibet alium consanguineũ, intuendo, cuius citandi causa, animæ tuæ aliquod prę iudicium creares; tu fuisti gerundiũ nimiumq́; vel ad genitores tuos, vel eos quos genueras respexisti : illosq́; per fas & nefas ditare studuisti. Isto verò in loco vbi supinum te esse oportuerat, supra cælos per cõtemplationem

tionem te extollendo, superniq; regni fœlicitatem considerando, atque tota animi contentione laborãdo, vt illud acquireres, tu participium esse, & de alienis facultatibus per latrocinia, vsuras, fraudes, rapinas, participare maluisti. Alibi autem, vbi participium esse debueras, manendo in mea & Patris mei gratia, vt bonorum omnium quæ à fidelib⁹ efficiũtur particeps fieres, tu comparatiuus esse, teq; maximo cuilibet per summam tuam superbiam, & pessimo cuilibet, per malitiam tuam æquiparare voluisti. Porrò vbi te comparatiuum esse, bonisque & sanctis omnibus & mihi etiam per vitæ probitatem conferri ratio postulabat, tu superlatiuus extitisti, multosq; in vitijs supergressus fuisti. At vbi te superlatiuum esse congruebat, enitendo, vt in operibus bonis omnes superares, tu figuras vsurpare maluisti, atq; figuratè ac simulatè bonitatem forinsecis actionibus ementiri, cum intrinsecus, omnibus flagitijs oppletus esses. Deniq; vbi figuræ tibi necessariæ erant, partem pro toto donãdo, id est, tuarum facultatum partem pauperibus tribuendo, vt Deum qui omnia in se complectitur, consequereris: vel totum pro parte, id est, totũ cor, pro parte cælestis regni obtinenda: tu inter anomala, inter illos videlicet, qui sine bono nomine, sine viuendi ordine sunt, censeri voluisti.

O te stolidum & negligentem, quàm malè obseruasti regulas Grãmaticæ, Guarini, Scopæ, Emanuelis, Perotti? Quid dico? Imò quàm malè regulas à Deo, magistro tuo tibi pręscriptas custodisti? Oculus meus falli nequit, vniuersam hanc scripturam pessimè exaratam

totum librum cõſcientiæ tuę, & memoriæ
neæ, innumeris vitijs refertum eſſe cõſpicio.
n exemplari tuo vix vnam literulam ad mei
xemplaris præſcriptum formatã eſſe video.
n latinitate verò ſiue conſtructione, nihil niſi
meros barbariſmos lego. O quàm improbã
& flagitijs contaminatam vitam traduxiſti:
quèm inutiliter tempora tibi conceſſa & annos expendiſti: *Hæc feciſti & tacui.* Hactenus quidem ſilui, nunc autem non erit vltra tempus ſilendi, ſed tempus caſtigandi & ablegandi te ad infimum terræ locum, tãquam diſcipulum ignaum, inutilem, atque indignum, qui inter homines in ſchola mundi huius cõuerſeris. Itaque, *arguam te & ſtatuam contra faciem tuam.* Dicit, *Arguam te:* quia improbos ſeuerè obiurgaturus eſt. Moxq́ꝫ ſubdit. *Et ſtatuam contra faciem tuam,* quia in conſpectu illorum atque præſentia qua pœna mulctandi ſint, ſtatuturus, atque æternæ damnationis ſententiam in eos promulgaturus eſt: adeoq́ꝫ ingenti confuſione replebuntur, nec vel verbulum iuſtiſſimo Iudici reſpondere quibunt. Videtis igitur, quomodo præter alias plurimas cauſas, etiam propter ſeuerum hoc examen, & pœnam qua in nos miſeros peccatores, diſcipulos ignauos in vniuerſali iudicio animaduerſur⁹ eſt, in diuinis literis magiſter vocari voluerit. Attendite quam terribilis & ſeuera illa ſententia futura ſit, quam in homines improbos laturus eſt, & contremiſcite.

VIII.

POſteaquã Iudex, Magiſter & Actor, teſtes audierit, libros inſpexerit, examen compleuerit, ſeuera oratione peccatorib⁹ ſcelera *Quam terribili oratione*

& in-

Iudex improbos allocuturus sit. & ingratitudinem eorum exprobrabit: atq oculis ira & furore succensis, hoc pacto eo alloquetur.

O natio peruersa. O homines scelerati, qu sine freno & sine vllo timore immania flagi tia perpetrastis, & æquissimarum legū mearū nullam rationem habuistis: qui me offendere, & ad iram prouocare nihili duxistis: nec vllā, eò quod tacerē, lōganimiterq́; ad pœnitentiā vos præstolarer, pro sceleribꝰ vestris pœnitē tiā egistis. O vos infœlices, nunquā futurum existimabatis, vt in manus meas incideretis, rationemq́; de omnibꝰ excessibus vestris mihi reddere cogeremini: at nunc præter spē & expectationem vestram, velut incautæ auiculæ, reti meo conclusi estis.

O vites infructiferæ. O homines meis beneficijs ingratissimi. Vt vberem fructū adferretis illuminaui vos lucido sole fidei meę: fotui calore amoris mei: refrigeraui rore gratiæ meæ: irrigaui aqua sapientiæ meæ; nutriui cibo sacramentorum meorum; angelos denique meos ad vestri custodiam destinaui. *Quid potui facere vobis & non feci.* Expectaui vt bonorum operū fructū progerminaretis, vuas maturas sanctarum actionum produceretis, & ecce aliud nihil germinastis nisi ramos inanes: nisi labruscas noxiarum cogitationum: nisi vuas immaturas sceleratarum actionum. *Fecistis labruscas. Vua vestra, vua fellis, & botrus amarissimus.* Angeli vestri tutelares, nunquam mihi bonum de vobis nuncium apportarunt.

Esa. 5.

Deut. 32.

O ingrati & scelerati dicite obsecro, cū ego tā multa vestri causa fecerim ac sustinuerim, quid vnquam obsequij pro his mihi repēdistis?

lis? Omitto beneficium creationis, quando omnium rerum dominiũ vobis cõtuli: & de recreationis siue reparationis beneficio, quã-do vestri amore è cælis in terram delapsus sum, tãtummodo loquar. Humanam naturã assumpsi, vt vos requirerem: famem & sitim toleraui, vt animas vestras diuino cibo & cęlesti potu reficerem: laboraui atq; sudaui, vt ab humeris vestris molestum & graue peccatorũ onus tollerẽ: proditus fui, vt saluarẽ: cõprehensus, vt liberarẽ: vinctus, vt soluerem; flagellatus, vt flagella iræ Patris mei à vobis auerterẽ. *Quid est quod debui vltra facere, & nõ feci vobis?* Spinis aculeatis coronatus fui, vt cęlesti gloria vos coronarẽ: vulneratus vt sanarẽ: sanguinem fudi vt lauarem: brachia in cruce expandi, vt amplecterer: manus aperui, vt benedicerem: mortuus fui, vt vitam vobis conferrẽ: à mortuis deniq; resurrexi, vt certum vobis resurrectionis vestræ pignus donarem. *Quid est q debui vltra facere, & nõ feci vobis?* Tribui vobis carnem meam in cibum, sanguinẽ in potum, Euãgelium meum ad instructionẽ, Prædicatores meos ad exhortationem. *Quid est quod debui vltra facere, & non feci vobis?* Esai. 5.

Promisi vobis deniq; pro laborum vestrorum pręmio regnum meum, gloriam meam, fœlicitatem meam, & vos ingrati, flocci hæc omnia fecistis. *Quid est quod debui vltra facere, & non feci vobis?*

Nunquid homines scelestissimi, & tantorũ beneficiorum immemores, pro his tã eximijs donis mihi vicem aliquam in hac vita rependistis? Si recordamini, edicitote. Sed nunquã valebitis. Nihil enim mei causa tolerare, nihil

aduersitatis sustinere, nihil boni facere volu-
istis. Nõ eleemosynam pauperi, ex ijs quæ vo-
bis superfluebãt, quæq; larga manu vobis tri-
bueram, impertiri: non inedia carnem affice-
re, non precibus incumbere, non crapulam &
ebrietatem relinquere, nõ iniurias dimittere,
non adulteris, cõcubinis, cæterisq; carnis vo-
luptatibus, & mundi vanitatibus renunciare,
non abstinere vos à fraudibus, dolis, circum-
uentionibus & vsuris; nõ cauere ab omni in-
iustitia, tyrannide, alijsq; sceleribus, præser-
tim cùm ego crebris Prophetarũ & cõciona-
torum vocibus præciperem, vt à talibus absti-
Esai.1. neretis: dicendo. *Quiescite agere peruersè, disci-
te benè facere.* Ingrati extitistis passioni meæ,
spreuistis sacramenta mea, vestrijpsorũ & ani
marum vestrarum obliti fuistis. Nunc igitur
& ego vos deseram, nec quicquam de vobis
vltra ad bonum atq; vtilitatem vestram soli-
citus ero: sed ad sempiternã perditionem ac
damnationẽ vestram, decernam, statuam, &
ferã sententiam sceleribus vestris congruen-
tem, in conspectu atq; præsentia vestra, ad q̃
Psal.45. ne mutire quidẽ, aut vllum verbulum respõ-
dere possitis. *Statuam contra faciem vestram.*

Audite fratres mei, decretum formidabi-
le, sententiã horribilẽ, quam in impios Iudex
prolaturus est. Sed quomodo poterit ab ho-
mine mortali ea enunciari, si ad solam illius
memoriã, sanguis cõgelatur & membra obri-
gescunt? O cæli subsistite. O terra cõcutere. ô
mare expauesce, ô ignis contremisce, ex sen-
tentiæ huius quę in peccatores promulganda
est, auditu. O lapides, ô plantæ, ô animantia, ô
feræ syluestres, auscultate & plangite infœli-
cem

cem caſum, infœlicium peccatorum. O vox mea tremula, ingredere ad omnes reges, ad principes, ad dominos, ad ſeruos, ad diuites, ad pauperes, ad nobiles, ad ignobiles, & intona in auribus eorum terrificum illud decretum & tremendam ſententiam, quæ de ore Chriſti Iudicis exiet. Hei me, auditores, plorans & tremens hanc vobis pronuncio, & dico, ſtatutum, decretum, ſiue ſentẽtiam quæ in peccatores ferenda eſt, eam eſſe, quam S. Euangeliſta Matthæus, cap. 25. diſertis verbis deſcripſit. Audite illam & contremiſcite. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius.* Audiſtiſne vnquam ſententiam ſimilem? ſimilis terroris? ſimilis ſupplicij? O miſeros & infortunatos peccatores.

IX.

SIngula verba auditores, ſententiæ huius, doloris & pœnæ augmentum continent. Verbũ, *Diſcedite*, pœnam damni demonſtrat. *Maledicti*, pœnam iniuriarũ. *In ignem*, pœnam ſenſus. *Aeternum*, pœnam deſperationis. *Qui paratus eſt Diabolo*, pœnam aſpectus dœmonũ. *Et Angelis eius*, pœnam peſſimæ ſocietatis. Animaduertitis ergo, in decreto hoc ſiue ſentẽtia ſex pœnas grauiſſimas contineri. Separationẽ à Deo, iniurias, dolorem, deſperationem, horrorem, ac deniq; inuiſam ſocietatem. Declaremus omnia ſingulatim.

Sententia in reprobos ferenda ſex grauiſsima ſupplicia in ſe continet.

Prima pœna eſt, *Diſcedite*. Hæc à Theologis appellatur, *pœna damni*, & aliud nihil eſt, quam à Chriſti conſpectu & præſentia repelli, atque ipſius gloria priuari. O quãtum dolorem adferet priuatio hæc improborum animis. Si e-

Primum eſt pœna dãni.

nim, quando quis à patria, à dulcissimis parentibus, à familiaribus & cõiunctissimis amicis exulare cogitur, etiamsi exiliũ illud, nõ multis annis duraturum sit, tã acerbum inde dolorem haurit, vt à lachrymis, nisi forte saxeo sit corde, sibi temperare nequeat: Quãtus putas futurus erit dolor, quàm inconsolabilis ploratus improborum, cùm se in perpetuum à cælesti patria, ad quã iure baptismatis etiam pertinebant, proscribi audierint, ac repelli senserint? Cùm se ab amantissimo Patre Deo, à benignissima Matre Maria, ab amicis suis Angelis, ac deniq; à fratribus suis, Christianis, separari conspexerint? Ah: quàm multi ex illis, qui ad sinistram consistent, videbunt, parentes, amicos, & notos suos à dextris Iudicis stare, seq́ue ab eorum amplexu in omnem æternitatem diuelli? Quàm multi ex ijs qui vnius eiusdemq́ue ciuitatis, vnius domus, vnius familiæ, vnius professionis, quid dico? vnius tecti consortes extiterũt, se ab inuicem separari, vno ad dexteram inter electos, altero ad sinistram inter reprobos manente, dolebunt. Hoc est quod Christus in Euangel. Matthæi ait. *Tunc duo erunt in agro, vnus assumetur, & alter relinquetur: duæ molentes in mola, vna assumetur & vna relinquetur. duo in lecto vno, vnus assumetur, & vnus relinquetur.* Aduertent igitur, infælices, se ab illis separari, non per decem, quindecim aut viginti annos, sed in omnem sæculorum ęternitatem. Et quomodo fieri potest, vt inde non hauriant animo dolorem inexplicabilem, atque inconsolabiliter miseriam suam deplorent?

Eleganti similitudine demonstrat, quantũ supplicium reprobi ex cælestis gloriæ priuatione sensuri sint.

Matt. 24.

Maius verò augmentũ dolor & planctus illorum

sorum capiet,cũ viderint iustos ingẽti honore & gloria donari,se verò in summa vilitate ac miseria versari. Namq; vobis, qui armorũ tractandorum peritiam profitemini,cognitũ & exploratum est: Eum militem,qui inter præliandum hosti terga vertit,fugaq; sibi cõsuluit, quando post certamen fœliciter consummatum, obtentumq; victoriæ trophæũ, Regem siue Ducem suum victoribus prẹmia & honores decernere: atq; hunc annua prouisione,illum ingetibus thesauris.alium possessionibus,alium arce,alium ciuitate,aliũ Baronis,Comitis,Marchionis,Ducis vel Principis titulo ornare conspicit, ingenti verecundia suffundi, atq; animo vehementer cruciari, quòd se propter animi sui pusillanimitatẽ & angustiam,hisce honoribus ac prẹmijs priuari, omniumq; contemptui & irrisionibus patere aduertit:quanto igitur maiorem in die iudicij subituri sunt confusionem, quantoq; animi dolore cruciabuntur improbi omnes, qui cùm carnem, mundum,ac dœmonem, cõmunes & iuratissimos humani generis hostes debellare ac profligare potuissẽt, illis tamẽ terga verterunt,quando Christũ ducẽ ac Regem post hostes omnes profligatos,victoribus præmia ingentia distribuere, atq; cæleste regnum,gloriam ineffabilem Paradisi,honores maximos,regiam dignitatem suis dispartiri, se verò propter socordiam & animi exilitatem in Christiana hac militia,omnibus præmijs,non modò priuari,sed etiam, quod dolorem & afflictionem illorum non parum augebit,ab Angelis,ab hominibus iustis,à dęmonibus irrideri, & ad sempiterna incendia

Alia similitudine id ostendit.

condemnari conſpexerint.

O infœlices & infortunatos peccatores, qui in omnẽ æternitatem à cæleſtis Regis atque ſanctorum illius conſpectu & præſentia arcebuntur, & omni præmio, honore, & gloria ſpoliabuntur. Supplicium hoc profectò grauiſſimum & omnibus alijs maius eſt.

Pœna dãni omnium pœnarũ, quas damnati patiuntur, maxima eſt.

S. Chryſoſt.

Nam, iuxta vnanimem Theologorum aſſertionem, ſeparatio hæc ſiue priuatio, quę ab illis pœna damni appellatur, ipſum etiam inferni ignem ſuperat. Imò dãnati mallent mille gehennas ſuſtinere, quàm Dei & gloriæ ipſius viſione priuari. Audite Chryſoſtomũ in homilijs ſupra Matthæum, vbi ſic ait. *Caſum illius gloriæ, aio multò maiorem pœnam eſſe gehenna. Intolerabilis eſt gehenna, verũ mille ponat quis gehennas, nihil tale dicit, quale eſt excidere ab illa gloria, & odio haberi à Chriſto, & audire vocem illam, Diſcedite à me maledicti.*

1. Cor. 16.

De hac ſeparatione loquebatur S. Paulus quãdo in epiſt. 1. ad Corint. ait. *Si quis non amat Dominum Ieſum ſit anathema, maranatha.* Illa vox *Maranatha* Syriaca vox eſt, & interpretari poteſt: *quando Dominus noſter adueniet.* Idem igitur eſt ac ſi dixiſſet. Qui nõ amat Dominũ Ieſum, in extremo Iudicij die, quando Chriſtus ad mundum iudicandum venerit, cum cæteris improbis excommunicetur, & ſeparetur à communione iuſtorum, quę eſt maxima omnium pœnarum, quæ infligi poſſit. Sed

Elegans quæſtio.

obijciet fortè aliquis: quomodo fieri poteſt vt hoc tormentum priuationis diuinæ viſionis, tam graue & acerbum ſit, vt ipſa etiam gehennæ incendia vincat?

Videretur enim mihi ſi ſupplicium ignis ab-

esset, hanc priuationem facilè toleraturus, præsertim cùm neque in hac vita Deum vnquam viderim, neque illam Dei visionem tãti fecerim, quãti gehennæ ignem, quẽ maximè semper reformidaui. Subtilis & curiosa est hæc interrogatio, cui quantum in me est, respondere conabor.

Cur damnatis plus cruciatus sit diuinæ visiõis priuatio, quam ipsa gehenna.

SS. Patres, & Theologi, plurimas adferunt rationes, quibus confirment diuinæ visionis priuationẽ esse tormentũ multò maius, perpessione ignis æterni, quas modò, q̃a subtiliores & difficiliores sunt omitto, hac vna retenta, quæ hanc dubitationem sufficienter vobis eximet. Audite.

Summũ cruciatum ex diuinæ visionis priuatione homo sentiet, quia tunc constitutus erit in tali statu, vt aptus & habilis sit ad contẽplandam diuinam maiestatem: ideoq; illius priuationem, super omnia alia tormẽta ægerrimè feret: Et quia in præsenti vita, tali in statu necdum est, idcirco pluris facit ignis pœnã, quàm illam priuationem. In altera verò maiorem ex diuinę visionis priuatione, quàm ex igne cruciatum capiet.

Difficilia intellectu hæc fortasse nonnullis videbuntur, quare illustrabo similitudine, vt cunctis manifestiora fiant.

Quemadmodũ puer, dũ adhuc vtero materno concluditur, parui facit videre solis splendorem, diei lucẽ, atq; mundi huius pulchritudinem: & si tum ratione atq; intelligentia vti posset, multò ægrius ferret illam inclusionem in visceribus matris, quam priuationẽ visionis harum rerum. Hoc autem idcirco fit quia tunc in tali statu degit, in quo ad earum

Simitudine illustrat.

visionem aptus & habilis non est. At quando in hāc lucē editur, mutat statū, & idoneus ad ea inspiciēda redditur. Quare si postea in adulta ætate ab eo percuncteris, vtrā harū duarum pœnarū malit eligere, vel visione splendoris Solis, venustissimæ lucis, ornatus mūdi, pulchritudinis creaturarū, admirādæq; rerū varietatis carere: vel ita concludi atq; conuolui, quēadmodū vtero matris inclusus & cōuolutus fuit? Respōdebit se hanc q̄ illā pœnā malle subire: eo quod minoris cruciatus, ac molestiæ illa sibi futura sit: Sensit idem Tobias cæcus, qui cum aptitudinem hanc lucē intuendi accepisset, & eā aliquando intuitus fuisset, nunc verò propter cæcitatem eam vltra
Tob 5. cernere nequiret, ait, *Quale gaudium est mihi, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?*

Ita & homo dum in præsenti vita degit, est veluti fœtus vtero huius mūdi inclusus, & eo
Exod. 33. in statu quo idoneus nō est contēplari gloriā Dei: iuxta illud. *Non videbit me homo & viuet.* Ideoq; nō affligit eum tantoperè visionis huius priuatio, quantoperè vel minimus præsētis vitæ cruciatus. At in altera vita mutabit statum, & quodammodo ex huius mūdi vtero ad nouam vitam procedet: in hoc autē statu aptus & idoneus erit ad videndum Deum, ad contemplandam immensam lucem gloriæ ipsius, ad intuēdam pulchritudinem Paradisi. Ac proinde, si homo propter scelera sua, hac visione priuari se animaduertat, multò maius inde sentit tormentum, quàm si cum damnatis in æternis gehennæ ignibus, colligetur & includat̄. Videtis ergo multò maiorē reprobis hanc pœnam damni, seu diuinæ visionis pri-

priuationem futuram, quàm vel ardentissima gehennæ incendia. Addam & aliam similitudinem, vt meliùs intelligatis. Attendite.

Quemadmodum si quis quoad gradum & statum proximus sit ad obtentionem vel Regiæ dignitatis, vel summi Pontificatus, in se verò atque socordia sua, defectum extitisse, ne tantum honoré consequeretur, videatur tam vehementem inde animi dolorem concipere, vt se deinceps tota vita sua tranquillari nequiret: adeo vt hæc maxima pœnarum, quas in hoc mundo pati posset futura sit. Cùm è contra alius, qui ad hanc dignitatem idoneus aut habilis non sit, nullam ex eius priuatione sentiret animi molestiam. *Alia itē similitudine.*

Ita etiā reprobi, cùm se viderint in altera vita & in statu, quo obtinere possent regnum cœlorū & fœlicissimam æternæ gloriæ beatitudinem, cōstitutos, seq; sua culpa hac beatitudine priuari aduerterint, tam vehemēter animo cruciabuntur & angētur, vt nullam in sempiternum admissuri sint consolationem; adeoq́ue dolor hic animi omnia alia supplicia, quæ in corpore pati possent, superaturus sit. At dum in præsenti vita degunt, cùm non sint in statu idoneo & habili ad hanc dignitatem perueniendi & contemplandi Deum & gloriā eius, ex illius priuatione, nullum sentiunt cruciatum. Perspicitis ergò maioris pœnæ illam à Deo separationem peccatorib⁹ futuram, quàm gehennæ incendia, adeoq; maiorem esse pœnam damni, quam sensus.

Præterea, si vt ait Philosophus, *oppositorum eadem est disciplina*: Ergo si in cælo, Augustino affirmante, *visio est tota merces*: Erit quoque in *Aristot.*

 inferno,

inferno, *Priuatio visionis tota pœna*, id est, omnium pœnarum pręcipua. Ingens igitur supplicium est illud, quod Iudex in hac sententia damnatis infligit: *Discedite à me*. Transeamus nunc ad secundum supplicium, videlicet iniuriarum. *Maledicti*.

S. Aug.

X.

MAgnam certè pœnam sustinet, qui iniurijs atque contumelijs afficitur, & nemini de illis conqueri permittitur: multo etiá maiorem si contumelijs afficiatur is, qui ad mortem ignominiosissimam publico in foro subeundam condemnatus est: hoc. n. nihil aliud est, quam *addere afflictionem afflicto*.

Secunda pœna.

Hinc imaginamini vobis, quanta sit futura pœna reproborum. Quos summus Iudex posteaquam condemnauerit, atque à conspectu suo in omnẽ æternitatem repulerit, iniurijs, cõtumelijs, atque maledictionibus insectabitur. *Maledicti*. Nõ ita faciunt huius mundi Iudices, qui lata in reum damnationis sententia, non modò nullis maledictis atque contrarijs eum proscindũt, sed etiam verbis suauissimis & amabilibus cõsolantur, atque ab alijs consolari curant. Hortantur vt patienti animo hoc supplicium subeat, non enim aliter fieri potuisse sine legum transgressione: profuturũ ei plurimũ hoc supplicium si illud in scelerum suorum satisfactionẽ conuertat, & Deo offerat; imprecantur ei denique diuinam opé ad cruciatus hosce temporaneos virili animo tolerandos: æternamq; beatitudinem optát. At non ita faciet Christus Iudex, sed senteriá in reos promulgandam maledictione cumulabit, *Maledicti*. Quam Iudicis maledictioné,

sequen-

sequentur & aliæ plurimæ inter reprobos, maledictiones.

Maledictionẽ Iudicis comitabuntur & aliæ maledictiones inter damnatos.

Maledicet hic proprio corpori, iste filio, ille patri, alius socio, alius amico. Hic dicet. O sceleratum corpus, sis millies maledictum, quandoquidẽ horum suppliciorũ, mihi causa es: nã propterea quòd tibi satisfecerim, te saginauerim, tibi placere studuerim, tuisq; peruersis cupiditatibus, & inordinatis desiderijs morem gesserim: ecce nunc à Deo repellor, gloriæ ipsius visione atq; fruitione æternùm priuor, ac deniq; ad nunquam finienda gehennæ tormenta condemnor.

Iste filium hoc pacto alloquetur. Maledict⁹ sis tu fili mi, propter cuius immodicum amorem, Domini Dei & meijpsius oblitus fui; vtq; te splendido matrimonio honestarem, plurimisq; diuitijs auctum relinquerem, cõsciẽtiam meam seposui, & aliud nihil maiore cura egi, quam vt opes per fas & nefas, per rapinas, latrocinia, circumuentiones, tyrannidem, vsuras, & contractus illicitos pararem: propter quę modo in has incido miserias, atq; à conspectu Dei & Seruatoris mei eiectus, ad æterna incẽdia migrare cogor. Maledicta sit dies, qua matrimonio coniunctus sum: maledicta hora qua te genui: maledictum illud tẽporis momentum, quo te mater tua peperit. Vtinam tu & illa eodem momento animam exhalassetis & ego vobiscum; nunc certè melius mecum ageretur.

Cõtra verò filius maledicet Parentibus & dicet. Maledicti sitis, Parentes mei scelerati, qui viã Dei mihi nõ demonstrastis; benè agere nõ docuistis: errãtẽ & exorbitantẽ nõ corre-

rexi-

rexiſtis, reprehēdiſtis, caſtigaſtis: imò maliſactionib⁹ meis applaudebatis, & riſu approbabatis. Maledict⁹ ſis pater: qui me hæredē bonorum nō tuorū, malè videlicet acquiſitorū, inſtituiſti: quæ cū tu iuſto iure nō teneres, nec ego iuſtè poterā poſſidere: ad quorū reſtitutionem cùm ego nō minus obligarer quàm tu, attamen tuo exemplo motus, ea non reſtitui. O me fœlicem, ſi talem mihi hæreditatem nō reliquiſſes, non enim bona iniuſtè parta retinuiſſem, nec modò in tantas calamitates incidiſſem. O te maledictum, qui me genuiſti: alienis bonis me ditaſti; vt mundi dominum conſtitueres, cælum mihi abſtuliſti: cauſamq́ præbuiſti, quod nunc à Domino Deo meo ſeparer, ſempiternisq́ ignibus adiudicer.

Num, ô Chriſtiane, de hiſce maledictionibus, quas reprobi mutuò ſibi imprecabūtur, ambigis? Audi Salomonem imò Spiritum ſāctum per os Salomonis, apertiſſimis verbis id confirmantem. *De patre impio, queruntur filij, quia propter ipſum ſunt in opprobriū.* Iſta autem conqueſtio quid aliud erit, quam maledictio, qua filij parentibus maledicent? Omitto nūc innumeras maledictiones, quas filiæ matrib⁹ ſuis, à quibus ad malè agendum atq́ ad corporis ſui proſtitutionem inductæ fuerūt, imprecabuntur. Prætereo alia conuitia & maledicta, quibus puellæ quædam, alijs fœminis ſceleratis, diaboliq́ adiutricibus ac miniſtris maledicēt, quòd ab ijs ad Deum offendendū, ad honeſtatis iacturam faciendam, ad alia deniq́ immania flagitia admittenda, perſuaſæ fuerint. De amicorum tantummodo & contubernalium inter ſe maledictionib⁹ aliquid dicam.

Eccl. 41.

Ami-

Amicus amicum & socius socium hoc modo alloquetur: Sis tu amice ac socie, maledictus maledictione pessima, quoniã sæpenumero suasor & incentor mihi extitisti, ad malas actiones: à quib⁹ me abstinuissem, nisi tu persuasionibus pessimis, & pestifero exẽplo atq; commercio tuo me induxisses. Propter quæ nunc à diuino conspectu arceor, perpetuaq́ue inferni tormẽta subire compellor. Deniq; vt paucis absoluam, vnusquisq; maledicet ei, maledictionibus sæpies repetitis, cuius persuasione vel exẽplo, vel alia quauis occasione ad malè agendum inductus fuit. Et forsitan idcirco diues Epulo, in supplicijs inferni cõstitutus, cupiebat per Lazarum fratres suos admoneri, ne & ipsi descenderẽt in eum locum tormentorum: metuebat.n. ne ad cruciatuũ quos patiebatur cumulũ, accederet etiã propter malum exemplum, quod eis in hac vita præmonstrauerat, hæc pœna maledictionis.

Num de his maledictionibus ab Isaia præmoniti non sumus? Audite Isaiam loquentẽ. *Succensa est quasi ignis impietas, vnusquisque carnem brachij sui vocabit:* ecce maledictionẽ qua vnusquisque corpori suo maledicet, *Manasses Ephraim & Ephraim Manassem.* Ecce maledictionem, quam parẽtes, filij, & amici mutuo sibi imprecabuntur. At multò apertius eandẽ describit regius Propheta Dauid, quando de reprobis loquens ait. *Quorum os maledictione & amaritudine plenum est:* En quam multæ particulares maledictiones, præter generalẽ summi Iudicis maledictionem, reprobos ad sinistram consistentes inuoluẽt. Eant nunc homines carni ac mundo dediti, suumq́ue corpus blandè

Esa. 9.

Psal. 13.

blandè ac molliter tractent, atque illi omnia quæ concupiſcit, indulgeāt. Eant fęminæ laſciuæ, ſuamq́ꝫ carnem delitijs eneruent, ſtibio & ceruſſa depingant, alijsq́ꝫ vanitatibus & ornamentis gratioſiorem reddant: quia tunc eidem maledicent, quòd occaſio fuerit, ſeuerū hunc Iudicē offendendi. Eant parentes, & filijs opes per fas & nefas conquirant: quia tūc quando in has miſerias, filiorum cauſa ſe deueniſſe aduerterint, eis maledicent: & contra filij ipſis, quod bona iniuſtè acquiſita ſibi reliquerint, ad benè agēdum non conſtrinxerint, mala perpetrantes nō caſtigauerint. Eant fœminę laſciuę, & alias ad honeſtatis amiſſioné, pudicitięq́ꝫ iacturā inducant. Eant alij & proximos vel amicos ad immania flagitia admittenda, vel malignis perſuaſionibus, vel peſtilenti exemplo, pertrahant: quia tunc ab illis, horrendis & execrandis maledictionibus ſe impeti audient, atque oēs ſimul à Domino generalem illam maledictionem accipient. *Ite maledicti.* Atq́ꝫ hęc quoad ſecundam pœnā in ſententia Iudicis contentam, dicta ſufficiant, diſſeramus modò de tertia.

Tertia pœna. Nō ſatis erit ſummo Iudici, quod impios à ſe repulerit, iniurijs atq; maledictis onerauerit: adiunget etiam tertium ſupplicium, quod eſt: *In ignē.* Atq; hoc à Theologis appellatur, *Pœna ſenſus.* Itaq; ablegabit illos viuos in ignē, non ad momētaneam exuſtionem, ſed perpetuum cruciatum. Ignis. n. ille ardebit, ſed nō conſumet: inflāmabit, ſed non in cinerē conuertet: cruciabit, ſed nō occidet: immenſum dolorē adferet, ſed vitam non tollet: atque de ſe emittet non ſplendorem, ſed horrorē: non

lucem,

lucem, sed caliginem, non flammam splendidam sed atrum fumum. Non auditis quid S. Bern. Doctor mellifluus, de hac pœna sensus in meditationibus suis differuerit. *Ibi*, inquit, *erunt sic sine fine in luctu & gemitu, procul relegati à beata patria Paradisi, in gehenna nunquam lucem habituri: iuxta quantitatem culpæ pœnam sustinebunt.* O pœnam atrocissimam, omnia supplicia quę nostrum sæculum irrogare possit vincentem. Iudices huius mundi si aliquem reũ ignis exustione è medio tollere decernãt, prius eum vel laqueo, vel pulueris tormentarij admonitione præfocant, & vita spoliant: vel certe si quis S. Ecclesię hostis, in sceleribus suis obstinatus, viuus hoc tormẽtum subeat, ab ignis incendijs facilè interimitur. At Christus summus Iudex, reos omnes viuos igni adiudicabit, atque tali igni in quo, etiamsi optent, emori nequeant. Heu! in illis flammis, diuina voluntate, immortaliter viuent, mortem quidem ardẽtibus votis desiderantes, sed illa fugiet ab eis: iuxta illud. *Desiderabunt mortem & fugiet ab eis.* O dolorem, ô cruciatum intolerabilem, viuum in igne ardentissimo, sine vlla mortis spe torqueri.

S. Bernard.

Apoc. 9.

Hoc supplicium augebit ipsa ęternitas, quæ est quarta pœnarum dãnatis per Christi sententiam infligendarum. *In ignem æternum*: hęc autẽ nihil aliud est, quam desperatio. O qualis est pęna, viuum igne concremari, sine vlla spe in omnẽ æternitatem liberationis. Vnde Esaias. *Quis ex vobis poterit habitare cum ardoribus sempiternis?* Ecquis autem Iudicum huius mundi, sceleratis hominibus æternam pœnã aliquãdo potuit irrogare, qualem summus ac metuen-

Quarta pœna.

Isai. 33.

metuendus Iudex Christus inferre potest? Addo præterea quòd Iudices mundi huius, corpora quidé reorum exquisitis supplicijs torquere ac dilaniare possint, ad animã verò quę spiritus est, pertingere nequeant. At Iudicis huius potestas vlteriùs se extendit, quia etiam in animam seuerè animaduertere, ipsamque torquere valet. Non auditis eum in Euãgelio id contestantem.

Matt. 10.

Nolite, inquit, *timere eos, qui corpus occidunt: animam autem non possunt occidere* hic de terrenis Iudicibus loquitur. *Sed timete eum qui potest & animã & corpus perdere in gehennam?* hic de cœlesti Iudice disserit, qui in vniuersali Iudicio, tremendam illam æternæ mortis sententiam, in animam & corpus simul feret.

Matt. 25.

Discedite à me maledicti in ignem æternum. Hæc sententia, est gladius ille anceps, quem Ioannes in Apocalypsi ex ore Iudicis egredientem vidit.

Apoc. 1.

De ore eius gladius vtraque parte acutus exibat. Qui idcirco vtraque parte acutus esse dicitur, quia vna acie corpus, alterá animam feriet, & vtrique sempiternam mortem inferet. O desperationem. O pœnã duplicem & atrocissimam infœlicium reorum.

Flagella, pœnæ, & castigationes, ó Christiani, quibus Deus in præsenti vita nos sæpenumerò inuisit, sunt tantũmodo sagittæ citissimè prætereuntes, atq; exiguum detrimentũ nobis adferentes: sed futuræ vitæ supplicia eiusmodi nõ erunt, quia nõ modò acri dolore affligent, verùm etiã stabilia & immortalia erunt, sine vlla immutatione. Intellexit hoc Propheta Dauid, qui de prioribus loquẽs ait:

Psal. 76.

Etenim sagittæ tuæ transeunt, de posterioribus verò. *Et vox tonitrui tui in rota.* Quod idem est ac si dixisset.

O Do-

O Domine, infirmitates, annonæ difficultates, bella, pestilentiæ, & cæteræ aduersitates, quas nobis ob scelera nostra immittis, flagella sunt & sagittæ subitò transeuntes. *Etenim sagittæ tuæ transeunt.* At illa vox tonans atq; terribilis, qua homines in die Iudicij percelles & condemnabis, erit in rota, quia nullum habebit finem, sed semper veluti rota conuertetur. *Et vox tonitrui tui in rota.* Accipite vocem illam tonitrui magni in rota. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Et rectè dicit: *In rota*, vt tormẽtorum æternitatem demonstret. Quia quemadmodum rotæ, quia circularis figuræ est, nullum potest assignari principiũ, neque finis: Ita æternitati pœnarum infernalium nullus potest assignari finis, quia sunt sine fine. Quia ergo Iudex reos in ignem ęternum ablegaturus est, ideo Propheta, vt hanc æternitatem monstraret, ait: *Vox tonitrui tui in rota.* Matt. 25.

Quid auditores causæ putatis esse, quod Dominus in sacra Genesi dicens: *Ponam arcũ meũ in nubibus cæli*, nullam fecerit mentionem sagittarum? Vt nimirum significaret, se, dum in præsenti vita degimus, clemẽtissimum ac benignissimum erga nos esse; nec animum habere nos secũdum merita puniendi. Quid n. nocumenti inferre potest arcus sine sagitta? potest quidem primo aspectu terrere, sed nõ ferire. Fratres mei, flagella & animaduersiones, quibus De⁹ in hac vita in nos animaduertit, nihil aliud sunt, quam arcus sine sagitta, quem idcirco ostendit vt terreat, faciatq; homines desertis malis actionibus ad bonas conuerti. Gen. 9.

Sed in fine mundi, deposita omni benignitate, furore inextinguibili succensus, arcum rigoris, tremendæ iustitiæ suæ sagitta instructum proferet, & maxima qua potest vi, in peccatores contorquebit.

Psal.9. Non auditis Dauidem in psalmis id affirmantem: *Arcum suum tetendit, & parauit illum, & in eo parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* Non videtis præterea Dominum in Euangelio sagittam hanc eiaculantem, & omnes improbos, insanabili plaga ferientem? *Discedite à me maledicti in ignem æternum.*

2 Cor.1. Verissimum est, Deum in præsenti vita parum nocumenti nobis inferre, quia est *Pater misericordiarum & Deus totius consolationis*: qui *Esa.48.* etiam in Esaia dicit. *Propter nomen meum, longè faciam furorem meum.* At in die iudicij non benigni Patris, sed seueri Iudicis personam sustinebit: non furorem suum longè à nobis auertet, sed proximè statuet: ac proinde grauiter nocebit. Quando enim sagittæ à longe in aliquem contorquentur, vis earum interualli magnitudine lãguescit ac debilitatur adeoq; parum nocent: at quando è propinquo in aliquem eiaculãtur, quia integram vim retinét, maximum inferunt nocumentum. Ita etiam sagittæ iræ & furoris Dei, quibus in præsenti vita nos castigat, parum nobis incommodare *Prou.15.* possunt, quia de longinquo emittuntur. *Propter nomen meum longè faciam furorẽ meum*: nam de cęlo, quod immẽso à nobis interuallo abest, veniunt. *Longè*, inquit sapiens, *est Dominus ab impijs.* At in die Iudicij erit nobis proxim⁹, *Ezech.7.* & è vicino sagittas suas in nos contorquebit. *De propinquo effundam iram meam*, ait in Ezech.

ac proinde sagitta iræ eius, magno cum impetu veniet, nosq́ insanabili plaga sauciabit. En qualem in nos sagittam è vicino eiaculaturus est. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* O sagittam mortiferam. O plagam acerbissimam. O vulnus insanabile. Verùm non erit hic finis pœnarum. Matt. 25.

X I.

ADiungetur pœnæ ignis æterni & aliud supplicium, quod quintum numerum constituit: aspectus, videlicet monstri horribilis, vmbræ terrificæ, quam simul secum in hisce pœnis torqueri conspicient: *Qui paratus est Diabolo.* O pœnam grauissimã: assiduò ante oculos habere tã horrẽdum & informe mõstrum. Iudices mundi huius nõ exhibent reis, morti adiudicatis mõstra terrifica inspicienda, sed Christi crucifixi imaginem, cor lætificantem, aspectum consolantem, atque afflictum animum quietantem ac roborantem: at ante oculos impiorum semper obuersabitur, terribilis & deformis illa Diaboli larua. *Qui paratus est Diabolo.* Neque hic pœnæ illorũ finem habebunt. Quinta pœna.

Sed sequetur & aliud tormẽtum, nimirum ingrata & inuisa societas, cum qua in omnem æternitatem victuri erunt: nõ enim duntaxat cum Diabolo, omnium infernalium spirituũ Principe, sed etiam simul cum cæteris omnibus eandem vitæ societatem & commercium habituri erunt. *Et Angelis eius.* Ecquis vnquam Iudex in hoc sæculo extitit, qui hoc fecerit, aut facere possit? Iudices nostri, reis mortis supplicium subituris adiungunt homines religiosos, qui eos consolentur, roborẽt, atq; ad Sexta pœna.

meritum mortis supplicium, æquo animo tolerãdum animent. Non ita facturus est Christus. Quia non attribuet illis homines religiosos, sed diabolum cum Angelis suis à quo torqueantur, & cuius aspectu exanimentur. *Qui paratus est Diabolo & Angelis eius.*

Bone Deus; quis horror, quis metus, quis terror erit, assiduò conuersari ac degere inter tam terribiles spirituum laruas: aspicere tam horrenda monstra ante oculos semper obuersantia, atq; in varias sese formas supra modum terrificas & deformes transformantia.

Si magnum nobis terorem incutit, vmbra defuncti alicuius apparens, ideoq; formidamus nocturnis tenebris sepulchra & cæmiteria pertransire, aut cubiculum in quo mortu' aliquis iacet sine lumine ingredi, ne forsitan à spiritu eius terreamur; quis terror, quis tremor noster erit, si inter dãnatos connumerati fuerim', cum nos vndiq; in perpetua illa nocte infernaliũ tenebrarum, innumera multitudine malignorum spirituũ, laruarum turpissimarum, atq; horribilium dæmonum, assumptis, vel ex aere, vel ex illa inferni caligine, vel aliundè corporibus, varias formas induentium, ac sua monstrositate territantium, circumdatos esse conspexerimus? Offerẽt.n. se nobis in specie horrendorum monstrorũ, crinibus passis, acutis cornubus, pectore hirsuto, dorso squamoso, manib' ac pedib' adũcis, cauda serpentina, tridentẽ vibrantes. Exhibebunt se nobis, nigris vultibus, oculis rubentibus, simo siue incuruo naso, ore amplissimo, labris inflexis, dentibus acutissimis mẽto foras prominente, atq; inferius inflexa O

monstra

monstra turpissima. O societatem tremendã. O conuersationẽ horribilẽ, & tamẽ hæc minimè cogitamus, atq; admissorum scelerum pœnitudine tangimur, neq; vitã corrigimus. Audite quid S. Iob de hac damnatorum societate testetur. *Venient*, inquit, *super eos horribiles.* qui autem sunt isti, nisi horrenda inferni monstra? iuxta illud Christi dictum. *Qui paratus est diabolo & Angelis eius.* *Iob.20.*

Hæc erit societas tua, carnalis homo. Hæc erit societas tua, auare, superbe, inuide, detractor, atque vltionis cupide. Hæc erit societas tua, latro, homicida, blaspheme. Hæc erit societas tua, & cõuersatio, quicunq; in præsenti vita malorum societate & conuersatione gaudes. *Qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.* Eia auditores, quid vobis de seuis hisce supplicijs videtur? Similẽne vnquam audistis sententiã? Poteſtne maior homini in hoc mundo pęna irrogari? Heu! tunc Deus vniuersam iram suam in peccatores simul effundet: illã, inquã, iram & indignationẽ, quã modò longanimis ipsius patientia, immẽsa pietas, saluifica crux, sanctissima sacramenta, preces matris eius, & aduocatæ nostræ, Beatis. virginis Mariæ & sãctorum omnium, retinent, ne peccatores, statim post scelus aliquod mortiferũ admisũ, & summam ipsius maiestatem offensam inuoluat: illa tum tota vi omnibus perruptis obstaculis, in oẽs peccatores inundabit, per sententiam illam terribilem. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius.* Verum quoniam ad irati Principis, indignabundam orationẽ, omnes tremunt ac silent, quomodo non etiam ego ad formida-

bilem illam irati cœlestis Regis sententiá cō- tremiscam & silebo? Totus igitur timore perculsus tacebo, & respirabo aliquantisper, vt restaurata tremula voce mea, breuiter cætera quoque terribilia, ad hoc iudicium pertinentia absoluam.

QVARTA PARS.

I.

Terribilis descriptio Iudilij. Apoc. 19.

QVid sublimis ille Euangelista, æterni verbi, multarumq; admirandarum & terrificarum visionum scriptor, in Apocalypsi sua se vidisse testetur, accipite, & contremiscite. *Vidi*, inquit, *cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur fidelis & verax, oculi autem eius sicut flammæ ignis, & vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocabatur nomen eius verbum Dei, & exercitus, qui erant in cœlo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo & mundo, & de ore eius procedebat gladius vtrâque parte acutus, vt in ipso percutiat gentes.* O visionem tremendam ac formidabilem. Attēdite Christiani, diligenter ad singula; in paucis.n. hisce verbis ad viuum qualis Iudex summus futurus, qua forma & methodo ad iudicādū venturus, qualē deniq; sententiam laturus sit, describitur. Quod ad Iudicē attinet, gloriosus in ea forma, qua de sepulchro surrexit, (teste Hieronymo in cōment. in Esaiam,) appariturus est: quæ per equum album, cui S. Ioānes eum insidentem vidit, significatur. Erit fidelis & verax: fidelis in promissa paradisi gloria, omnibus bonis operarijs reddēda: verax in improbis non cum aliqua passione, sed secundum malarum actionum veritatē & merita dijudicandis. Oculos vt flammam ignis,

ſuccenſos habebit, quia ex vultu & oculis videbitur, eum ira & furore inflammatum eſſe, adeo vt aſpectus eius bonis etiam terrorem incuſſurus ſit.

Quod ad formam aduentus ipſius ad iudicandum ſpectat: Veniet veſtitus indumento ſanguine cõſperſo, id eſt, in carne ſua ſancta: quæ vulnerum & plagarum, quas claui, lãcea ſpinæ inflixerũt, cicatricibus inſignita, omnibus erit conſpicua: idq́; partim ad Iudæorum confuſionem, vt eum iudicem ſuum eſſe videant, quem olim factoris inſtar peſſimè atq; iniurioſiſſimè Hieroſolymis & in monte Caluariæ tractatum cruci affixerunt. *Videbunt in quem pupugerunt.* Partim ad malorum Chriſtianorum verecundiam, vt aduertant & recogitent, quam ingrati fuerint, immenſo sũmi huius Iudicis amore, qui ipſorum cauſa vulnerari & plagis deformari non erubuit. Et ſi autem in humana forma, ſanguine rubens, appariturus eſt, erit tamen verus & vnigenitus Dei filius, ab illo ex omni æternitate generatus. Ac proinde S. Ioannes addidit, nomen eius eſſe, Verbum Dei. *Et vocabitur nomen eius verbum Dei.* Vt omnibus Iudæis, gentilibus, hæreticis atque infidelibus demõſtraret, eum qui in cruce poſt plurimos cruciatus & tormẽta, animam emiſit, quemq́; nos Chriſtiani adoramus, eſſe verum Dei filium, adeoque verũ Deũ. Exercitus cœleſtes, qui eũ candido & mũdo byſſo induti, & albis equis vecti ſequebãtur; ſancti, & Angeli erunt. Qui cãdore puritatis & innocẽtiæ ſuę veſtiti formidabilẽ hũc Iudicẽ ſequẽtur. Equi albi ſanctorũ, erũt glorioſa eorũ corpora: quia ante alios ho-

os homines excitabuntur, vt cũ Christo mundum iudicent, iuxta illam promissionem. *Sedebitis & vos iudicantes duodecim tribus Israel.* Angelorũ verò equi, erunt nubes candidissimæ, quibus insidebunt, vt summum Iudicem è cælis ad iudicium instituendum descendétem, assectentur. Quod Euangelium innuit, quando ait. *Cum venerit filius hominis in maiestate sua & omnes Angeli eius cum eo.*

Sententia, quam Iudex in impios promulgaturus est, à S. Ioanne monstratur in illo gladio ancipiti quem de ore illius egredientem vidit, quo in gentes animaduersurus erat. *De ore eius procedebat gladius ex vtraque parte acutus, vt in ipso percutiat gentes.* Ex vtraque parte acutus erit, quia duplicem eis necem inferet, corporis & animæ vtramque simul in æternum ignem præcipitando. Procedet de ore Iudicis, quia ipse sententiam pronunciabit. Vultisne videre gladium hunc de ore illi⁹, ad
Matt. 25. percutiendas gentes egredientem? Ecce illũ. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* O quam lat⁹ hic se nobis offert campus, super hac visione discurrendi atque integram de illa concioné texendi. Sed omissis reliquis, loquamur tantũ de gladio, qui de ore illius processur⁹ est: *Dis-*
Matt. 25. *cedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius:* hic enim maximè ad nostrum facit propositum.

Ira Dei cũ aqua siue flumẽ nuncupetur.

Tremenda illa Iudicis sententia redigit mihi in mentẽ, causã, cur in sacris literis, ira Dei, frequẽter aqua & flumẽ appelletur. Vt in O-
Osee. 5. sea. *Effundam quasi aquam, iram meam*, Et in A-
Apoc. 12. pocal. Ioannis. *Vt eam faceret trahi à flumine.*

Et in

Et in Psalmis. *Flumen Dei repletum est aquis.* Quę loca rectè possunt intelligi de ira Dei. Nã quemadmodũ flumen si ab vtraq; parte altissimis aggerib⁹, ex lapidũ, lignorũ, terrę ac trabium aggestu constructis, includatur, nõ potest amplius extra limites effluere, adeò vt omnibus per ripas iter agẽtibus, liberum & securum permittat transitum: At si idem fluui⁹ paulatim in eam altitudinem excrescat, vt ijsdem limitibus includi nequeat, necessè est vt exundet, ipsosq; aggeres & ripas perrũpat atq; omnia sibi obuiãtia, magno cũ impetu, secum ad mare, quo fertur, trahat. Ita etiam ira Dei, modò duobus fortissimis aggeribus, magnæ videlicet, misericordiæ ipsi⁹, de qua Ieremias: *misericordia Domini, quia non sumus consumpti:* & longanimis patientiæ de qua Paulus: *Patientia Dei ad pœnitentiam te adducit;* inclusa est, atque firmissima trabe saluificę crucis; lignis flagellorum, spinarũ, & lanceæ, quibus vulneratus est; lapidibus sanctissimorum Ecclesiæ sacramentorum, terra deniq; Beatiss. Virginis Mariæ aduocatæ nostræ, atq; sanctorum omniũ, quorum intercessione illa mitigatur, obstructa est, ne pro libitu exundare atq; peccatores, vti iustè merentur, inuoluere possit: ideoq; cunctis liberũ transitum, id est, peccandi potestatem præbet. Sed ea demum in diuino pectore tantum capiet augmentũ, vt amplius cõtineri nequeat, sed perruptis omnibus obstaculis, in homines impios exundet, eosq; & absorbent,

Psal. 64.

Ostenditur id eleganti similitudine.

Thren. 3.

Roma. 2.

O miseri peccatores, in die iudicij aggeres & ripæ, quæ flumen iræ diuinæ hactenus retinuerunt, dissipabũtur. Tunc enim nihil am-

us proderit B. Virginis & Sāctorum intercessio: nihil iuuabunt sacramenta, crux, flagella, spinæ, lancea, claui: sed totam iram suā Deus effundet, quēadmodū antea in Osea protestatus fuerat, *Effundam quasi aquam iram meam.* Et præcipitabit illos in mare amarissimū pœnarum infernaliū. Ecce flumen exundās, & peccatores inuoluens. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Et statuam contra faciem vestram.* Ecce præcipitationem eorum in mare amarissimū pænarū infernaliū. *Ibunt hi in supplicium æternum.*

Ose. 5. *Matt. 25.* *Psal 49.*

O bone Iesu, redemptor mi, pro tua immēsa pietate, munda animam meam à cūctis peccatis, & largire mihi gratiam, nullo vnquam scelere deinceps te offēdēdi, vt in nouissimo iudicij die, ingens iræ huius impetus, in sempiternas flammas me præcipitem nō agat. Videtis igitur quam insigni cū mysterio ira Dei, flumini & aquæ in sacris literis comparetur.

O Christiani, non aduertitis ea de causa nouissimum hunc diem à Sophonia & S. Ecclesia appellari diem iræ: *Dies illa,* inquit, *dies iræ & calamitatis.* Et in Apocalypsi S. Ioannis, diē magnæ iræ ipsius; ibi enim hę impiorum voces ad montes & petras: *Abscondite nos,* inquiunt, *à facie sedentis super thronum, quoniam venit dies magna iræ eius.* O diem terribilem & formidabilem.

Sophon. 1. *Apoc. 6.*

Vbi notate ista S. Ioannis verba, *Magna iræ eius.* Cùm enim comparatiuus supponat positiuum, si in Deo est magna ira, erit quoq; parua. Quæ autem est parua hæc ira? Paruæ iræ indicia de se præbuit, quando Adamum è Paradiso

radiso expulit, Cainum à facie sua eiecit, & profugum esse iussit, mũdum generali eluuione deleuit, Pharaonem cum exercitu in rubro mari submersit, Core, Dathan & Abiron, cum sequacibus, viuos à terra absorberi permisit, sceleratam Pentapolim igne cælitus immisso, exussit; & vt paucis absoluam, omnia flagella, quibus hactenus mundum visitauit, & etiamnum visitat, ad hãc paruam Dei iram pertinent. Magnam verò tunc ostendet, quãdo impios omnes ad sempiterna incẽdia ablegaturus est, dicens. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Hinc S. Chrysostomus ho. 38. in Matth. ait. *Pœnæ quæ hic sunt, non sunt comparandæ ad æternas pœnas.* Dicam adhuc excellentius aliquid de magna hac ira. *S. Chrys.*

Quid causæ esse putatis, auditores, quod Deus in sacris literis, Sol nominari voluerit? vt in *Timentibus nomẽ eius, orietur Sol iustitiæ, Christus Deus noster.* Et alibi: *Solem nube tegam.* Certè non absq; insigni ratione ita nuncupatur. *Cur Deus in sacris literis Sol appellatur.* *Mal. 4.* *Ezech. 32.*

Nam quemadmodum Sol, dum vapores humidos & frigidos in terra excitat, (vti philosophis notum est,) nonnunq̃ vapores quosdam calidos & siccos simul generat, qui solarium radiorum vi, simul in altum, ad mediã vsque aeris regionem sustolluntur, ibiq; vapores humidi & frigidi in nubes conuertuntur, calidos & siccos vapores in se concludẽtes: quare isti constricti & pressi à contrarijs suis qualitatibus intra nubes huc illucq; discurrunt, exitum quærentes atq; in motu hoc accendũtur, nubibusq; paululum patefactis, foras erumpentes, tonitrua & fulgura, quæ cęlo tempestuoso videm⁹ & audimus generãt. *Ostẽdit hoc eleganti similitudine.*

At

At quando isti vapores calidi & sicci, nim diu intra nubes manent conclusi, adeo con densantur, vt concrescant in sagittas igneas & fulmina, quæ postquam nubes magno cum impetu disruperint, in momento ad hęc inferiora delabuntur, atq; magnā stragem & ruinam in his quæ contigerint, edunt. Priora illa tonitrua & fulgura, ex vaporibus breui tempore inclusis generata, nonnullum quidē terrorem hominibus incutiunt, sed nullum adferunt detrimētum. At posteriora illa fulmina, ex vaporibus lōgo tempore inclusis orta, ingenti cum furia nubes ex inopinatò effringunt, atq; ima hæc petentes, incendunt, necāt, euertunt, & solo coæquant, omnia quæcunq; sibi resistentia inuenerint.

Ita etiam Deus, summus Sol, duo vaporum genera suscitat. Vnum frigidum & humidū, id est, pietatis suæ, quæ in nubes misericordiæ conuertitur, atque in nos diuinæ gratiæ rorē atq; imbrē pluit. Alterum calidum & siccum, id est, iræ suæ, quæ dum in præsenti vita sum, nubibus misericordiæ inclusa manet, ac quoties homo scelere aliquo se obstringit, foras erumpere, atq; in peccantem seuerè animaduertere cuperet, sed retinetur à nube diuinæ misericordiæ, iuxta dictū illud Habacuc prophetæ: *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Quare aliud nihil efficit, quàm quod tonet ac fulguret.

Habac. 3.

O Christiane, persecutiones, tribulationes, miseriæ, & calamitates, quibus Dominus in præsenti vita nos castigat, sunt tonitrua, & fulgura irę ipsius nos terrentia & admonētia, vt recedamus à malis actionibus, & bonas amplecta-

lectamur. Neque possunt dici nociuæ aut dānosæ, si respiciamus finem propter quem à diuina maiestate nobis immittuntur. Sed periculum & detrimentum ingens nobis imminet, quādo eadem ira ipsius, nimis diu manet inclusa, quia in fulmen seueræ iustitiæ cōmutatur.

Fratres mei, ira Dei, in nouissimo iudicij die, propter temporis lōginquitatem, quo in nube diuinæ misericordię inclusa mansit, erit omnino concreta, condensata, & versa in sagittas & fulmen seuerissimæ iustitiæ. Ideoq́ue tunc effringet ac disrumpet totam nubem, id est, misericordiam à se excutiet, nā vti S. Iob ait. *Obliuiscetur misericordiæ suæ*: & maximo cū Iob 24.
impetu, in omnes impios & sceleratos delabetur, ijsq́; sempiternam necem inferet. Audite Esaiam clarissimis verbis hunc fulminis seuerissimæ Dei iustitiæ, in peccatores descēsum, describentem. *Ecce*, inquit, *veniet dies Do-* Esa. 13.
mini crudelis & indignationis plenus, & iræ furorisq́;, ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores eius conterendos de ea. Et Euangelistam multò apertioribus eiusdem fulminis effectū in peccatorum omnium è mundo deletione, terræq́; in solitudinem redactione, depingentem. *Discedite à me maledicti in ignem æternū,* Matt. 25.
qui paratus est Diabolo & angelis eius. Ibunt hi in supplicium æternum, Iusti autem in vitam æternā, ita vt terra in solitudinem prorsus redacta esse videatur.

Cùm ergo Deus vapores suscitet, quorum alij in nubem misericordiæ, alij in fulmen iustitiæ conuertuntur, rectè appellatur Sol. Sed dicamus de hac ira, plus aliquid.

Ira Dei cur in sacris literis nominetur thesaurus.
Rom. 2.
Iacob. 5.
Illustrat similitudine.

Cur existimatis S. Paulum dixisse in Epistola ad Romanos: *Secundum duritiam tuam & impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram, in die iræ.* Et S. Iacobum in Epistola sua Canonica? *Thesaurizatis vobis iram in nouissimis diebus.* O mysticam metaphoram horum SS. Apostolorum iram Dei thesauro comparantium. Magna sanè ratio illos ad hoc permouit. Nam quemadmodum ad thesaurum constituẽdum, vna pretiosa gemma, vnus nummus aureus, vna margarita ingentis pretij non sufficit, sed plures gemmæ, plures nummi aurei, plures margaritę, plura vasa aurea & argẽtea requiruntur;

Vt nobilis aut diues aliquis thesaurum sibi accumulet, hodie rem aliquam magni pretij, cras aliam sibi comparat. Hodie aliquot nummos aureos, cras totidem, perendie margaritum quoddam pretiosum, & ita deinceps thesauro suo adijcit, quo fit, vt paulatim in scrinio suo multarũ rerum pretiosarum thesaurum inęstimabilem sibi congreget: quem postea cùm magnificentiam suã ostentare vult, aperit: & intuendum proponit. Eodem modo S. Paulus & S. Iacobus aiunt peccatorẽ sibi congregare thesaurum irę in diuino pectore. Peccat ille, & quoniam Deus tacet, nec in eũ animaduertit, expectando illum ad pœnitentiam, alia subinde scelera prioribus cumulat. Deus quidem ad singula peccata irascitur, & quantò magis ille peccatum peccato cõiungit, tantò maiorem iræ cumulum in diuino pectore sibi coaceruat, donec magnũ thesaurum inde cõstituerit: sed Deus donec in præsenti vita peccator degit, sub clauibus infinitę patientiæ suæ illum conclusum tenet.

Veniet

Veniet autem, ô infœlix peccator, aliquando dies vna, in qua Deus ad publicam illum proferet ostentationem, & effractis patientiæ seris, toti mundo ad perpetuam cõfusionem & ignominiam tuã, illum demõstrabit. Quæ autem erit ista dies? Testatur vterque Apostolus, eum futuram esse nouissimã vniuersalis iudicij diẽ. Obseruate diligẽter singula ipsorũ verba, & ea quę dico, verissima esse cognoscetis. Ait S. Paulus. *Secundum duritiam tuam & impœnitens cor tuum:* hæc est peccatorum ad peccata accumulatio, per obstinationem & perseuerantiam in malis actionibus: *thesaurizas tibi iram.* iste est thesaurus iræ, quem peccator in diuino pectore sibi congregat & reponit: *In die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei.* Hæc est prolatio atq; ostentatio thesauri huius in die Iudicij. Idem voluit S. Iacobus dicere, quando ait. *Thesaurizatis vobis iram in nouissimis diebus.*

O thesaurum nõ ex auro, gemmis, margaritis collectum, qui cõgregantis animum lætificet, sed ex ira, furore atque indignatione cumulatum, qui cor, animã, & corpus simul cruciet. Nõ aduertitis quomodo Dominus in die iudicij pectus suum reseraturus, & thesaurum hunc in conspectu ac præsentia totius mundi prolaturus ac publicaturus sit? *Discedite,* inquiet, *à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius.* Matt. 25.

O qualis est hæc sententia, quale statutum, tam ingenti cum ira & indignatione aduersum peccatores pronunciatum. *Statuam,* inquit apud Prophetam, *contra faciem vestram.* quale autem futurum sit hoc statutum decla-

Matt 25. rat Euangelium, dicens: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Quod idem ac si diceret.

Discedite à me, velociter. *Maledicti*, ignominiosè. *In ignem*, dolorosè. *Aeternum*, desperatè. *Qui paratus est*, antiquitus. *Diabolo*, propriè. *Et Angelis eius*, consequenter.

Discedite à me, flebiliter. *Maledicti*, probrosè. *In ignem*, ardenter. *Aeternum*, irreuocabiliter. *Qui paratus est*, diuinitus. *Diabolo*, merito. *Et Angelis eius*, confusim.

Discedite à me, mæstè. *Maledicti*, contumeliosè. *In ignem*, pœnaliter. *Aeternum*, inconsolabiliter. *Qui paratus est*, infernè. *Diabolo*, specialiter. *Et Angelis eius*, horribiliter.

Discedite à me, O velocitatem. *Maledicti*, ô vituperium. *In ignem*, ô dolorem. *Aeternum*, ô desperationem. *Qui paratus est*, ô iustitiam. *Diabolo*, ô monstrum. *Et angelis eius*, ô confusionem.

Discedite à me, ô discessionem. *Maledicti*, ô infamiam. *In ignem*, ô tormentum. *AEternum*, ô planctum inconsolabilem. *Qui paratus est*, ô curam. *Diabolo*, ô horrorem. *Et Angelis eius*, ô inordinationem.

Discedite à me, ô separationem. *Maledicti*, ô contumeliam. *In ignem*, ô ardorem. *AEternum*, ô impatientiam. *Qui paratus est*, ô tenebras. *Diabolo* ô terrorem. *Et Angelis eius*, ô societatem.

Quid vobis videtur, auditores, de magno hoc iræ thesauro? Eamobrem Regius Propheta Dauid omnes ad considerandum hũc thesaurum, atq; expendẽdum hunc iudicij diem commonefacit: quãdo in fine picturę suę qua iudicium vniuersale deliniat, subijcit, dicens:

Intel-

Intelligite hæc qui obliuiſcimini Deum. O Chriſtiani, ô fratres, cur non vt minimum ſemel in die tremẽdum hoc iudicium, cum animo veſtro pertractatis, atq; vobis ante mentis oculos proponitis? id namq; magnum vobis, ad vitam piè inſtituendam, adferret vtilitatem.

II.

CVr enim putatis Prophetam his verbis, vniuerſam iudicij deſcriptionem concluſiſſe. *Intelligite hæc qui obliuiſcimini Deũ?* Nulla certè alia ex cauſa, niſi vt noſtris vtilitatibus cõſuleret. Quia cum animis noſtris reuoluẽdo, quòd hoc iudicium contra nos ſpeciatim ſi peccatis obſtricti fuerimus, inſtituendũ ſit, peccata fugere, vitam corrigere, moresq; in melius mutare ſatagimus. *Iudicij extremi conſideratio plurimum prodeſt ad vitæ emendationem.*

S. Iob tantoperè extimeſcebat hoc iudiciũ, vt ſola illius cogitatione terreretur, & diceret. *Quid faciam cum venerit ad iudicãdum Deus? Et cum quæſierit, quid reſpondebo illi?* S. Ioannes dilectus Domini, quando per reuelationem iudicium hoc didicit, atq; in viſu Iudicem oculis ſcintillantibus, & gladium ancipitem ore vibrantem conſpexit, tanto timore correptus eſt, vt exanimis in terram corrueret: *Cum vidiſſem eum*, inquit, *cecidi ad pedes eius, tã quam mortuus*. S. Hieronym. in tam continuò huius iudicij metu verſabatur, vt ſiue cibum, ſiue ſomnum caperet, ſiue aliud quid ageret, ſemper ſibi audire videretur vocem Domini, ad iudicium vocantis. Vnde ait. *Siue comedam, ſiue bibam, ſiue dormiam, ſiue aliquid aliud faciam, videtur mihi reſonare in auribus meis vox illa terribilis. Surgite mortui, venite ad iudicium.* Et cõment. in Euang. Matth. *Quoties*, inquit, *diem iudicij*

Iob 21.

Apoc. 1.

S. Hieron.

dicij cogito toties corde & corpore contremisco. S. Cyprianus vitæ integerrimæ atque sanctissimæ vir, qui iam pro Christi amore in sãguine suo quodammodo rebaptizãdus erat, in carcere constitutus tãtoperè iudicium hoc formidabat, vt tormenta sibi imminentia paruipenderet, atque ipsam mortem, quam mox subiturus erat, in cõparatione timoris huius, nihili duceret: ideoque in carcere lachrymãs clamabat:

S. Cyprian. *Væ peccatis meis, cùm monti dicturus sum, vt cadat super me.* Si viri isti sanctissimi tam ingenti metu, ad solam huius iudicij, & irati Iudicis vultus memoriam, concutiebantur, vt Dauid de

Psal. 69. illis dicat: *Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra*, id est, homines sancti, qui rectè excelsis mõtibus propter vitæ perfectionem & celsitudinem comparantur, quando secum iratũ summi Iudicis vultũ cogitãt, non aliter atque cera ad ignẽ liquefiũt: quo timore nõs peccatores, ad illius cogitationẽ concuti oportet? Si illi tantoperè iudiciũ, in quo sẽntentia secundũ illos pronuncianda erat, expauescunt: quãtoperè nobis impijs & sceleratis, contra quos sententia ferenda erit, nisi vitam correxerimus, idẽ iudiciũ erit expauescendum? O fœlicẽ illum, qui tremendũ hunc diem assiduò memoria retinet, quia benè viuet, timoremque Dei non abijciet.

Fratres mei, quantum fructum recordatio hęc vobis paritura sit, dęmõ minimè ignorat, ideoque totis viribus, omnique conatu ad hoc nititur, vt è mentibus vestris eam tollat, atque hac ratione in omnia vitiorũ genera vos pręcipites agat. Non auditis prophetã de pecca-

Psal. 24 tore dicentẽ? *Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.*

ore. Moxq́; causam subijcientem: *Auferuntur iudicia tua à facie eius.* Quasi diceret. Quoniam dæmonis opera iudicij tui memoria è mente peccatoris tollitur, idcirco omnibus vitijs atque flagitijs contaminatæ sunt semper viæ illius. Quantoperè putatis hac ipsa hora malignos spiritus enit , vt ab hac salubri recordatione iudicij vos abstrahãt, atq; interim dũ loquor mẽti vestræ voluptates, negotia, vel aliquid aliud huiusmodi proponant, ne ex sermone meo timorẽ salutiferũ hui^9 iudicij cõcipiatis.

O Christiani memoria iudicij est frænũ, quo à malis actionibus retrahimur, & quasi adductis habenis frenamur. Est itidẽ stimulus, quo ad bonas actiões moliẽdas vrgemur & exstimulamur. Qui enim hãc iudicij recordationẽ negligit, veluti effrænis equ^9 in omne peccati præcipitiũ, preceps ruit. Audite Chrys. hom. 30. in Ioãnẽ: vbi ait. *Qui Dei iudiciũ obliuiscitur, tanquam fræno abiecto, in præcipitium defertur. Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore,* & causam adfert propheta: *Auferuntur iudicia tua à facie eius.* O recordationem sanctam & vtilem. Idcirco rectè monet Dauid, dicens: *Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum.* S. Chrys. Psal. 49.

Magnus Basilius illud Esaiæ dictum exponens: *Discite benefacere,* monet, vt iudicium extremum semper habeamus præ oculis, veluti pædagogum: *Habete,* inquit, *in oculis terribilem iudicij diem, tanquam pædagogum.* Et certè insigni permotus ratione dicit, *tanquam pædagogum.* Etenim quemadmodum pueri, quando ludimagistrum vidẽt præsentem, in metu sunt, nec mali quicquam, aut quod modestiæ & bonis moribus aduersetur, audent cõmittere. S. Basilius. Simile.

tere. Ita etiam Christianus, si assiduò ante oculos mentis iudicium hoc propositum habeat illiusq; sæpè recordetur, nihil audebit moliri, quod modestiæ ac veræ Christianæ disciplinæ repugnet: atque multò timoratiùs & religiosiùs viuet, quàm is qui hanc memoriam repudiat. Si enim duo essent, quorum vni sæpius corã magni Regis tribunali cõparendũ, atq; de rebus maximi põderis tractandum foret; alteri non item, sed longè à regia dissitus Regis faciem vix vnquam videret, quod rusticanis & ruri educatis hominibus frequẽter euenit: primus ille nonne semper meticulos⁹ & cautus esset, ne quicquam Regia maiestate indignum faceret? Nõne assiduè cogitaret secum, quid factu op⁹ sit, ne vel in causis proponendis, vel responsis reddẽdis, alicubi impingat, & iustã Regis reprehensionẽ incurrat? Vtiq;. Alter verò ab hoc timore solut⁹, nũquid non sine vllo regis metu & sine cura earum rerum quæ ad causas regias, atq; ad responsa reddenda pertinerent, vitã transigeret, suisq; rebus tantummodo vacaret? Ita etiam auditores, illi qui sæpius cogitatione ante summũ cæli Regem assistunt, mente ad formidabile tribunal ipsius ascẽdunt, secumq; cogitant, ad futurum aliquando diem, quo illi sistendi sũt ad suã causam defendendam, in cõtinuo metu versantur, atq; sæpenumerò secum tractãt, quid respondere possint ad interrogata summæ huic maiestati, tali deniq; ratione ac methodo vitam instituunt, vt ab illo reprehendi aut notari nequeãt. At illi qui velut rustici, nũquam aspiciunt gloriam & maiestatẽ Christi Regis nostri, neq; tremẽdum illius iudicium

Simile.

secum

secum reuoluunt, sine aliquo metu viuunt, omnesq; cogitationes & spes suas in hoc mūdo repositas habent, & nulla nisi mundana negotia tractāt. Audite S. Macarium hom. 15. idem affirmantem, vbi sic ait; *Mundus hic, qui sub cœlis est, à regibus vsq; ad pauperes, cùm ignorent gloriam Christi, de rebus tantùm sæcularibus sunt soliciti; nec citò quis in mentem reuocat, diem iudicij. Qui verò cogitationibus ascendūt ad tribunal Christi, vbi est thronus eius, perpetuò stantes in conspectu illius, sunt in continuo metu & tremore, ne quo modo aberrent, ab eius præceptis.* Audite porrò Sapientem in prouerbijs idem attestantem. *Viri mali*, inquit, *non cogitant iudicium, qui autem inquirunt Dominum, animaduertunt omnia.* Idcirco Propheta regius nos admonet, vt, si Dei & salutis nostræ immemores simus, eorum recordari velimus, sæpius in mētem reuocādo tremendum hoc iudicium, & terribilem sentētiam, quæ de ore Iudicis egredietur. *Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat.* Quia cùm ille rapuerit, id est, cum è sepulchris nos ad vitam reuocauerit tremēda illa voce, *Surgite mortui*, nosque ad tribunal suū citauerit dicendo: *Venite ad iudicium*, & peracto examine, sceleribus multis nos inuenerit obnoxios, ideoq; condēnauerit, *Non erit qui eripiat*, eò quòd sententia illa quam laturus est, futura sit irreuocabilis. Redigitur mihi nunc in memoriam locus quidam insignis sacrarum literarum, quē reticere nequeo. S. Iob de peccatoribus loquēs ait. *Conterentur in porta & non erit qui eripiat.* Quæ autem est hæc porta? Vniuersale iudicium, in quo à superno Iudice omnes improbi

S. Macarius

Prou. 28.

Psal. 49.

Iob 5.

Iudicium vniuersale cur nominetur porta.

ita malè affligentur & tractabũtur, vt ſine ſpe exitus, eos ad æterna incẽdia ablegaturus ſit. Et rectè iudicium appellatur porta. Quia quẽadmodum in ciuitatem non niſi per portam patet ingreſſus, ita homo cum corpore & anima ſimul non poteſt ingredi cœleſtem, vel imam illam tartareæ regionis ciuitatem, niſi per iudicium, & ſententiam à Deo latam.

Notum vobis eſt, nos in hoc mundo nõ habere ciuitatem, quę propriè noſtra dici poſſit, iuxta illud S. Pauli. *Non habemus hic ciuitatem permanentem, ſed futurã inquirimus.* Sumus.n. in hoc mũdo velut peregrini teſte Dauide cũ ait: *Aduena & peregrinus ſum ego, ſicut omnes patres mei.* At duæ sũt aliæ ciuitates, quæ verè ac propriè noſtræ ſunt, quas sẽper inhabitaturi ſumus: cælum videlicet, & infernus; Prior ciuitas eſt ſancta, omnibus bonis referta, theſauris locuples, ſplendoribus ornata, gaudijs affluens: de qua Regius Proph. Dau, ait. *Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei.* Altera omnib. bonis caret, cunctis malis & miſerijs eſt plena, tenebris denſiſſimis obſcurata, ſupplicijs acerbiſſimis, & igne flagrantiſſimo referta: de qua idem ait. *Vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate, die ac nocte ſuper muros eius iniquitas & labor in medio eius.* Ad illam itur per ſemitã bonorum operum, & diuinorũ mandatorũ obſeruantiam, iuxta illud Saluatoris. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Ad hãc per tramitẽ vitiorum, diuinorũq; mandatorum neglectũ atq; cõtẽptionẽ affirmante Dauide: *Conuertãtur peccatores in infernum, oẽs gentes quæ obliuiſcuntur Deũ.* Qui cæleſtẽ ciuitatẽ ingreditur, in omnẽ ſæculorum æternitatẽ fœliciſſima vita illic

Hebr. 13.
Pſal. 38.
Pſal. 86.
Pſal. 54.
Matth. 19.
Pſal. 7.

illic perfruiturus est. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Qui verò imam inferne regionis ciuitatem intrat, miseram quandam & acerbam, sed nũquam finem habituram mortem illic experietur. *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Quin & ipsum Euang. (vt interim alia omittamus,) in conclusione, habitatorum vtriusque vtriusq; huius ciuitatis mẽtionem facit: ait .n. *Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autẽ in vitam æternam.* Porta autem per quã cum corpore & anima simul, alterã harum ciuitatum ingressuri sumus vt eam perenniter incolamus, est vniuersale iudicium. Non auditis Salomonem in prou. cum de electorũ Eccles. loqueretur, dicentem? *Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius.* Fructus & præmium laborum eius est cælestis gloria. Hanc dicit Sapiens electis in porta esse conferendã, ibiq; illos pro operibus suis amplissimis præconijs esse celebrandos: id est, in die iudicij. Vultisne videre in hac porta fructum & præmium laborum ipsorum? Ecce illum. *Venite benedicti, possidete regnum vobis paratum ab origine mundi.* Vultisne ad hæc laudes quibus afficiendi sunt, cognoscere? Ecce illas. *Esuriui & dedistis mihi manducare, sitiui & dedistis mihi bibere, nudus eram & cooperuistis me. Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

Psal. 83. *Psal. 48.* *Matt. 25.* *Prou. 31.* *Matt. 25.* *Ibid.*

Venient etiam reprobi ad hãc portam, sed nullis nec præmijs neque laudibus ornabũtur, verũ pœnas sempiternas referent. *Conterẽtur in porta, & nõ erit qui eripiat.* O noster quaterq; fœlices, si per hanc portam ad ciuitatem regni cœlestis transire, nobis concessum fuerit.

rit. O nos infœlices & miseros, si per eam in imam inferni regionem, è qua nunquã exituri simus, intrauerimus. *Conterentur in porta, & non erit qui nos eripiat.* Ecce quam pulchrè cõcordat S. Iob cum Propheta nostro Regio dicente: *Ne quando rapiat, & non sit qui eripiat.* Et cum supremo Iudice reos his verbis alloquente, *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Adferam & alium ex Ezechiele propheta locum, huc optimè quadrantem, qui omnibus peccatoribus, magnum timorem deberet incutere.

Iob 5.

Ezechiel propheta de peccatoribus loquẽs sub metaphora vineæ, quid Deus de illa factu rus sit, his verbis describit. *Nonne radices eius euellet & fructus eius distringet, & siccabit omnes palmites germinis eius & arescet?* Quam spem vitæ & fructificationis habere potest vitis, si euellatur, eradicetur, atque siccetur? nullam planè. Idem dicit Propheta, facturum Deum die quadam peccatoribus; hæc autem erit vniuersalis iudicij dies. Tunc enim extirpabit eos de hoc mũdo. *Radices eorum euellet,* fruct⁹ eorum decerpet, id est, potestatem benè agẽdi, & merita congregandi illis auferet. *Fructus eorum distringet.* Siccabit ramos eorum, id est, virtutes, animiq; externas & internas potentias, è quibus nullam percipient consolationem. *Et siccabit omnes palmites germinis eorum.* Igne deniq; æterno illos comburet, *Et arescet.* Heu: nunquid vnquam grauius supplicium fuit auditum?

Ezech. 17.

Quando Deus diluuium terris immittere voluit, ait; *Delebo hominem, quem formaui à facie terræ.*

Gen. 6.

Non

Non dicit, euellam, eradicabo, sed delebo, succidam à superficie terræ, quemadmodum herbæ vel arbores, dimissis in terra radicibus præciduntur. Quando in superbum Regem Nabuchodonosor animaduertere voluit, ait: *Succidite arborem, veruntamen, germen radicum eius in terra sinite.* Porrò quando herbarum siue arborum radices in terra manent, etiamsi arbores ipsæ abscindantur vsque ad superficiem terræ, bona nihilominus spes superest, quòd rursum germinare, crescere, & fructū proferre possint. At quando eædem radicitùs euelluntur, extirpantur, & siccantur, tota spes perit. Dan. 4.

Ita etiā quando Deus homines in hoc mundo castigat, quodammodo præcidit illos, sed radicem in terra relinquit: at illis castigationibus, quibus in sceleratos homines in die iudicij animaduertet, eos funditus eradicabit & siccabit, ita vt nulla ampliùs de eis spes vitæ vel fruct⁹ proferendi futura sit. Infero igitur, eas castigationes, quibus Deus in hac vita nos punit, nullas esse, in eorum comparatione, quibus in tremendo & formidabili iudicij die in nos animaduertet. Tunc enim, *radices nostras euellet, fructus nostros distringet, & siccabit omnes palmites germinis nostri.* Tunc dicet, *Discedite à me maledicti in ignem æternum.*

Cæterùm antequā sermoni huic finē imponam, declarabo quanam ratione Christi sententia irreuocabilis, inappellabilis, ac semper firma & solida futura sit. Attendite.

III.

QVatuor modis reuocari potest sententia in reum lata, quemadmodum Iurisconsulti Quatuor modis ali-

qua sententia reuocari potest. sulti norunt. Per appellationem ad mai⁹ tribunal: per supplicationem: per falsam querelam per integram satisfactionem. At Domini & Iudicis nostri sententia nullò horum modorum poterit reuocari, ideoq́ irreuocabilis erit.

Ioan. 5. *Christi sententia non poterit reuocari per appellationem.* Nō per appellationem ad maius tribunal, quia nullus inuenitur Iudex, qui Christo superior sit. *Pater omne iudicium dedit filio*. Adhæc, inter Iurisconsultos viget lex quædam, quę hanc quoque impedit appellationem: ea sic habet. *In criminibus notorijs non admittitur appellatio.* At in illo iudicio vniuersa & singula reproborum scelera adeo erunt cūctis nota & manifesta, vt ea quilibet visurus sit in cōscientijs illorum non aliter atque in politissima tabula descripta: teste Hieronymo quiad *S. Hieron.* Oceanum scribens ait: *Aderit dies illa, in qua omnia facta hominis, quasi in quadā tabula picta demonstrabuntur.* Et S. Basilio in tractatu de virginitate, vbi ait. *Omnia facta nostra, non summatim & indigestè cernentur sed omnia veluti in tabula, per partes diligenter expressa intuebuntur.* *S. Basilius.* Quin & eodem loco addit, non modo vniuscuiusque peccata, in die iudicij, tanquam in tabula descripta forent, omnibus conspicua futura, sed etiam modum, viam & media, quibus quisque in ijs perpetrandis vsus fuit. *Reproborū peccata in extremo iudicio cū omnibus circūstantijs cūctis patebūt.* Vt exempli causa: Adulteri alicuius vel fornicarij non modò patebit adulteriū seu fornicatio: sed etiam quomodo de nocte surrexit, quo habitu se vestiuerit ne agnosceretur, quibus passibus incesserit, qua via concubinæ ædes intrauerit, qua arte vt eam ad peruersæ voluntati suę consentiendum induceret vsus fuerit.

fuerit. Audite ipsius magni Basilij verba. *Quomodo ad patrandum adulterium quisque properās è lecto surrexit: quibus passibus incedere visus est: quo motu corporis lentiore an concitatiore: quem habitum, dum progrederetur, assumpsit: & qua ex parte irrumpens alienam vxorem violauit: quo item ordine huic mulier ad opus nefarium se substrauit, hæc omnia velut in tabula expressa cernentur.* Idem fiet de omnibus alijs sceleribus, quæ claré & apertè veluti in tabula descripta conspicientur, adiunctis omnibus circumstantijs & actibus etiam minimis ad ea perpetranda vsurpatis O quanta tunc erit confusio, quantus pudor, quanta infamia hominis peccatoris, cùm in conspectu atque præsentia totius mundi omnia & singula crimina sua, etiam minima & occultissima, modumq; & rationé in ijs admittendis seruatam, in lucem proferri ac manifestari viderit. O peccator cur non sæpè tecum reuoluis hanc intolerabilem cōfusionem, atque scelera tua sanctis pœnitentiæ operibus, & firmo eadem vitandi proposito, deles aut cōtegis? alioqui tantum tibi adferent dedecus & infamiam, vt viuus terra obrui, quàm publicam istam ignominiam sustinere malis.

Simile.

Dic mihi si publicam quandam plateam, in qua innumerabilis populi multitudo cōgregata esset transiret vir nobilis, qui admisisset occultum quoddā crimen, sed adeò enorme, probrosum, & ignominiosum, vt præ verecundia ne ipsis quidé muscis, per aera volitātibus, id cognitum esse velit: atq; hoc scelus, in publica ista platea, in totius populi ibidem congregati frequentia, à quopiam intento in

cum

eum digito manifestaretur, cum omnib⁹ circumstantijs annexis, & arte qua in eo perpetrando vsus fuit, an non vir ille ingentẽ conciperet animo dolorem? an non potius mori, aut à terra sub pedib⁹ dehiscẽte viuus absorberi malit, quàm tot habere sceleris sui immanissimi testes? O peccator, cur non sæpè cum animo tuo, multò hac maiorem quam subiturus es infamiam expendis? Aderit enim aliquando tempus, quo non in vna platea, sed in aperto & illustri theatro vallis Iosaphat: non in præsentia quatuor aut quinq; millium hominum; sed omnium qui vnquam extiterũt, hominum, Angelorum & Dæmonum, intẽto in te digito, omnia scelera tua etiam occultissima, simul cum omnibus adiũctis circũstantijs & artificio, quo in ijs admittẽdis vsus fuisti, manifestabuntur ac publicabuntur. Audi S. Chrysostomum hom. 5. in Epist. ad Romanos dicentem. *Omnia peccata in tàm aperto, tãque illustri theatro denudata, orbi vniuerso palam facta, hominum nobis partim cognitorum, partim incognitorum oculis subijcientur.* Quomodo igitur fieri potest, vt non potius omnia supplicia perpeti, aut viuus à terra absorberi malis, quã adeo ignominiosam omnium scelerum tuorum detectionem sustinere?

S. Chrysost.

Nolite mirari, auditores, quòd scelera nostra etiã minima & occultissima in illo iudicio ab omnibus conspicienda sint, quia virtus diuina id factura est. Illustrabo rem totam similitudine, vt clarior & apertior fiat. Notum est, aerem minutis quibusdam arenulis, quæ à philosophis, atomi appellantur, refertum esse, quib⁹ nõ modò omnia habitacula sub dio exi-

Quomodo fieri possit, vt omnia hominũ scelera singulis conspicua futura sint.

existentiā, sed etiam cubicula accuratissimè omni ex parte conclusa, plena sunt. Hi autē atomi adeo minuti & inuisibiles sunt, vt nemo adeo acuti & perspicacis sit visus, qui ea cernere valeat. At si radius solaris aerem illuminet, aut per fenestras siue fissuras parietum in cubicula penetret, eaque irradiet, statim atomi in maxima copia hac illacque volitantes cernuntur. Hic videtis, ea quę primo conspici nequibāt, à radijs solaribus conspicua & manifesta fieri. Ita etiam peccata nostra quæ sunt quasi totidem atomi, per habitaculum cordis & conscientiæ nostræ, volitantes atq; vagantes, dum in præsenti vita sumus, ab oculo creato cerni nequeūt: At in die iudicij radius diuinæ virtutis, qui omnium hominum corda & cōscientias penetraturus est, faciet, vt clarè atq; distinctè omnia hominum scelera etiam minutissima & occultissima videri possint: idē fiet de virtutibus & operibus bonis hominum iustorum. Audite S. Augist. in l. 20. de ciuitate Dei luculentis verbis id cōfirmantem. *Fiet*, inquit, *virtute diuina, vt cuiusque opera sua, vel bona, vel mala mentis intuitu, mira celeritate cernentur, vt excuset, vel accuset scientia conscientiam.*

Ostendit eleganti similitudine.

S. August.

Et multò apertius S. Paulum in epist. 1. ad Corinth. *Nolite*, inquit, *ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Cernitis igitur, Deum diuina sua virtute facturum, vt tremēdo illo die omnia reproborum scelera, & omnes iustorum virtutes ac bona opera videantur: illorum quidē ad maiorē ipsorum confusionem & verecun-

1. Cor. 4.

diam:

diam : horum verò ad maiorem honorem, gloriam, & consolationem. Porrò addam & aliam similitudinem, vt melius, quæ dixi, intelligatis. Attendite.

Alia simili-tudine idē ostendit. Quemadmodum hyemis tempore, nix quæ terram operit, perinde simetū aliquod, aut cadauer putre atque marmoreas columnas, aut alia elegantis formæ opera, nudo aeri exposita, cōtegit: adeoq; omnia albentia reddit; At quando à radijs solaribus nix in aquā resoluitur, tum primum apparet, quale vnumquodque reuera sit: quòd nimirum illa fœtida atque deformia: hæc vero venusta & pretiosa sint. Ita etiam donec in miseræ huius vitæ hyeme constituti sumus, candida nix externæ siue apparētis probitatis oēs nos ita cōtegit, vt boni ab improbis, iusti à peccatoribus, difficulter discerni queant: quorum illi sunt columnę pretiosissimę: iuxta illud quod de iusto scriptum est. *Faciam illum columnam in templo meo*: Hi vero sunt fimus & cadauera putrida: de quibus per Prophetam dicitur. *Computruerunt, vt iumenta in stercore suo.*

Apoc.3.

Ioel.1.

Gen.19. Quid? Nō videtur vobis iustus Loth, vrbis Sodomæ columna extitisse, quandoquidē nisi ille eam sustentasset, multò ante illam Deus exterminatus fuisset, vti & fecit? Nam quemadmodum si columna, quę ędificiū aliquod sustinet, tollatur, ædificiū totum corruit: Ita etiā iusto Loth, firmissima Sodomorum columna, è Sodomis sublato, statim omnia vrbis illius nefandæ ædificia cōciderunt & subuersa sunt. Eodē modo in die iudicij summus Sol radijs omnipotētis suæ virtutis, niuē soluet, id est, ab hominibus externam probitatis

appa-

apparentiam auferet, ita vt clarè diſcerni valeant iuſti à peccatoribus, probi ab improbis, atque virtutes & bona opera piorum, à vitijs & ſceleribus impiorum. De niue hac liquefacta loquebatur Deus quando ait: *Liquefacta eſt terra, & oẽs qui habitant in ea. Ego confirmaui columnas eius.* Quod perinde eſt ac ſi dixiſſet, Quãdo terra detegetur à niue, id eſt, ab extremo illo cãdore apparentis ac ſimulatæ probitatis: *omnes qui habitant in ea* ſubaudi, *videbantur*: id eſt, omnes homines qui vnquam illum incoluerunt, quales reuera ſint, clarè cognoſcentur, puta, mundi an immundi, iuſti an peccatores. Tum verò, *confirmaui*, id eſt, *confirmabo* (quia in ſacris literis, propter euentus certitudinem, præteritum ſæpè futuri loco ponitur) *columnas eius*, id eſt, homines probos & iuſtos, qui mundi huius columnæ ſunt, in gratia mea confirmabo, & de gloria ſecuros reddã. Quin & improborum, atq; ſceleratorum hominum infamia, turpitudo, immundities, ſimulq; flagitia eorum fœda & putentia, tum detegentur. O quantum ex ſe fœtorem, quantam abominationem, quantam nauſeam exhalabunt. *Pſal. 74.*

Audi, ô peccator, Deum aſſerentem, quòd in die iudicij ſcelera tua patefacturus ſit; & de flagitioſa fędaq; vita tua verecundare. Ait enim *Reuelabo pudenda tua in faciem tuã & oſtendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.* Tria hic ſe manifeſtaturum dicit: verecundiam, nuditatem, & ignominiam tuam. Primum, verecũdiora tua, ſe in cõſpectu omnium, ad ſummam tui cõfuſionem ſe diſcooperturum ait. *Reuelabo pudenda tua in faciem* *Nahum. 3.*

em tuam. Quid autem aliud his verbis innuit, nisi quod scelera tua carnalia, lasciua, luxuriosa, quæ inter homines maximè infamia, probrosa & inhonesta sunt, patefacturus sit? Secundò dicit se omnibus indumentis te spoliaturum, & cunctis gentibus nuditatẽ tuã ostẽsurum esse. *Ostendam gentibus nuditatem tuam,* quib⁹ verbis indicare vult, se omnibus hominibus qui vnquam mundum incoluerũt, occulta scelera tua, quę virtutum & astutię pallio ne ab aliquo cernerentur, hactenus contexeras, demonstraturum. Tertiò inquit se regnis omnibus, quæ tria præcipua sunt: videlicet, Mundus, cælum, & infernus, quorum primũ, homines: secundum, Angeli: tertium, dæmones incolunt, ignominiam tuã manifestaturum. *Et regnis ignominiam tuam.* Id est. Si omnibus hominibus, Angelis & dæmonibus ad tria hæc regna pertinentib⁹, ignominiosa scelera tua, puta blasphemias, sacrilegia, furta, latrocinia, proditiones, aliaq; his similia, patefacturum esse. Itaque ô peccator, ad summum tuipsius dedecus & infamiã omnia tua peccata carnalia, lasciua, turpia & inhonesta in præsentia totius mundi publicabuntur, tibiq; improperabuntur. Omnia ad hæc peccata occulta & secreta, quæ nemini, ne insensatis quidem creaturis cognita esse voluisti, in conspectu hominum qui in terris vnquã fuerunt, sunt & erunt, detegentur atq; in lucem proferentur.

Omnia deniq; peccata tua infamia & probrosa, quę nemini, ne Soli quidem cognita esse putaras, vniuersis, Angelis, hominibus ac dæmonibus nota fient. O quanta tunc confu-

sione

ſione ac verecundia repleberis: tanta certè, vt oculos ad terram demiſſurus, ac præ pudore erigere, auſurus non ſis.

O peccator, qui in ſecreto immania flagitia committis, ac deinde eadem malitię, aut fictæ probitatis pallio tegis, nota diligenter hæc Domini tui verba. *Et oſtendam gentibus nuditatem tuam*, ex illis enim cognoſces, quàm abominabilis toti mũdo ac tibimetipſi futurus ſis.

Non ignoras humani corporis deformis, ſanie diffluentis, vlceribus maculoſi, atq; plagis ſaucij, quamdiu veſtibus contectum eſt, turpitudinem & fœditatem non videri: at ſi idem corpus clara die denudetur, mox tota ipſius deformitas patefit, & cum aſpicientium nauſea, oẽs maculæ ac vulnera quæ à veſtibus abſcondebantur, cernuntur. Ita etiam maculæ & vulnera peccatorum in pręſenti vita clarè in peccatoribus non conſpiciuntur; quia ſingulari cum áſtu & artificio, atque nõnunquam etiam ſub ſimulatæ ſanctitatis pallio ea abſcondunt: At in clariſſimo illo vniuerſalis iudicij die his pallijs ſiue indumentis ſpoliabuntur, tuncq; omnia illorum vulnera, omnes deformitates, omnia ſcelera cunctorum oculis magna cum eorundem nauſea & abominatione, ſubijcientur. *Simile.*

Veniant tibi in mentem Adam & Eua, (primi progenitores noſtri) qui poſt diuini pręcepti tranſgreſſionem, inobedientiæq; ſcelus admiſſum, cùm ſe nudos eſſe cernerẽt, texuerunt ſibi veſtimenta ex folijs ficus, quibus nuditatẽ ſuam operirent. *Conſuerunt*, ait ſcriptura, *folia ficus & fecerunt ſibi perizomata*. Et tamen quando Deus Adamo apparuit, abſcon- *Gen. 3.*

dit se: cumq́ue diceret illi Dominus, *Adam vbi es:* respondit. *Timui & abscondi me, eò quod nudus essem.* Si folijs ficus vestitus erat, cur se nudum esse affirmat? Nudus planè erat, quia intelligebat illum vestitum, qui absente Deo nuditatem illius aliquatenus tegere videbatur præsentia tantæ maiestatis, nihil ad nuditatis suæ velamentum cōferre posse. Ita & tu peccator, nunc quidem simulato virtutum, aliarumq́ue excusationum, puta necessitatis, consuetudinis, mundani honoris habitu, scelera tua contegis, & existimas eos ad tui vestitionem sufficientes esse. Sed ô te infœlicem, magno cum tuijpsius dedecore atq; infamia cognosces, eos non valuisse sufficienter flagitia tua contegere: quando te nudum esse, atq; vniuersa scelera tua cunctis hominibus, Angelis, & dæmonibus, nuda & manifesta esse intueberis. *Et ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.*

O Hypocrita, qui sub humilitatis pallio crimina tua diabolica abscondis: ô auare, qui sub pallio humanæ prudentiæ, impia scelera tua occultas: ô vindictę cupide, qui pallio honoris mūdani flagitia tua belluina circumtegis: ô latro qui pallio necessitatis, furta & rapinas tuas obuelas: ô mulier quæ simulatæ honestatis, aut indigentiæ pallium lasciuis & carnalibus vitijs obtendis: ô quicunque præsides aut dominaris, quiq; sub ementito pallio status tui, omnem tyrannidē, omnem cōtemptū, omnem oppressionem, etiam Ecclesiasticorum, omnia denique ad libitum, tibi licita esse censes: O emptor: O venditor, qui pallio prudentiæ & acuminis, tuas artes & imposturas

posturas obducis; O officialis; O minister, qui pallio extrinsecæ deuotionis, rosarij lectione, horarũ canonicarum aut officij B. Virginis recitatione, missarum auditione, iniustitias, rapacitates & violentias tuas operis: Et vt vno verbo concludã, ô peccator ô peccatrix, qui mũdanę astutiæ pallio flagitia vestra immania cõuestitis, vobis omnib⁹ ego denũcio, imò De⁹ ipse per me vobis denũciat, adfuturum aliquando diem, quo his pallijs spoliati ac denudati, omnia scelera vestra toti mũdo, cælo, & inferno conspicua fient. *Et ostendã gẽtibus nuditatem tuam & regnis ignominiam tuam.*

O confusionem, ô dedecus, ô infamiã. Si, ô peccator, hæc semper tecum expenderes, forsitan de corrigenda & in melius mutanda vita seriò cogitares: vt cum pijs cæleste præmium & honorem, nõ autem cum impiis, gehennæ supplicia, & perpetuam infamiã, consequereris. Cæterum antequam progredior, erit mihi necessariò quædam obiectio tacita hoc loco diluenda, quam non nemo mihi possit obijcere.

Dicet forsitan aliquis curiosior, & speculationibus addictior.

Si omnia hominum peccata, in extremo iudicii die manifestanda sunt ad illorum dedecus & infamiam, ergo etiam multa iustorum crimina patefiẽt; eò quòd nõ pauci ex hominibus iustis & sanctis, qui dexteram iudicis tenebunt, dum in hoc mundo degerent ante conuersionem suã grauissimis sceleribus implicati fuerint: quales extitêre. Dauid. Petrus. Paulus. Matthæus Publicanus. Latro. Euãgelica Samaritana. Magdalena, Maria AEgyptiaca &

ca & alij innumeri. Ergo & illi aliquam sustinebunt confusionē ex scelerum admissorum intuitu? Curiosa planè atq; subtilis obiectio. Sed solutionem illius attendite, dicam enim aliquid, quod magnam cōtritis peccatoribus adferre possit consolationem.

Iustis peccata sua in extremo non cedent ad confusionē sed gloriam. Illustratur id elegāti similitudine.

Respondeo igitur, scelera quidē eorū cunctis cōspicua & manifesta esse futura, non ad infamiā ipsorum, sed potius honorem & gloriam. Illustrabo rē exemplo: Videas nonnunquam, vestem pretiosam, claui alicuius fortuita inhæsione discindi, aut à tinea forari. Eam vestem vt sartor aliquis ingeniosus resarciat, & pristino decori restituat, quid facit? Manū acui applicat, fila aurea vel serica assumit, & docta manu foramen aut scissionis locum venusto aliquo emblemate seu artificio obducit, & venustissimis margaritis atq; gēmis aptè insertis, ita cōtegit: vt foramen seu scissio, vestimento huic non modo nullā addat deformitatem, sed etiam maiorem adiungat pulchritudinē & ornatum. Ita etiam, ô Christiane, corda & conscientiæ nostræ sunt pretiosæ vestes animæ, quas peccati clauus discindit, & iniquitatis tinea erodit. Omne crimē, quod tu, peccator, admittis, foramen siue scissio est, qua cor & conscientiam tuam saucias. Iusti ergo, qui ad dexteram Iudicis in tremēdo illo iudicij die consistent, quamuis in hac vita degētes, plurimis se sceleribus obstrinxerint, attamē quia dū viuerent tanquam prudētes & industrij sartores, filis aureis & sericis, id est, charitate & pęnitentia, atque aculeatæ contritionis acu, eadem foramina & scissuras cōscientiarum suarum, eleganti opere obduxerunt,

runt, pretiosasq; diuinæ gratiæ gemmas eisdē inseruerunt, non modo nullam ex illis cōtrahent deformitatem, sed maiorem etiam decorem & venustatem. Ideoq; peccata magis cedent illis ad laudem & gloriam, quam vituperium & confusionem, eò quod illa tam accuratè cōtegere & expolire nouerint. Hinc est quod S. Paulus ad Romanos scribens inquit: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* Quem locum S. Aug. exponens ait. *Cooperantur in bonum etiam peccata*, quia illa per pœnitentiam sanctam, ardentem charitatem, & diuinam gratiam obducunt atque exornant. Idem Regius Propheta Dauid innuere voluit quando ait: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* O te fælicem & beatum peccator, si hoc modo vestē tuam, cor dico, & conscientiam, resarcire, & scelera tua conuestire & tegere noueris, sic.n. non cedent tibi ad dexteram Iudicis consistenti, ad infamiam, sed honorē. Videtis igitur clarè & euidēter, quomodo iusti, etiāsi in hac vita nonnullis peccatis affines fuerunt, nullā tamē inde passuri sint confusionem aut infamiam, sed potius honorem & laudem, quòd tam prçclari scelerum suorum obducendorū artifices extiterint. Itaq; in tremendo illo iudicij diè tota infamia & confusio in reprobos incumbet, quia eorū scelera omnia nullis ornamentis conuestita, sed nuda & manifesta, totius mundi oculis subijcientur. Atque hinc fiet, quòd sententia per appellationem reuocari nequibit. Quia, *in criminibus notorijs nulla admittitur appellatio*. Verum est igitur illud quod Proph. ait. *Ne quando rapiat, & nō sit qui eripiat.*

Roman. 8.

S. Aug.

Psal. 31.

Sententia Iudicis reuocari non potero per supplicationem.

Præterea non poterit sententia in improb
lata per supplicationẽ reuocari. Quamuis
beata Virgo, & omnes Angeli & sancti cũ
preces huic Iudici pro reprobis, humillim
offerrẽt, non tamen poterunt eũ à rigore su
vel latum vnguem dimouere. Fratres mei, q
in hac vita degimus, aliquod nobis supere
refugium ad iram Dei effugiendam: sed tu
omni prorsus spoliabimur. In veteri testame
to hominibus tria erãt refugia in quibus sal
uabantur: arcam, montem & templum. In ar
ca, Noe diluuiũ euasit: in mõte Loth ab ince
dio saluatus est: in templo, Israelitæ ad mi
aliquo scelere, vitã tuebantur. Hæc tria ref
gia, nos etiam mysticè in præsenti vita hab
mus, vt ab ira Dei quãdo peccato nos obstr
gimus, protegamur. Arca est Christi huma
tas: Montes sunt sancti: Templum est beat
Virgo Maria. Christi humanitas est arca d
uina includens in se omnes gratias, & preti
sum illum sanguinis sui thesaurum, quo mu
dus in libertatem assertus fuit.

Tria refugia erant in veteri le e & totidem sunt in noua.

Sancti sunt mõtes altissimi, propter virtu
tes & merita sua: de quibus Dauid intelligen
dus est, quando ait: *Leuaui oculos meos in mõte
vnde veniet auxiliũ mihi*. Beatissima virgo Ma
ria est templum Spiritus sancti. Quotiescunq
flagitium aliquod admittis, ô Christiane, vt i-
ram Dei effugias atque salueris, ad diuinũ ho
templum, ad hanc misericordiæ matrem, a
hanc peccatorum aduocatã poteris accurre-
re O refugium tutissimum. Huic n. nulla ne-
gatur gratia, sed omnia quæ à Domino postu
lat, impetrat. Præter illam habes, & monte
refugij loco, id est, Sanctos, qui in cœlis pro te

Psal. 120.

fer-

feruentissimas preces fundum: quorum supplicationibus Deus placatus sceleribus tuis facilè veniã tribuet. Omnibus his præstantius remedium est Arca, id est, Christi seruatoris humanitas. Ad quã si confugias, habes in ea sanctissima illa vulnera, quæ patentibus cicatricibus suis pro te has voces ad Deum emittũt: dimitte homini scelera sua, propter quæ clauis & lancea inflicta fuimus: his autẽ pijs vocibus facilè ad cõpassionẽ & veniã tribuẽdã permouetur. O nos fęlices, quibus dũ in hac vita sumus, tã præclara suppetunt auxilia & refugia. At in nouissimo iudicij die, ô peccatorum infœlicitatem, nihil eis proderit, ad sanctissimam hanc humanitatem, ad Christum seruatorem cruci affixum recurrere, quia non erit vltra eorũ aduocatus, sed iudex seuerus. Nihil eis proderit ad Beatissimã Virginem confugere, quia negabit illis suam protectionem. Nihil eis proderit sanctorum opem implorare, quia non erunt amplius peccatorum intercęssores, sed iustæ Iudicis sententiæ in peccatores latæ approbatores: iuxta illud. *Stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt.* Et iuxta illam Dauidis sententiam in eo psalmo, qui iudicij huius manifestam continet descriptionem relatam. *Annuntiabũt cœli iustitiam eius quoniam Deus iudex est.* Hi autem cœli, quid aliud sunt, quam beatiss. Virgo Maria, Angeli & sancti? Qui idcirco rectè appellantur cæli, quia ad cęlum potiùs, quam ad terram pertinent. Isti annuntiabunt, id est, laudabunt & approbabunt æquissimi Iudicis sententiam. *Annuntiabunt cœli iustitiam eius.* *Sap. 5.* *Psal. 49.*

Videtis igitur hanc sententiam, irreuocabilem

bilem futuram; per supplicationem: quia ne minem, qui preces Iudici pro ipsis offerat, re perire poterunt. Imo etiãsi omnes Angeli & sancti vna cum Beata Virgine, vnanimi con sensu pro illis apud hunc Iudicem intercede rent, nihil effecturi essent: vanæ.n. & frustra neæ essent illorum preces. O infœlices, cum viderint se tã excellentibus aduocatis desti tutos. Verissimum est igitur illud Prophetæ. *Ne quando rapiat, & non sit qui eripiat.*

Iudicis sententia non poterit reuocari per falsam quærelam.

Adhæc non poterit illa sententia reuocari per falsam quærelã: asserẽdo videlicet, quòd accusationes nullius sint momẽti: testimonia falsa scripta adulterata: quodq; illam ob causam Iudex in ferenda sententia lapsus fuerit. Quia Iudex iste à nemine circumueniri valebit. Ipse enim, *nouit decipientem, & eum qui decipitur.* Ipse intuetur omnia, scit omnia, cognoscit omnia. *Omnia nuda & aperta sunt oculis eius.* Cùm igitur in iudicio errare aut falli nequeat, non poterit illa sententia per falsam quærelam reuocari. Ac proinde vera est illa Dauidis sententia. *Ne quando rapiat, & non sit qui eripiat.*

Iob. 12.

Heb. 4.

Neque per integram satisfactionem.

Denique non poterit reuocari per integrã satisfactionem. Quia nihil eis temporis vltra ad scelerum satisfactionem, defectuumq; suppletionem reliquum erit: nõ.n. ijs pietatis operibus, quæ Dominus in præsenti vita ab eis requirebat, flagitia sua expiare poterunt. Non valebunt esurientem cibo reficere: neq; sitiẽtẽ potu recreare: quia ipsimet aque gutta egebunt, vt cor suum angustiatũ refrigerent. Nõ nudũ vestibus operire: quia ipsimet nudi corã Iudice consistent. Non peregrinum ho-

spiti-

hospitio excipere: quia domibus & tectis carebunt. Non infirmo succurrere, quia omnes infirmitates, & omnia mala ipsosmet premẽt. Non in carcere constitutum inuisere: quia omnia illorum membra colligabuntur, imò & singuli cum illis, quos in sceleribus socios atque imitatores habuerunt, ita cõstringentur, vt se mouere nequeant, nam propterea in Euangelio dictum est: *Ligatis manibus & pedibus, proijcite eos in tenebras exteriores.* Et. *Alligate fasciculos ad comburendum.* Præterea quomodo poterunt integram hanc satisfactionem ibi peragere, vbi nullus pauper aut egens inter electos futurus est: propter quẽ illis à Christo dici possit? *Quod vni ex minimis meis feceritis, mihi feceritis.* Quæ enim paupertas illic esse valebit, vbi singuli omnium bonorum copiam, regnumq; opulentissimum possidebunt? Nemo illic aderit peregrinus cui hospitium præbeatur, quia hominum ad cęleste regnum itineratio, finita erit: nullus adhæc infirmus, vel incarceratus aderit visitandus: quia non erit amplius, *neq; luctus, neque clamor, neq; vllus dolor, quoniam priora transierunt.* Vnde S. August. in sermonib. *de verbis Domini*: ait. *Tolle famem, cui frangis panem? tolle peregrinationem, cui præstas vestem? Non sit ægritudo quem visitas? Non sit captiuitas, quem redimis? In sæculo futuro non erunt ista mala, ergo nec ista ministeria.* Non poterit igitur reuocari hæc sententia per integram satisfactionem: ideoq; verissimum est illud Dauidis. *Ne quando rapiat & non sit qui eripiat.*

Matt. 22. *Marc. 13.* *Matt. 25.* *Apoc. 21.* *S. August.*

Manebit ergo firma & stabilis illa Christi sententia. *Discedite à me maledicti in ignem æternum,*

num, qui paratus est diabolo & Angelis eius: quæ idem est cum eo quod Propheta dicit, *Et statuam contra faciem vestram.* Fratres mei, quanquã Deus modò tacet, & in nos peccantes nõ animaduertit: notat nihilo secius omnia quæ dicimus, quæ facimus, quæ cogitamus. Et si scelera nostra non correxerimus, atq; ad meliorem frugem nos receperimus: certissimè eandem etiam in nos sententiam dictabit diceto'q;. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* — *Matt. 25.*

I V.

Alloquitur & exhortatur omnes status ad diuini iudicij considerationem.

QVandoquidem ô Christiani, deploratis hisce temporibus, omnes ferè post tergũ huius iudicij memoriam reijciunt, atq; ita vitam instituunt, quasi nũquam de malis actionibus suis, æquissimo Iudici Deo, rationẽ reddituri essent: idcirco ego, ad omnis gradus, status, conditionis homines vociferari, & exclamare cogor: iubente præsertim Domino & dicente: *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum.* Neque tantummodò ad præsentes, eos videlicet, qui me sermocinantem audiunt, sed etiã absentes & longè hinc dissitos. Nihilominus scitote me in toto hoc discursu, & scelerum exaggeratione de malis & improbis dũtaxat loqui: Nam de bonis reuerenter & honorificè sentio. *Intelligite hæc, qui obliuiscimini Deum ne quando rapiat, & non sit qui eripiat.* — *Esai. 58.* — *Psal. 49.*

Imperatores Reges, Principes.

O Imperatores, ô Reges, ô Principes, ô Duces, quibus vrbium & orbis moderandi cura incumbit. *Intelligite hæc.* Intelligite quàm tremendum futurum sit hoc iudicium, examen seue-

seuerum, increpationes metuendæ, sententia inaudita, iustitia summa, pœnæ intolerabiles: Vobis loquor, *Qui obliuiscimini Deum:* qui inquam diuini numinis, cælestis regni, animarũ & salutis vestræ obliti, in vestris imperijs atq; dominijs rectam iustitiam non administratis, oppressiones bonorum, scelera improborũ, humiliationes piorum, & exaltationes flagitiosorum hominũ æquo animo sustinetis: subditos exactionibus & tributis nimijs prǽmitis, & quoad fieri potest exhauritis: debitam industriam non adhibetis ad intelligẽdas ministrorum fraudes, iniustitias, rapinas, crudelitates, tyrannidem atq; sæuitiam: nec in eos, cum in hisce sceleribꝰ inuenti fuerint, ea qua ęquum esset, seueritate animaduertitis. O vos infœlices, aderit aliquando dies vna, qua sũmus Imperator Rex, Princeps, Dux atq; moderator vniuersi orbis, qui vobis omnibꝰ dignitate ac potestate superior, atq; in immensũ maior est, commoto vultu his verbis vos affabitur. *Hæc fecistis & tacui.* Hæc & illa scelera cõmisistis, tolerastis, permisistitis, nunc igitur asperè vos increpabo. *Arguam vos*, multoquè asperiùs puniam *Et statuam contra faciem vestram.* Statutũ quod contra vos pronũciaturꝰ est, hoc erit. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius.* Tunc ô infœlices, optabitis vos potius subditos fuisse, quàm Imperatores, Reges, Principes, Duces. Tunc malletis, vos alijs paruisse, quàm imperasse: seruiuisse, quam dominatos esse: priuatam vitam duxisse, quam regnasse. Sed nihil proderit vobis pœnitentia vestra, quia, *quando rapiet, non erit qui eripiat.*

Intel-

Principes Duces aliosque Dominos feudatarios.

Intelligite hæc qui obliuiſcimi Deum. O Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, cæteriq; Domini feudatarij, qui regnorum, prouinciarum, & vrbiũ adminiſtrationi præeſtis. *Intelligite hæc*: Quæ de vniuerſali iudicio dicta ſunt. Vobis loquor. *Qui obliuiſcimini Deũ*, Qui inquam, diuini numinis, regni cælorum, animæ & propriæ ſalutis veſtræ immemores, ſubditos veſtros tyrannicum in morem tractatis, atq; exactionibus immoderatis emũgitis. Non ſufficiunt vobis opes immenſæ quibus affluitis, modicum etiam quod ſubditi veſtri, in agris, vineis, domibus, armentis, poſſident, eis auferre, vobisq; vſurpare conamini. O impietatem: nonnũquam in eas illos anguſtias redigitis, vt etiam animalia, vomeri, aratro, agriculturæ deſtinata, quibus vtcunq; pauperem familiam ſuſtentabant, vendere cogantur. Bone Deus quæ iſta proportio aut æqualitas eſt? Voſne in omnium rerum copia & vbertate vitam tranſigere & ſubditos veſtros vento duntaxat, & aere paſci vultis? voſne omnia poſſidere atq; illis nihil relinquere cupitis? O crudelitatem, ô immanitatem, ſeruorum ſtipendia, operariorum mercedes, pauperum ſudores, penes vos retinetis; his quibus obſtricti eſtis, nihil redditis, & ab his q vobis obſtricti nõ ſunt, exigitis: nec vnquam alienis bonis & facultatibus ſatiari poteſtis. O illos infortunatos, qui vobis ſuã crediderunt ſubſtantiam, vel enim nihil eis redditur, vel nimietate curſitationum defatigantur: plus millies accedunt ad pallatia veſtra, vt quod ſuum eſt repetant, ſed negatur eis veſtri facultas, reſpondeturq;, vel Dominum non eſſe

præ-

præſentem; vel adhuc ſomnum capere, vel occupationibus neceſſarijs diſtineri: aut ſi loquendi copia detur, vel cum iniurijs & contumelijs dimittuntur, vel craſtina die redire iubentur; quæ tamen procraſtinatio nunquã habet finem.

Et putatis Deum iſta non intueri? non notare? eo quod ad has veſtras oppreſſiones, videatur ſilere? Fallimini, & erratis toto cœlo. Quanquam ſilet, intuetur tamẽ omnia & annotat. O vos infortunatos, veniet aliquando tempus quo abrupto ſilentio, amplius nõ tacebit, ſed in faciẽ vobis ſcelera veſtra exprobrabit, dicetq́; : *hæc feciſtis & tacui.* Iſta & iſta flagitia admiſiſtis, & diſſimulaui. Nunc ergo quoniam patientia mea abuſi eſtis, aſpera oratione vos obiurgabo: *Arguam vos:* & multò aſperioribus ſupplicijs in vos animaduertam. *Statuam cõtra faciem veſtram.* O vos infœlices, qui nunc fœliciſſimos vos eſſe reputatis, tunc in æternum planctum commutabitur veſtra fœlicitas: quia illis annumerabimini, quibus Dominus & Iudex omnium dicet: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius.* Tunc optabitis, vos nulli vnquam dominio præfectos, ſed ſemper ſubditos extitiſſe. At nihil proderit vobis ſera hæc pœnitentia: quia, *quando rapiet, non erit qui eripiat.*

Intelligite hæc qui obliuiſcimini Deum. O Gubernatores, ô commiſſarij, ô officiales, ô vicariæ poteſtates. *Intelligite hæc,* quæ de iudicio Prophetæ, Doctores, Prædicatores & Deus ipſe teſtati ſunt. Vobis loquor, *qui obliuiſcimini Deũ.* Qui poſt tergum reiecto Deo, cœleſti

Gubernatores, cõmiſſarios, officiales, vicarios.

regno,

regno, anima, & salute vestra, summa cum animorum anxietate, admirandisq; cum artibus & astutijs, regimina, dignitates, officia ambitis, vt rapere, spoliare, auferre, per fas & nefas inferiorum opes valeatis. Non tantoperè segetes comburit ignis in agro succēsus: non tantum adferunt detrimentum grādines atque tempestates æstiuæ frumentis ac vitibus, quantoperè nocent, hi Rectores, ministri, officiales peruersæ mentis, ac deploratæ cōsciętiæ, prouincijs, vrbibus, castellis, per quæ trāseunt, aut in quibus officij ergò moram faciunt. O quanti nocumenti, quantæ ruinæ est auctoritas illa malè vsurpata, pauperibus & miseris talium regnorum incolis. Nam sæpenumerò ad nihilum redigūtur, aut certè prorsus exhauriuntur, propter assidua negotia commissariorum & officialium, quotidie foras, ad alia atq; alia loca cursitantium. Et quāquam hæc officia, ab optima & sanctissima Principum mente profecta fuerint, vt hac ratione inordinationibus & confusionibus occurrerent, regniqúe necessitatibus prouiderent, attamen vt plurimum populis, propter sceleratam & auaram ministrorum executorumqúe, qui officijs ex se iustis & sanctis abutuntur, consciētiam, ingentia detrimenta adferunt.

O Rectores, ô ministri auari & rapaces, etiamsi modò malis artibus & astutijs iniquitates & scelera vestra, à Principibus & Dominis à quibus missi estis, abscondatis, adeoqúe merita supplicia effugiatis: nunquam tamen eū cælestem Principem cælare poteritis, *quem latere nihil potest*, quiq; intuetur & scit omnia:

Ade-

Aderit aliquando dies vna, vobis infortunata qua summus Iudex in conspectu & præsẽtia totius mundi, omnes vestras rapacitates, extorsiones, & iniquitates exprobabit, asperis verbis increpabit, & multò asperioribus supplicijs in vos animaduertet. *Arguet vos & statuet contra faciem vestram.* Tunc, ô miseri, dolebitis, vos vnquam officia & magistratus ambiuisse, dignitates cõcupitas obtinuisse & administrasse: quia ad sinistram Iudicis consistetis inter illos, quibus dicetur: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Nec quicquam vobis pœnitentia vestra proderit, quia *Quando rapiet, non erit qui eripiat.*

Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum. O Iudices cuiuscunque tribunalis. *Intelligite hæc:* quæ de formidabili iudicio Christi disserui. Vobis loquor; *Qui obliuiscimini Deum.* Qui diuini numinis, regni cęlestis, animæ ac proprię salutis obliti, propter munera, humanosq́; fauores iustitiam peruertitis, & iniustis quas fertis sententijs, bona sua legitimis possessoribus aufertis, atq; illis, ad quos minimè pertinent, adiudicatis. *Iudices & consiliarios.*

O Iudices iniusti, qui lites & controuersias non prius dirimitis, atque terminatis, quàm magni alicuius lucri spes sese vobis offerat. Eius, qui multa tribuit, causas quam citissimè absoluitis: eius verò qui pauca largitur, tardius: eius deniq; qui nihil impertit, causas vix vnquam inspicere nedum finire dignamini. Diuitum & potentum lites, nullum præter vos, iudicem sortiũtur, aut pauperũ & orphanorum causę tamdiu à vobis prorogantur, vt

sæpe

sæpe ad plurimorum iudicum manus deueniant. Iuxta vestrum iudicium possunt paupres sine incommodo cẽtum annis expectare atq; priùs vitam quã litem finire. Heu, nimi verum est ista à vobis in causis ciuilibus fieri At de criminalibus quid dicam? Crumena suspenditis, non homines diuitũ & magnar crumenarum: pãnos laceros laqueis innectitis, non vestes integras & pretiosas. Et vt apertiùs loquar: Pauperes, qui non habent, quod vobis tribuãt, ad patibula & cruces relegatis: diuites verò à quibus magnam pecuniæ summam possitis abstrahere, tantũmodo (vt vulgari vtar prouerbio) castratis, quia nihil aliud pœnæ illis infligitis, quàm quòd nummos secretò è cistis, scrinijs, crumenis eorum elicitis. O Iudices peruersi, notum est, quòd int vosmetipsos ita dicatis. Innectantur laquei crucibus, patibulis, colla pauperum: & venia in domos nostras crumenæ diuitum, etiam multis sceleribus eos superent. Strangulẽtur aut gladio feriantur, qui non habẽt quo se liberent: viuant diuites, è quibus sẽper aliquid nummorum poterimus abducere. Similes estis pastoribus, qui simplices agniculos ad macellum adducunt, quia nullum ex eis lanę vel lactis fructum capiunt: oues verò quas tõdere, mulgere, & quarũ lac manducare posſũt viuas reseruant. Pauperes enim à quibus nullum pecuniarum fructũ speratis, morti addicitis: diuites verò quorũ opibus frui, quosq; tondere, mulgere, id est, quos facultatibus & nummis spoliare potestis, viuere sinitis. Non hoc volo, vt in pauperes quando propter scelera sua merentur, non animaduertatis, hoc

enim

enim non modò nulla reprehēsione, verùm etiam laude dignum est: sed vt æqua lance vtamini, & vtrisq; pauperibus videlicet, ac diuitibus æqualem administretis iustitiam, iuxta criminum grauitatē. Audite, ô iudices iniusti, quid de vobis Magnus Papa Innocentius in lib. de miseria humana scribat. *Iudices*, inquit, *mali, non attendunt merita causarum, sed pecuniarum; non iura, sed munera; non iustitiam, sed pecuniā, non quod ratio dictat, sed quod voluntas affectat; non quod lex sentit, sed quod mens cupit; non inclinant ad iustitiam animum, sed iustitia declinat ab animo.* Heu, ô vos miseros, veniet aliquādo dies vna, in qua maledicetis diei & horæ, qua gradum & dignitatē iudiciariam ambiuistis & accepistis: Quia summus & æquissimus Iudicum, in totius mundi cōspectu improperābit vobis non modò iniustitias vestras, sed etiam iustitias proprij commodi causa factas, & acribus verbis vos reprehendet, multoq; acrioribus supplicijs vindicabit. *Arguet vos, & statuet contra faciem vestram.* Cōstituet vos ad sinistram simul cum omnibus illis quibus dicet. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius.* Et tunc animaduertetis, meliùs & salutariùs vobis futurū fuisse, si priuatim vobismetipsis vixissetis, quā quòd officia publica gesseritis: Sed nullius vtilitatis erit vobis, vestra hæc pœnitentia & præteriti erroris agnitio: quia, *quando rapiet; non erit qui eripiat.*

Innocentius Papa.

Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum. O Notarij ô, scribæ publici: *Intelligite hæc*, quæ de nouissimo iudicio explicaui. Vobis loquor, *Qui obliuiscimini Deum.* Qui humeris Deo, cœlo, a-

Notarios & scribas.

lo, animæ, & propriæ saluti vestræ obuersis, scripta falsificatis, processus amissos esse fingitis, testamenta & testatoris mentē cōmutatis, instrumēta peruertitis, eadē in necessitate abscōditis, legata pia cælatis, contractus illicitos scribitis, falsa manu vestra simulatas emptiones & fictas vēditiones tegitis, iniustas cōuētiones & pacta, quę admitti nequeūt, eò quod iuri diuino, Canonico, ciuico & imperiali aduersentur, erigitis. Quādo exigēte aliqua causa criminali vel ciuili, informatione egetis, ab altera parte muneribus corrupti, falsā capitis informationē: atq; facti qualitatē ita sæpè inuertitis, vt quale reuera factū est, tale nō amplius esse appareat. Adhęc si manus nūmis aureis vobis benè farciantur, processus immutatis, nouos veteribus abolitis, scribitis, falsos pro veris substituitis: si testimonium in cōtrariam partem faciat, mendaci vestra manu facitis, vt vestrę parti deseruiat: non estis cōtenti pretio à legibus constituto: nūquam scriptū aliquod à vobis auferri patimini, nisi prius tātum pecuniæ, quantum insatiabilis cupiditas vestra deposcit, numeretur. O diabolicas cōsciētias: nō quiret ipse cacodęmō tot inuenire malitias & falsitates, quot adinuenire nostis.

Sed ò homines iniustissimi, veniet aliquando dies vna in qua detegentur in pręsentia omnium Angelorum, hominum, & dæmonū, cuncta flagitia quæ cōmisistis, & fraudes quibus alios circumuenistis, atq; à summo Iudice Deo asperè obiurgabimini, multoq; asperius puniemini. *Arguet vos & statuet contra faciem vestram.* Tum verò optabitis, vos nunq̄ scholas scriptorias frequentasse, literas for-

mare didicisse, pennas attigisse, chartam conspexisse, atramento vsos fuisse: quia ad sinistrã Iudicis statuemini, inter illos, quibus dicetur. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Nec quicquam vobis dolor susceptus proderit: quia, *quandò rapiet, non erit qui eripiat.*

Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum. O Doctores, ô Procuratores, ô Aduocati. *Intelligite hæc:* horrenda, quæ de iudicio dixi: Vobis loquor; *Qui obliuiscimini Deum* : Qui diuini numinis, regni cœlestis, animæ & propriæ salutis immemores, bina simul mala, (vt vulgari vtar prouerbio) comeditis, ab vtraq; litigantiũ parte, vestra hauritis cõmoda: causas omnes siue iustas siue iniustas suscipitis: & quod sceleratius est, eam litem, quam dictante conscientia iniustam esse aduertitis, quamq; ne vt homines quidem politici, defendere possetis ac deberetis, defendendam sumitis. Tota die leges, statuta, canones, glosas, pharaphrases, argumenta, sophismata inquiritis, quibus falsitatem sustentetis, veritatem opprimatis, rectam iustitiam impugnetis, Iudices in errorẽ inducatis, illosq; permoueatis, vt contra puritatem & candorem legum iudicent. Sancte Deus? quis vnquam maius scelus auditu accepit legum studijs idcirco incumbere, vt cõtra bonas leges armeris, iudicesq; ad sententiam contra leges ferẽdam inducas? O homines impij, ô animæ infernales, à clientulis vestris, & alijs quorum causas tuemini, plura sine intermissione exigitis: si autem illi quod cupitis denegent, lentè & oscitanter in causis eorum proceditis, vt hac ratione illos, ad ma-

iorem in vos liberalitatem ac munificentiam excitetis: lites, quãtum fieri potest prolongatis, vt vestrã inde aucupemini vtilitatem. Nõ prius controuersijs finem imponitis, quã crumenam litigantis exhauseritis; & vtinam vel tunc eam terminaretis: at sæpenumerò, non inuenientes quod ampliùs exugatis, omninò derelinquitis. O nigras & deformes animas, dignas diabolico commercio. Veniet vna dies admodum tremenda & atrox, in qua toti mũdo malitia vestra, & rapacitas reuelabitur: atque à summo Iudice vobis acribus verbis multoq; acrioribus pœnis in vos vindicabitur. *Arguet vos & statuet contra faciem vestram.* Tunc autem pleni dolore, angustia & confusione optabitis vos nunquam literis operam dedisse, Bartolum aspexisse, Baldũ euoluisse, Iasonem legisse, foras in publicum prodijsse, curiam & aulas Principum frequentasse: quia ad sinistram Iudicis consistetis in illorum numero, quibus dicet. *Discedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo & Angelis eius.* Sed dolor vester de sceleribus admissis, nullum vobis fructum adferet: quia, *quando rapiet, non erit qui eripiat.*

Medicos & chirurgos.

Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum. O Medici, ô chirurgi. *intelligite hæc*: terrifica quæ de vniuersali iudicio disserui. Vobis loquor, *Qui obliuiscimini Deum*, Qui diuini numinis, cælestis regni, animæ ac salutis propriæ immemores, magis de lucro, q̃ de infirmi sanitate cogitatis. Si ægrum periculoso morbo lãguere, iamq; morti propinquare cernitis, vt aliquãtò plus inde abstrahatis, non exhortamini eum ad rerum suarum dispositionem: neq; v-

sur-

ſurpatis illud Eſaiæ: *Diſpone domui tuæ, quia morieris*, quò nimirum filijs, poſteris, atq; miſeræ animæ ſuæ & conſcientiæ tempeſtiuè prouideat: ſed vana ſpe vitæ illum lactatis, atque tamdiu diſtinetis, quouſque loquela deperdita, neque domus, neque animæ ſuæ negotia curare poſſit. Sicq; vitio veſtro, moritur infirmus indiſpoſitus, atq; cognatis plurimas lites ac diſſenſiones relinquens, ad Dæmonis ſedē atq; domicilium migrat. Si autem non adſit mortis periculum, infirmitatem multò grauiorem quàm reuera ſit, fingitis: & cùm illam breuiſſimo tempore pellere, ægrumq; perfectæ ſanitati poſſitis reſtituere, extrahitis tamē de die in diem curationem, vt maior inde vobis vtilitas & merces accreſcat. Si nonnunquam contingat vos ad infirmum aliquē vocari, cuius ægritudinem non habeatis perſpectam, atque propter animi elationem, ab alijs peritioribus conſilium petere erubeſcatis, in incertum remedia & medicinas præſcribitis, ex quibus tandem infirmus mortem obit, qui forſitā mortem euaſiſſet, ſi alium ſibi medicū acciuiſſet, aut ſi vos alios expertiores in conſilium adhibuiſſetis; cū autem infirmus propter veſtram vel ignorantiam vel ſuperbiam interimitur, ſciendum vobis eſſet, vos ſecundum diuinam legem ad damnum filijs & familię ipſius, per ſuam mortem irrogatum, reſarciendum, non aliter obligari, ac ſi gladio eum peremiſſetis. *Eſa* 38.

Verùm ô vos infortunatos, veniet aliquādo dies vna, vobis duriſſima & infœliciſſima, in qua toti mundo veſtra hæc ignorātia & ſuperbia propalabitur: propter quam etiam à

summo Iudice, asperis verbis obiurgabimini, multoq; asperioribus supplicijs mulctabimini. *Arguet vos, & statuet contra faciem vestram.* Tum verò optabitis vos nunquam inspexisse Galenum, legisse Auicennam, tractasse Hippocratem, atque ipsius artis praxim exercuisse. Quia ad Iudicis sinistram stabitis inter illos, quibus dicet. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius* Nec quicquam vobis proderit, admissorum scelerum pœnitentia: quia *Quando rapiet, non erit qui eripiat.*

Mercatores. *Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum.* O Mercatores, ô Aromatarij, ô Pharmacopæi, ô merciũ quarumcunq; venditores. *Intelligite hæc,* quæ de horrẽdis ac terribilibus magni huius iudicij euentis dixi. Vobis loquor. *Qui obliuiscimini Deum.* Qui diuini numinis, cælestis regni, animæ ac salutis vestræ obliti, proximorũ circumuentores, ac fraudatores facti estis: habetis in domibus seu officinis vestris, bina pondera, binas lances, binas mẽsuras: vnam videlicet ad dãdum, alteram ad accipiendum: quarum illa parca, hæc superflua est: illa minor, hæc maior iusto. Miras in mercibus fraudes exercetis, bonas improbis permiscetis, pessima pro optimis diuenditis: aromata & res medicinales inueteratas, aridas, à vermibus exesas, carnem sentientes, atque omnis virtutis & efficaciæ expertes, pro integris atque perfectis obtruditis: pãnos crassos pro subtilibus, oleum mistum pro puro, frumentum corruptum pro sano, vinum aqua tẽperatum, pro generoso & impermixto: atq; vt vno verbo dicã, merces varijs modis adulteratas

teratas pro sinceris distrahitis, optimasq; esse iactitatis.

Dicite obsecro, cur officinas vestras, linteis ingentibus ante fores expansis, aut peristilijs foras prominentibus obscuratis, lucemq; liberam præpeditis? Putatisne vestras fraudes latere? Nimis illę conspicuæ & notæ sunt ipso etiam Christo manifestante. Non auditis eum dicentem. *Qui malè agit, odit lucem.* Id ergo facitis, quia malè agere statuitis: vt nimirũ hac obscuritate oculos ementis fallatis, eiqúe vnum pro alio vendatis: crassa pro subtilibus, deformia pro pulchris, vilia pro excellentibus, mala pro bonis obtrudatis. O quàm contaminatæ sunt conscientiæ vestræ, qui idem pretium quo subtilia æstimantur, pro crassis: quo pulchra vendũtur, pro deformibus: quo optima & excellentia distrahũtur, pro pessimis & abiectis mercibus, accipitis. Et qua frõte audetis mercatorum nomẽ vobis assumere, si estis impostores, circumuẽtores, deceptores? si crumenas proximorũ magis exhauritis, quàm publici itinerum latrones? Illi nõnunquam transeuntes spoliant, vos quotidie. Illi semel aut bis in mense aut heddomada, vos septies, decies, vicies, trigesies vna die. O latrones ac fures solennes. Quotiescunq; merces pluris diuenditis quàm valẽt, furtum cõmittitis: quotiescunq; illas falsificatis, atque alijs non bonis permiscetis, furtum cõmittitis: quotiescunque merces malas & vitiosas, pro bonis obtruditis furtum cõmittitis. Bone Deus! qua audacia Christianorum nomen vobis assumere, illisqúe vos annumerare audetis, qui legem à Christo latam violatis. Iuxta Chri- Ioan. 3.

ta Christianæ religionis & diuinæ legis placita, obligati estis ad restitutionem omnium, quæ per fraudem auertitis: aut quæ vltra iustã rerum æstimationem accipitis.

Quotusquisque autem vestrûm est, qui ea restituat? artes vestræ ac imposturæ conspiciuntur, sed restitutiones vestræ non videntur? Et tamẽ verissimum est, quòd aliter salutem æternam adipisci nequeatis. *Non enim remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Quàm multa per deceptiones vestras malè acquiritis, nec tamen redditis? O animæ miseræ, nũquid aliqua vobis salutis spes superest? In hoc statu nulla. Nihil hic adijciam de falsis iuramentis, periurijs, imprecationibus in animã, corpus, & filios vestros: in crucẽ Dominicã, sãctorum imagines, sanctos ipsos, Beatis. virginem Mariam, sacrosanctum Christi corpus, atque summam diuinitatem: nullum est iuramentum quod siue verè siue falsò, non sæpius vsurpetis, vt fidem emptoribus faciatis, merces vestras esse bonas, perfectas, & meliores quàm cæterorum mercatorum, vt pluris eas quàm valent, diuendatis.

Forsitan propter vos in sacris literis scriptum legimus. *Non est veritas in terra.* O miseri & infortunati, aderit aliquando dies vna, in qua cunctæ fraudes & fallaciæ, iuramenta & imprecationes, mendacia & blasphemiæ vestræ, palam in totius mundi conspectum proferentur: atque à Iudice Deo seueris verbis, seuerioribusq́ue supplicijs vindicabũtur. *Arguet vos & statuet, contra faciem vestram.* Tum verò optabitis, vos nunquam mercaturã exercuisse, officinã aperuisse, merces aspexisse, ac di-

-ac diſtraxiſſe, quia ſiniſtram sũmi Iudicis vos tenere aduertetis, cum illis, quibus dicturus eſt: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius.* Nec quicquã vobis proderit dolor conceptus, quia, *quando rapiet, non erit qui eripiat.*

Diuites. Vſurarios. Auaros.

Intelligite hæc qui obliuiſcimini Deum. O diuites, ô Auari, ô Vſurarij. Intelligite quæ de metuendo extremo iudicij die, à me dicta fuêre. Vos, inquam qui Diuini numinis, cœleſtis regni, animæ ac ſalutis veſtræ immemores, non modò pauperibus, ſed etiam filijs, vxori, totiqúe, familiæ veſtræ ac vobiſmetipſis, duri & crudeles eſtis, propter auaritiam & tenuitatem, qua neque pro veſtris, neque pro domus indigentia, nummos, quos in arca concluſos reſeruatis, expẽditis. Mauultis ipſimet egere, & familiam veſtram penuriam patientẽ videre, quam vel vnum ſolidum inde auferre. Dicam adhuc ſceleratiora de vobis: Non modò nullam in pauperes & neceſſitatem patiẽtes eleemoſynam erogatis, ſed eſtis egenorũ & calamitoſorum ſanguiſugæ: quia ſudores & labores eorum abſumitis vſuris veſtris, & illicitis pactionibus, non cum eis, ſed cum neceſſitatibus ipſorum contractis, illos exhauritis. O impias cõſciẽtias: qui nõ ſolum pecuniã mutuam, ſed etiam tempus, quãdiu mutuata fuit, vobis reſtitui ac ſolui vultis: ideoq; pro mora quã illi in ſoluendo faciunt, ſæpè plus, quam ipſamet capitalis ſumma ſit, exigitis: & ſic tempus, quod veſtrum non eſt, ſed commune omnibus venditis. O iniquitatem. Cæterùm neq; hic ſcelerum veſtrorũ finis. Quã ſæpè ſoluitis pauperib⁹ & egenis res ſuas mi-

noris quàm valent per pretium anticipatum? dum videlicet ab eis fruméta, messem, sudores'que eorum venturos emitis? Quàm frequéter fructus vestros maturos, messem collectã, vinum expressum ac vasis reconditum pluris quam valeat, diuenditis emptorum respectu? Quàm non rarò eandem ob causam, merces corruptas pro bonis atque perfectis, pretio nihil imminuto distribuitis? O pauperes & infelices, sciédum vobis esset, opes hoc pacto cógregatas nõ esse vestras, eò quod ad restitutionem omnium, quæ supra rei veram æstimationem, quocunque respectu accipitis: & quæ minus iusto in anticipata emptione soluitis, obligati sitis. O animæ inferno destinatæ, cur non auditis magnum illum Patrẽ dicentem?

S. Aug. *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatũ.* Cur non attenditis comminationes Dei clamantis.

Habac. 2. *Væ qui congregat non sua.* O vos miseros, veniet aliquando dies vna vobis infortunatissima, in qua Deus, omnia opera illicita, omnes iniustas emptiones & venditones, omnes vsuras vestras coram cunctis hominibus & Angelis deteget, vobis'que improperabit & dicet. *Hæc fecistis & tacui.* Contra legem meam hæc atque alia in proximi damnũ & animarum vestrarum præiudicium admisistis. Nunc igitur adest tempus malè parta & acquisita soluendi, & scelera vestra supplicijs nunquam finiendis luendi. *Arguam vos & statuam contra faciem vestram,* hæ autẽ reprehensiones erunt asperrimæ: statutum & sententia formidabilis. Tum verò in eas redigemini angustias, vt optaturi sitis vos aurũ & argentum nunquam aspexisse, nec vllam negotiationem tractasse,

sed paucis contentos vixisse, quia ad sinistrã summi Iudicis statuemini inter illos quibus dicet: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius*. Nec quicquam proderit vobis scelerum pœnitentia: quia, *quando rapiet, non erit eripiat*.

Cæterùm quia nimis longum esset, singula hominũ vitia hoc loco perstringere, generatim tãtummodo vitijs omnibus simul connexis, ea attingam, vt inde cognoscatis, quòd *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum*. *Psal.13.*

Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum. O homines gulæ & crapulæ dediti, qui ventrem ad summum vsq; guttur in tabernis atque cœnopolijs iniurgitatis, nec vobiscum expenditis, quantoperè per hoc Diuinũ nomen offendatis, animæq; & toti familiæ vestræ noceatis. O inuidi qui alienæ prosperitati, atque dignitati inuidetis, & quoniam ipsi illis caretis, proximo etiam eas non fauetis. O acediosi, quorũ vnicum & præcipuum studium est de proximis murmurare, vitamqúe illorum notare, & cùm ipsi probi & sancti non sitis, illos dijudicare. *Peccatores omnes.*

O superbi, qui spernitis inferiores, vituperatis æquales, parui facitis superiores, vestimenta supra statum assumitis, Regios animos & spiritus geritis, nec aduertitis, miseri, vos formicas, muscas, & viles vermiculos esse. *Ego vermis & non homo*. O iracundi, qui vindictæ cupiditate flagratis, & iniurias vobis factas occultè vlciscimini: qui posteaquã inimicum vel clãculum nemine vidẽte, vel palã, multis præsentibus interemeritis, gloriamini, tãquã *Psal. 21.*

fa-

facinus eximium & heroicum perpetraueri-
tis. O adulteri, fornicarij, lasciui, qui vel oc-
cultè carnalia scelera committitis, & vos non
videri existimatis, cùm à Deo & Angelis con-
spiciamini; vel in publico, quod summæ est
impudentiæ, atq; nullum vos pro his flagitijs
pœnam subituros, imaginamini. Denique, vt v-
no verbo dicam, ô peccatores, ô peccatrices:
Intelligite hæc, quæ de horrendis, terribilibus,
ac metuẽdis extremi Iudicij euentis disserui;
Qui obliuiscimini Deum. Qui diuini numinis,
cœlestis regni animarum & salutis vestræ ob-
liti, iuxta propriæ voluntatis ductum viuitis,
quicquid collibitum fuerit facitis, omnis di-
uini timoris expertes, nec vobiscum conside-
rantes, an quod aggredimini peccatum sit: a-
deo parum curatis diuinam offendere maie-
statem, sanctissimasque Dei leges violare. Ve-
niet vna dies vobis omnibus calamitosissima,
in qua, præsentibꝰ cunctis hominibus, Ange-
lis, & dæmonibus, à summo Iudice vobis sce-
lera vestra obijcientur, & acribus verbis im-
properabuntur, multoq; acrioribus supplici-
Psal. 49. cijs mulctabuntur. *Arguet vos & statuet contra
faciem vestram*. Tum optabitis, vos omni sola-
tio atq; voluptate caruisse, atque omnia mũ-
di huius incommoda & supplicia tolerasse,
quia ad sinistram summi Iudicis consistetis,
Matt. 25. inter illos, quibus dicet: *Discedite à me maledi-
cti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo &
Angelis eius*. Sed nihil proderit vobis dolor
propter admissa flagitia conceptus: quia *quã-
do rapiet, non erit qui eripiat*.

Cur paucis- Dicet forsitan aliquis. Ergóne oẽs hi status
simi homi- atque hominum genera cœlo carebunt, & æ-
ternis

ternis gehennæ incendijs deputabuntur? Nihil verius si ea quæ dixi faciunt, vitam seriò non corrigunt, peccata non deserunt, pro admissis sceleribus pœnitentiam nō agunt, malè ablata & acquisita non restituunt, damna proximis irrogata non resarciunt, neq; id vla ratione in dubium vocari potest. Replicabit aliquis: Si ita se res habet, ergo omnes homines ad infernum migrāt, vix quisquam ad regna cęlestia: quia omnes qui status supradictos profitentur, istis erroribus obnoxij sunt, cùm tamen nec vllę ab eis restitutiones fiant, neque vita seriò corrigatur. nes ad cæli pertingant.

Hoc falsū est; imo verò inter illos sunt nō nulli boni ad cęleste domicilium migrantes, licet paucissimi, qui seriò à peccatis resipiscūt, vitamq; deinde pijssimam & integerrimam traducunt. Illis autem paucis Deus contentus est, quandoquidem, ipsorummet hominum vitio, plures habere nequit. Dixit enim alicubi. *Multi sunt vocati pauci verò electi.* Matth. 20.

Et quoniam, fratres mei, homines adultos habere nō potest, qui cęlorum regnum possideant ea propter innumeros infantes, antequàm ad vsum rationis & peccandi facultatē perueniant, ex hac vita tollit, (qui multò plures numero sunt ijs, qui ad eundem rationis vsum pertingunt:) atq; his vacuas regni cælestis sedes, è quibus Angeli rebelles corruerūt, implet. Non auditis illum clarissimis verbis id contestantem? *Sinite*, ait, *paruulos venire ad me, talium est est enim regnum cælorum.* Adultos Marc. 10. verò homines, qui diuinas leges & mandata sanctissima à se lata violant, ad inferos migrare patitur, imò sempiternis flammis adiudicat.

cat, dicendo: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius.*

V.

POsteaquam improbi ad sinistram Iudicis constituti ac segregati fuerint, sententiamque dãnationis acceperint, nec de Iudice, nec de alio aliquo, nisi de se conqueri poterint, atque semetipsos accusare, quòd sibi tantorum suppliciorum tantique infortunij causa extiterint. Quis enim iure potest reprehendere agricolam, paleas à bono frumento separantẽ, & hoc quidem in granario conseruantem, illas verò igni comburentem? Ita nec in tremendo illo iudicij die, quisquam poterit arguere Christum Iudicem, aut de illo cõqueri, quòd probos ad improbis veluti triticum à paleis separet, atque illos quidem in cæleste granarium, omnib⁹ bonis affluentissimũ trãsferat: hos verò in ardentissimos gehennæ ignes, sempiternis ibi incẽdijs cruciandos conijciat. Audite S. Chrysost. in opere imperf. in Matt vbi ait. *Quomodo Deum culpemus, qui à fidelibus separat infideles, qui non proficiunt ad gloriam eius?*

S. Chrysost.

Ecquis enim, potest cõqueri de natura speculi, quòd sibi deformitatem suam repræsentet? Nullus planè. Repræsentat enim vnicuique formam suam, qualis reuera est: si pulchra, pulchram; si deformis, deformem. Quamobrem ô Christiane, si te in speculo deformẽ & maculis deturpatum esse vides, nemirẽ accusa, præterquam teipsum: nec de speculo murmura, quoniam id tibi talem exhibet tuæ faciei figuram, qualis reuera est. O Auditores quale putatis futurum esse vniuersale mundi iudi-

iudiciũ? Erit instar speculi, quia oẽs nos, quales reuera sumus, referet; neq; id tantum; sed etiam quales sint actiones nostrę. Itaque exhibebit peccatorem supra modum deformem, multis flagitijs cõmaculatum, & æternis gehennæ incendijs dignum, Audite Gregoriũ Nyssenum, in orationibus suis. *Iustum*, inquit, *iudicium, nostris affectionibus assimilatur, qualiacunque à nobis commissa fuerint, tales nobis de suo præbebit retributiones.* Quare peccatores ad sinistram Iudicis consistentes, posteaquam ad æterna supplicia condẽnati fuerint, non poterunt iustè accusare iudiciũ vel iudicem, sed tãtum seipsos: quòd nimirũ, propter scelera sua, sibimetipsis separationis & damnationis causam præbuerint.

S. Gregor. Nyssenus

Bone Deus, in quantis angustijs & afflictionibus tunc versabuntur miseri, cùm non audebunt aduersum terribilem & tremẽdã illam Iudicis sententiam prouocare? *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Certò mihi persuadeo eos lachrymabundos, & supra modum angustiatos, ad Iudicem se esse conuersuros, eiq; hoc pacto supplicaturos.

Colloquia Christi & reproborum post dãnationis exceptam sententiam, qualia futura sint.

Memento pijssime Domine, quàm multa pro sceleribus nostris expiandis sustinueris: quàm acerbam passionem, & crudelem necẽ, pro illis delendis toleraueris: *Non sit*, obsecramus Domine, *tantus labor cassus*. Noli nos à te repellere, sed propter passionem & mortem tuam, largire nobis scelerum nostrorum veniam, & recipe nos in gratiam, vt labores atq; dolores tui, pro peccatoribus tolerati, nobis etiam prosint. Nosti Domine quantò maiores

sunt

ſunt Domini, tantò etiam maiorem eſſe debere illorum manſuetudinem & clementi[am]. Quis autem maior & excellentior te? Propter magnitudinem & excellentiam tuã ergo, vtere in nos iſta clementia, & ne proijcias nos à facie tua plena gratiæ & gloriæ, quæ Angelos lætificat & cęlos ſerenat. Quibus reſpondebit Iudex. Veniat contra vobis in mentem, quàm impudenter me à vobis dum in mundo vitã ageretis, per flagitia veſtra repuleritis, & ſi nõ
Iob.21. verbis, certè factis dixeritis. *Recede à nobis, ſciẽtiam viarum tuarum nolumus.* Quare nunc æquitas & recta ratio poſtulat, vt eadem vobis mẽſura remetiatur, & à facie mea proiiciamini. Citò igitur, *Diſcedite à me.*

Pergent infęlices illi, & cum intimo animi dolore, amariſſimoq; fletu dicent. O dulciſſime Domine, tu es ille de quo ſcriptum eſt. *Dif-*
Pſal.44. Cant.4. *fuſa eſt gratia in labijs tuis. Fauus diſtillans labia mea.* Quandoquidem ergo nos hodie à facie tua benigniſſima proiicis, da nobis vt minimum, nouiſſimo hoc die, dulcibus verbis aliquam conſolationem: & in hac vltima ſeparatione noſtra largire nobis tuam ſanctã benedictionem, quæ in hoc lamẽtabili diſceſſu erit nobis refrigerii loco. Reſpõdebit Iudex. Nequaquam. Quia cùm in terra vitam traduceretis, benedictionem meam reſpuiſtis, & flagitioſiſſima vita veſtra maledictionẽ quæſiuiſtis: idcirco nunc iuſtè illa tollitur à vobis, hæc verò vobis adhæret: quia ſcriptum eſſe
Pſal.108. noueratis. *Dilexit maledictionem & veniet ei: noluit benedictionem & elongabitur ab eo.* Igitur, *Diſcedite à me maledicti.*

Pergent reprobi flentes atq; gementes, & dicent.

dicent. O clementissime Deus, quandoquidem à facie tua nos proscribis & maledictionibus reples:, ab omni alia saltem pœna nos exime, quia binæ illæ sat graues, atq; ad inducendam animis nostris desperationem sufficientes sunt. Respondebit Iudex . Minimè. Quia dum in hoc mundo degeretis, non voluistis corda vestra amoris mei igne succendere, ad quod S. Eccles. spõsa mea charissima vos inuitabat, dicens: *Flammescat igne charitas, accendat ardor proximos*. Sed illicito carnali, & prophano iniquitatis amore vosmet inflammastis : nam de vobis sacra scriptura loquitur, quando ait: *In synagoga peccantium exarsit ignis*: idcirco nunc rectè pro illo igne, ignis gehenalis supplicium vobis paratum est, *In ignẽ*. Psal. 105.

Sed nec toties repulsam passi, cessabunt à supplicando, sed mæsti inquiẽt. O misericordissime Deus quoniam à facie tua nos repellis, maledictionem imprecaris, & ad ignẽ mittis, hoc saltem nobis gratiæ concede, vt ignis iste vno tantum vel altero die perduret, sic enim, cùm hoc ignis supplicium grauissimum sit, nostra scelera sufficienter punientur , & nobis reddetur tolerabilis nostra damnatio.

Respondebit Iudex. Nequaquam. Offendistis enim Deum qui immensus & æternus est: idcirco iustè æterna vobis pœna debetur, adeoq; ignis qui vos cruciatur⁹ est, sempiternus & immortalis esse debet, non. n. ignoratis de vobis scriptum fuisse. *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur*. Discedite ergo, *In ignem æternum*. Esa. 66.

Pergent illi dolore confecti, & lachrymis suffusi. O dulcissime Domine, quandoquidẽ

præter æternam à te ſeparationẽ, & maledi-
ctionẽ etiam æternis gehennæ incendijs nos
tradis: da nobis ſaltem in iſtis flammis bonã
aliquam ſocietatem, à qua in tantis tormentis
aliquam conſolationem capere, ac bonis ver-
bis roborari valeamꝰ. Reſpõdebit Iudex. Ne
hoc quidem vobis ſolatij impertiar, quia cũ
inter homines in terra degeretis, bonas ſocie-
tates reſpuiſtis, pios & religioſos homines fu-
giſtis, doctrinam meam & ſanctorum virorũ
admonitiones contempſiſtis: non probis, cũ
quibus benè agereris, ſed malis cũ quibꝰ ma-
la patraretis, adhæſiſtis: non imitati eſtis me
Ioán. 13. dicentem: *Exemplum dedi vobis, vt ſicut ego feci,*
ita & vos faciatis, ſed potius patrem veſtrum
Ioan. 8. diabolum; de vobis namq; ſcriptum eſt. *Ex*
patre Diabolo eſtis. Alia ergo vobis ſocietas cõ-
cedi nõ debet, quam illa diaboli, quem ſecta-
ti eſtis. Itaq; diſcedite à me in ignem, vbi ſem-
piterno illius contubernio fruamini. *Qui pa-*
ratus eſt diabolo. O lamentabilem ſocietatem.

Denique adijcient improbi, atque acerbè
plorantes dicent. Pijſſime Domine, quóniam
à facie tua nos proſcribis, maledictionibꝰ cu-
mulas, in ignem æternum mittis, horribilẽq;
& fœdam nobis ſocietatem tribuis: hoc mi-
nimum gratiæ pro immenſa tua benignitate
& humanitate nobis impertire, vt præter v-
num hunc diabolum, alios ei ſimiles non vi-
deamus. Reſpõdebit Iudex, Nullo pacto. De-
di enim vobis dum viueretis in terra, Ange-
los meos in cuſtodes & defenſores: nõ.n.po-
tuit vos latere, homini dictũ eſſe. *Quoniã An-*
Pſal. 90. *gelis ſuis Deus mãdauit de te.* Sed vos, ſcelerata vi-
ta veſtra honoratiſſimis ac nobiliſſimis hiſce
cuſto-

cuſtodibꝰ ſpretis, malignis ſpiritibus adhæſiſtis, dum eorum ſuggeſtiones prompta volũtate adimpleſtis: idcirco nunc iuſtè illis in omnem æternitatem ſociamini. Diſcedite igitur à me in tormenta illa nunquam finienda, cruciandi cum *Diabolo & Angelis eius.*

O quantus dolor atq; animi anguſtia eos occupabit, cùm ex omnibus quæ poſtularũt, ne vnã quidẽ vel minimam gratiam ſibi concedi aduerterint. Certò mihi perſuadeo, infęlices illos, cũ preces ſuas in ventũ cadere, Iudicẽq; ad commiſerationẽ ſuis lamentis nihil inflexum eſſe viderint, ipſos aliam tentaturos viam. Conuertent ſe mæſti & lachrimabundi ad iuſtos dexteram iudicis tenentes, eorumq; opẽ implorabunt dicentes: O fratres & amici chariſſimi: vos eſtis caro & genus noſtrum: Mouemini obſecramus ad commiſerationẽ huius afflictiſſimæ multitudinis. Intercedite pro nobis apud pijſſimum & clementiſſimũ Dominum, quem nos deprecari digni nõ ſumus, vt veſtris orationibus permotus, aliquã earum quas poſtulauimus gratiarum nobis impertiatur: nã quod nobis iuſtè propter ſcelera & impietatem denegauit, vobis quos arctiſſimo amore complectitur, negare nõ poterit. O fratres & proximi noſtri, adiuuate nos pro virili apud hunc Dominum: mitigate irã illius: temperate furorem, ſi non omnino, ſaltem aliqua ex parte, vt aliquid ſuppliciorum ad quæ damnati ſumus nobis remittat. Sed electi ad mœſtas & lamentabiles haſce voces, ſurdi erunt, nec vel vno verbulo cauſam illorum apud Iudicem promouebunt.

Tum verò infœlices ac miſeri, ab omni

ſpe deſtituti, lachrymis ſe totos tradent; atque oculis in cœlum atque in omnes mundi partes ſublatis exclamabunt. O cœli nobiſcū plorate atque ſempiternos gemitus noſtris ſociate. O elementa noſtrarum miſeriarum commiſeratione tangimini. O ignis combure. O aqua ſubmerge: O terra abſorbe nos, ita vt prorſus enecemur, conteramur, atque in nihilum redigamur. O montes, ô colles cadite ſuper nos, necem nobis inferte, & ſub ruinis veſtris æternum ſepelite. *Montes cadite ſuper nos, & operite nos.*

Osea.10. Hæc autem dicendo, afflicti & deſperati, deſcendent ad ardentiſſima gehennæ incendia, in omnem ſæculorum æternitatem, cum dæmonibus ſuſtinenda: *Ibunt hi in ſupplicium æternum*. Quapropter ô Chriſtiani, vitam piè ac religiosè iuxta virtutis ac legis diuinæ pręſcriptum inſtituite, & ſi hactenus flagitioſam fortè vitam traduxiſtis, mores veſtros corrigite, & veram pro ſceleribus contractis pœnitentiam agite, ſic enim æterna tormenta & væ effugietis: atque immortalia cum ſanctis omnibus bona conſequemini, & à Domino iucundiſſimam illam vocem audietis: *Venite benedicti Patris mei poſsidete regnum vobis paratum ab origine mundi*: quod nobis concedat ſummus atq; immortalis Deus, cui eſt honor, & benedictio in ſęcula ſæculorum. Amen.

Matt.25.



R. D



R. D.

GABRIELIS INCHINO CANONICI REGVLARIS LATERANENSIS.

CONCIO DE INFERNO.

HABITA CREMONAE IN ECCLESIA S. Benedicti, feria quinta post secundam Dominicam Quadragesimæ,

IN EVANGELIVM, ERAT QVIDAM diues qui induebatur purpura & bysso. &c. Mortuus est diues, & sepultus est in inferno. *Luc.6.* Anno Domini M. D.LXXIV.

Ducunt in bonis dies suos & in puncto ad inferna descendunt. *Iob.21.*

Conuertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliuiscuntur Deum. Psalm.9.

PROOEMIVM.



Erseuera ô peccator, ô peccatrix, in vitæ infami & scelerata: totum te trade prauis carnis oblectationibus: complace tibi in sensualitate, noxijsque cupiditatibus tuis, ventrem in Deum tibi assume: relictis bonis actionibus, malas amplectere: deserta virtute, vitium sectare: Dei memoriam depone, atque illo post tergum reiecto, salutis animæ tuæ, Paradisi cælestis, Inferni, Dæmonum, ac si omnia hæc fabulosa forent, ne recordare: Vitam duc instar bestiæ, exhauri sanguinem pauperum Christi: pascere carnibus alienis, aliorum, inquam, laboribus, sudoribus, doloribus & ærumnis: opipara conuiuia instrue, induere purpura, aurea & argentea supellectili vtere, atque interim pauperem, pro amore Dei, ad vitæ sustentationem, panis frustum, vel ad cer-

ad corporis nudi contectionem; tritum pallium postulantem, fame ac frigore enecari permitte. Annos vitæ tuæ non vti hominem ratione præditum, eundemque Christi disciplinam profitentem, sed vti Ethnicum & Turcã, imò ipsum cacodæmonem decet, transige: quasi nunquã de sceleratis actionibus, Deo creatori tuo sis redditurus rationem.

Perge inquam scelera sceleribus cumulare, quia demum excipiet ea finis sine fine, pœnæ videlicet infernales, quæ sunt sine fine. Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendide. *Talis est vita peccatoris, quocirca gaude & lætare. Veruntamen finem quoque audi, & toto corpore contremisce.* Mortuus est diues, & sepultus est in inferno. *Canticum etiam & clamorem.* Crucior in hac flamma. *O hominem omni marmore duriorem, & omni glacie frigidiorem quem hæc verba non mouent.*

O auditores propositi mei est, de horrendis inferni supplicijs hodie sermonem instituere, vt eorundem salubri timore in hac vita concepto nunquam vobis opus sit, ea in futura vita experiri. Quare cum sine diuina ope materiam hanc quæ talis est, vt ipsum etiam infernum horrore possit concutere dignè tractare & vobis explicare nequeam ad Christi crucem confugio.

Tu ô Iesu Christe Crucifixe qui in ligno Crucis sacrosancta brachia tua extendisti, vt infernum clauderes, ac pretiosum sanguinem tuum effudisti, vt ignem tartareũ extingueres. Largire mihi gratiam tuam, vt ijs omnibus qui me prompto ac libenti animo dicentem audiunt, per Inferni recordationem Paradysi gaudia donare possim. Attendite diligenter: nunc enim vos omnes viuos in Infernum ducere animus est, ne mortui eum in sempiternum hæreditetis: atque in præsenti vita terrere, vt in futura in omnem æternitatem securi sitis.

PRIMA

PRIMA PARS.

I.



TTenta consideratione digna sunt, quæ Tobiæ iuniori in itinere existenti, euenêre, ideoq; à nobis profundiori intelligentia, atque iudicio exactiori ponderanda & rimanda sunt. Attendite. Cum Tobias iunior de mandato patris Angelica stipatus societate itineri se dedisset, vt in Rages celebrem Medorum ciuitatem pergeret, primo die ad fluuium nomine Tigris peruenit, in quem ad pedes puluere ac luto commaculatos abluendos cum descendisset, ecce ex improuiso (ô casum terribilem) vastæ magnitudinis piscis ex vndis caput exerens, & velocissimè adnatans, apertis faucibus eum deuoraturus adoritur. Timore itaque correptus Tobias auxiliũ inclamat, dicẽs: Piscis hic me inuadit. Cui Angelus respondit Noli metuere, quin potius assũpto animo extẽde manũ tuã, & apprehẽde branchiã eius, eaq; fortiter retẽta extrahe illum ad littus, deinde cultro quẽ tecum gestas euaginato, exentera, ac fel repone tibi; est enim eius in medicina eximius vsus. Et vt specialius virtutem eius noueris, scito illud oculos infirmos aut cæcitate laborãtes illinitum, illuminare ac pristinæ sanitati restituere. *Et dixit ei Angelus; apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te, exentera hunc piscem & fel repone tibi, est enim necessarium ad medicamentum vtiliter: valet ad vngendos oculos in quibus fuerit albugo, & sanabuntur.* Quæ omnia

Piscis qui Tobiam Iuniorem proficiscentem adortus est, peccati figuram gerit.

Tob. 6.

omnia Tobias sedulò præstitit, atque eundẽ quem Angelus prædixerat effectum assecut' est. O historiam mysterijs pulcherrimis scatentem, profundioriq́; dignam intelligentia. Quid enim, Auditores, putatis Spiritum S. significasse in Tobia ab Angelo comitato? Quid in ciuitate Rages? Quid in flumine Tigris? quid in pisce? quid in felle medicinali? omnia hæc sunt magna mysteria & sacramenta. Auscultate. Tobias interpretatur. *Bonitas Domini*, & figuram gerit hominis christiani, qui sola bonitate Dei in filium adoptiuum & cohæredem Christi assumptus est, attestante S. Paulo, qui ait: *Hæredes sumus Dei, & cohæredes Christi.*

Rom. 8.

Rages ciuitas nominatissima ad quam Tobias iter instituit, Paradysum cęlestem designat. Hæbraica etenim lingua Rages, *commotio*, dicitur. Inflammatum verò huius Paradysi ac gloriæ desideriũ, ex præcipuis vnũ est, quod nos mouet, aut certè mouere deberet, ad agẽdam pœnitentiam, ad pias actiones moliendas, ad vitam ex virtutis præscripto instituẽdam. Proficiscitur autem ad eam ciuitatem Angelico ductu: quia Deus cuilibet homini in natiuitate sua Angelum tutelarem, qui sollicitam illius gerat curam, deputat: teste S. Hieron. in Matt. vbi ait. *O magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum delegatum.* Appropinquat in hoc itinere fluuio Tigris ad pedes puluere consperso emundandos, quando à sensualitate atque amore proprio ductus, & prauis cupiditatibus suis morem gerens fallacibus blandientis ac seducentis sæculi huius vanitatibus se immergit: Quia Tigris, qui interpre-

Hieron. in com super Matt. 18.

terpretatur, *Læta velocitas*, huius mundi volu ptates figurat, quæ citissimè, ac velut in ictu oculi pertranseunt: Nam dicēte S. Gregorio: *Momentaneum & leue est quod delectat.* S. Gregor.

At interea dū Christianus à summo dignitatis suæ gradu descendens lætum fugacemque hunc fluuium pedibus affectionū ingreditur, (O lapsum infœlicem) cōsurgit in eum terribilis ac ferocissimus piscis, vt deglutiat, qui nihil aliud est, quam peccatum, terribilis verè bestia; quoniam hominem non hominē rationis participem, sed veram bestiam cōstituit. Vnde Sapiens. *Dixi in corde meo de filiis hominū, vt probaret eos Deus, & ostenderet similes esse bestiis.* Eccles. 3. Crudelis & effera hæc bestia, peccatum dico, Versatur assiduè in flumine mūdanarum voluptatum ac gaudiorum, vt omnē hominem fluuium hunc pedibus affectionū ingredientem perimat atque deglutiat. Nam semper est paratum per consensum propriæ voluntatis illum enecare, ac secum in profundum inferni demergere.

Quid autem in terribili hoc casu agendum est homini qui Angelica custodia vbiq; stipatur, illiusq; inspirationibus ad bonum vrgetur? idem ei faciendum est, quod Tobias magno huic pisci fecisse traditur.

Ad littus eum trahet, exenterabit, fel auferet, idq; vt medicinam perutilem ac necessariam, ad infirmos ac cæcitate laborantes oculos curandos & illuminandos sibi reponet.

O Christiane, tunc piscem hunc, peccatum videlicet, ad terram trahis, quando cōsideras te propter illud in terram conuertendum esse: si enim peccatum nō fecisses, semper viue-

res, nec vnquam mortem experireris: Nam
Rom. 5. S. Paulo teste, *Per peccatum mors intrauit in mũdum.* Peccatum ergo ad terrã pertrahis: quia hac cõsideratione illud ad terram prosternis
Ecclef. 7. & superas: Salomone affirmante. *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Hoc peracto perimis piscem & exenteras, quando per veram cordis cõtritionem peccata commissa defles. Hęc enim cordis contritio auditores, culter ille est acutissimus, omne peccatum, quantumuis enorme perímens ac delés. Posthæc fel amarum eruis, quando videlicet mente confers amarissima inferni tormenta, quorum causa est peccatum, cum delectatiõe quã in peccato perpetrando experiris: tecũq; diligenter expendis: maiusne sit illud, quod hîc ad momentum temporis in peccato delectat, an verò illud, quod æternaliter in inferno cruciat. Ex quo aduertes atque perspicies, pœnas ac cruciatus futuræ vitæ, delectationẽ peccati in præsenti vita, infinitis partibus superare. O fel amarissimum. Quæ enim maior amaritudo cogitari potest, quàm pœnarum inferni, quę à peccato proficiscuntur. Nihilominus ô Christiane, poteris tibi ex hac amaritudine medicamentum efficax ad infirmos & excæcatos oculos tuos conficere. Nam vt noueris, dum in peccato es, duo oculi animæ tuæ, intellectus & voluntas planè cæcutiunt. Quia intellect⁹ bona quę per peccatũ amittit, ac mala ad quæ deuoluitur, non percipit. Volũtas verò in amorẽ summi boni non fertur, neq; cœlestibus sed transitorijs & terrenis rebus delectatur. At si per considerationem fel amarissimum pœnarum infernaliũ quæ pro
sce-

ſceleribus admiſſis in futura vita ſuſtinendæ ſunt, hiſce tuis oculis applicueris, perfectè eos curabis ac plenè illuminabis. Intelliges enim voluptates huius mundi, ac amorem rerum tranſitoriarum, hominem in has pœnas præcipitem dare.

Atque hinc diſces mundum contemnere, vanitates omnes aſpernari, malas actiones fugere, bonas apprehendere. O ter quaterq́ꝫ beatũ qui ita agit. Quapropter, ô Chriſtiane, videns ego terrenus Angelus, immanem hũc piſcẽ, id eſt, peccatum, te adorientem, vt deuoret, ſecumq́ꝫ ad infernum pertrahat, dico tibi hodie cum cæleſti Angelo: *Exentera hunc piſcem, & fel repone tibi: Eſt enim neceſſarium ad medicamentum vtiliter: valet ad vngendos oculos, in quibus fuerit albugo, & ſanabuntur.* Tob. 6.

Priuſquam autem hoc fel oculis imponas, operepretium erit, vt primo conditiones ac proprietates ei⁹ amariſſimas cognoſcas: Quæ licet in ſe venenatiſſimæ ac ſũmè nociuę ſint, nihilominus præſentiſſimum ex ijs conficere poteris antidotum oculis tum ſanandis tum illuminandis. Eas autem vt declarem, vtar verbis hominis, fide digniſſimi S. Iob, qui in breui ſententia illas complectitur.

Audi ergo quid S. Iob in perſona peccatoris totus mœrore confectus dicat. *Dimitte me, vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine, terram miſeriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Quod perinde eſt ac ſi diceret. Domine Deus meus, vitã vel ad modicum mihi protrahe, quod tamen non a- Iob 10.

more

more vitæ desidero, sed poti', vt peccata mea grauia & multiplicia, quibus iram ac ipsum infernũ merui, acerbis lachrymis deflere valeam, ne cum ceteris peccatoribus præcipiter in infernum, quod nihil est aliud quam cauerna tenebrosa, densissima caligine & nubibus teterrimis obducta, terra miseriæ & cæcitatis perpetuæ, in qua terribilis vmbra mortis assiduò præ oculis versatur: quam deniq; nullus ordo, sed sempiternus horror & tremor inhabitat.

7. Amaræ qualitates pœnarum inferni.

O Auditores, in his verbis S. Iob demonstrantur nobis septem proprietates siue conditiones horribilium inferni tormentorum, quæ sunt mysticum fel piscis ferocissimi, id est, peccati, quia ab illo enata sunt.

Prima est, loci vilitas.

Altera: Ignis qualitas.

Tertia. Omnis boni priuatio, ac mali omnis præsentia.

Quarta. Obstinatio & cæcitas virium animæ.

Quinta. Iugis aspectus terribilium vmbrarũ & spectrorum.

Sexta. Confusio ac inordinatio.

Septima & vltima. Timor, tremor ac pauor, nullo vnquam fine terminandus.

Antequam vadam ad terram tenebrosam. Hæc est prima proprietas.

Opertam mortis caligine. Hæc est secunda.

Terram miseriæ. Ista est tertia.

Et tenebrarum. Ista est quarta.

Vbi vmbra mortis. Ecce quintam.

Et nullus ordo. Ecce Sextam.

Et sempiternus horror inhabitat. Ecce septimam & postremam.

Hæ

Hæ nocentiſſimæ proprietates, fellis huius amariſſimi, in tanta inordinatione atque confuſione Infernalium pœnarum, ordinē mihi ſuppeditabunt: à quibus nec vnquam, in toto hoc ſermone digrediar: Nā ex ijs facilè intellecturi eſtis, qualis ſit locus, in quo auarus ac diues epulo ſepultus fuit: De quo ait S. Euangelium *Mortuus eſt diues, & ſepultus in inferno.* Luc.16.

Exordium igitur à prima fellis huius amariſſimi proprietate ſumamus, & ſic conſequēter cæteras ordine prædicto ſeruato declaremus. Cæterùm, ô Chriſtiane, nolim, vt me de amaris hiſce conditionibus diſſerente, tu interim ne cauſam habeas inferni ſupplicia formidandi, ſomnies, & tibi ſtultè imagineris illa tormenta in ſacris literis toties repetita, atque à ſanctiſſimis Eccleſiæ Doctoribus declarata vera & realia non eſſe, ſed meras fabulas, hominum commenta. Sic enim non tantū quolibet hæretico peior eſſes, qui omnia quæ ſacris literis continentur, quatenus poteſt, defendit ac credit, licet in multis circa rectam veram ac Catholicam eiuſdem ſcripturæ intelligentiam, hallucinetur: ſed etiam ſtolidiſſimus, vaniſſimus & amentiſſimus. Ne igitur id fiat, ecce nunc pœnarum infernalium veritatem, ſimulq; illum negantium ſtoliditatem demonſtro.

II.

Dic mihi, nonne certus es omnia illa, quæ de cæleſtis Paradyſi gloria ac beatitudine in diuinis ſcripturis legis, vera eſſe? Id nunquā negabis: nam præter Dei, qui ſumma veritas eſt, & mentiri nequit reuelationē, audis S. Paulum, qui raptus ad ſuperna, eorū veritatē clarè in- *Infernū eſſe multis rationibus demonſtrat.*

Ratio 1. rè intuitus est, dicentem: *Raptus sum in tertium*
2 Cor. 12. *cælum, & vidi arcana Dei, quæ non licet homini lo-*
Esa. 64. *qui.* Esaiam præterea in extasin raptum audis affirmantem. *A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te.*

Si ergo certus es de cælesti gloria: necessariò etiã certus esse debebis, de inferni supplicijs: Et si credis fœlicitatem hãc iustis præparatam esse, eâdem necessitate credendum tibi est, tormẽta malis reseruari. Nosti enim celebre illud axioma philosophorũ. *Contrariorũ disciplinam esse eandem: & oppositorum contrariũ esse dispositiones.* Nunc autem omnino sibi sũt contraria, cælestis gloria, & æterna damnatio. Si ergo firmiter credis gloriam perennem, cuius frequens tam in veteri quam nouo testamento fit mẽtio iustis adseruari, teneas etiam necesse est, vrgente iam in medium allata contrariorum regula, tormẽta ac pœnas tartareas, quarum æquè in veteri ac nouo testamento, vt gloriæ cęlestis fit mentio, easq; malis pręparatas esse. Quia nulla persuadet ratio, cur magis id de vno quam de altero contrariorum verum sit.

Idem argumentum S. Gregorius adfert, vt pœnarum infernalium veritatem cõprobet. Accipe verba illius: *Si esse Sanctorum animas in cœlo sacri eloquij satisfactione credidisti, oportet vt per omnia esse credas iniquorum animas in inferno: quia ex retributione æternæ iustitiæ, ex qua iam iusti glorificantur, necesse est per omnia, vt & iniusti crucientur: nam sicut electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est, quod in die exitus sui, ignis reprobos exurat.* Vides igitur

D. Gregor. lib. 4. mor. cap. 28.

quomodo cælestis Paradisi gloria, quæ sine manifesta perfidia atq; amẽtia negari nequit, firmiter tibi persuadeat, veras esse inferni pænas, quæ sũt fel piscis, de quo mihi sermo. Verùm accipe & aliam rationem, quæ omnem intellectum quantumuis perfidum manifestè conuincit, stultitiamq́; aliter sentientis coarguit.

Dic mihi nõne omni iudicio ac ratione careres, hominumq́; stolidissimus esses, si opinareris homines prudentissimos & sapiẽtissimos, in hac vita aduersitates, famem, sitim, angustias & pressuras omnes perpeti voluisse, vt veritatem pœnarum inferni confirmarẽt, si illæ non essent veræ ac reales? Si putares illos maluisse omnia potius supplicia necesq; immanissimas sustinere, quàm ab earum prędicatione desistere? Iam verò dic mihi, qui sunt qui olim hęc inferni supplicia docuerũt, prædicarunt, & literis consignarunt? (Christũ pręteream, qui ipsamet est veritas, cuius vel vnicum nobis testimonium præ alijs innumeris sufficere deberet.) Nõne fuerunt Patriarchæ? Prophetæ? Apostoli? Sacri Ecclesiæ Doctores? ac deniq; qui post eos docuerunt, nõne viri rara eruditione, prudentia, sapientia præditi, ac mundi quædam, (vt ita dicam) miracula? Attamen hi tam præstantes, & diuini viri, antequam à prædicatione & promulgatione, pœnarum inferni & gloriæ cælestis desisterent, maluerunt prius tormenta quæuis acerbissima & necem contumeliosissimam imperterrito animo subire. *Ratio 2.*

Ecce Esaias vir sapientissimus, homo, inquã, diuinus magis quã humanus, huius doctrinæ

causa

causa per medium sectus fuit Hieremias lapidibus oppressus. Zacharias occisus. Daniel in lacum leonũ missus. Paulus capitis incisione minutus. Petrus & Andræas in crucem acti. Bartholomæo è viuo corpore cutis detracta. Iacobo cerebrum elisum. Ioanni feruentis olei dolium pręparatum. Cęteris Apostolis per varia tormenta mors illata. Ecce eandem ob causam Ioannes baptista fuit decollatus. Laurentius igne combustus. Polycarpus bestijs traditus. Catharina rotis dissecta, & alij innumeri varijs supplicijs interempti. *Videamus* S. Patres & Eccles. Doct. qui pro huius *verita*tis defensione acerbas persecutiones sustinuerunt. S. Mart. Ignat. quantas ærumnas passus est? quantas persecutiones S. Chryso: quantas insidias S. Athan. Greg. Ambr. August. & Hierony: præcipui Ecclesiæ doctores, vt ea quæ de his pœnis docebant ac prædicabant vera esse demonstrarent, easq; effugerent, quãtos labores & afflictiones tolerarunt? quam multis ieiunijs, abstinẽtijs & carnis austeritatibus se macerarunt? q̃ asperam vitam traduxerũt?

Nihil hîc dicam de Moyse, Iob, Benedicto, Bernardo, Brunone, Francisco, & alijs viris sanctissimis prudentissimis, & sapientissimis, qui vt gloriã cælestem acquirerent, atq; pœnas inferni deuitarẽt, tot exantlarunt labores tolerarunt incommoda, sustinuerunt aduersitates, vt me ista enumerantem, prius dies quam oratio deficeret.

Quis igitur tam sit omni ratione atque iudicio destitutus, vt putet atque imaginetur sibi, homines hosce, sapientissimos, sanctissimos, prudentissimos, atque mundi colũnas, tam

tam multa pati ac tolerare voluisse, vt falsa docerent ac prædicarent? atque maluisse potius omnia tormenta, & crudelissimas neces perpeti, quàm ab eorum promulgatione & doctrina cessare? Quapropter ô Christiane, crede firmiter, quòd quēadmodū tam multi sancti & sapientes non fuerunt passi per iocum, sed verè ac seriò, ita etiam veras & reales esse inferni pœnas, propter quas effugiendas, & promulgādas tam immania tolerarūt. Eādem rationem adducit S. Hieronymus ad Pammachium & Oceanum scribens, vbi ait: *An putamus fratres, quòd iocando Prophetæ prædicent, ridendo loquantur Apostoli, Christus infantiliter comminetur? sed ioci non sunt, vbi supplicia intercedunt: si iocando passi sunt, credantur & iocādo locuti. Esaias serra secatur, Daniel leonibus deputatur, Paulus gladio truncatur. Petrus in cruce, Domini exemplo, suspenditur, & hoc totum, vt à peccatis & pœnis homines sua doctrina reuocaret.* S. Hieron. O argumenta firma & efficacia.

Sed quid opus est rationibus & argumētis comprobare quod oculis cernitur? Intueri licet in omnibus mundi partibus, inferni hiatus; speciatim in plurimis Italiæ locis, vti rectè notant S. Augustinus & Gregorius, è quibus calores maximi, fumi sulphurei, flammæ ardētissimę prodeunt. Ecce ante oculos est AEtna mons maximus & altissimus in Sicilia; qui nō vno ex hiatu foras eijcit flammas tam vehementes, vt flumina ignis eructare videatur omnibusque circumquaq; habitatoribus ingentem terrorem adferat. Nouit hoc Catana ciuitas, quæ propter nimiam vim flammarū, exitium non rarò pertimuit: Ecce in prōptu

est Insula Lipara, vna ex Vulcanijs in mari Tusco, quæ in editiore sui parte vastũ habet hiatum, ignem & cineres assiduò euomentẽ, tanto cum strepitu, vt aërem crebris tonitruis resonare, & fulgetris coruscare putes, & sonitus erumpentis ignis, ad sexaginta milliaria & amplius nonnunquã exaudiri possit. Multi alij hiatus minores, huic adiacent, tetrũ fumum & ardẽtes flammas spirantes. Est & alia insula in eodem mari ex ingenti & profunda voragine, foras eijciens lapides ignitos non aliter ac si maximos carbones, & titiones accensos, eiacularetur, idq́ꝫ tam altè vt à Nautis illac nauigantibus, videri possint; hi autem dum delabuntur, in mare, à quo insula cingitur deuoluti, extinguuntur: inde verò lapides illi quos *punices* vocant cunctis noti, generantur. Omitto Pythecusam insulam Neapoli vicinã, & montes Puteolanos ex plurimis cauernis, fumum & ignem emittẽtes: quorum vi multis in locis aqua ibi scaturiens, non aliter calefit, ac si in aheno supra ignem suspenso bulliret. Prætereo magnum illum Aethiopiæ mõtem Aconocauma, & alterum Liciȩ Chimȩrã appellatam, qui ingentes voragines flammas assiduè iaciẽtes habent: de quorum posteriori Virgilius lib. 6. Aeneidos cecinit.

Horrendũ stridens, flammisq́ꝫ armata Chimæra.

Silentio inuoluo alia complura Africæ loca, vltra colũnas Herculis, apud Pygmȩos, & Sibras Indiæ populos, alijsq́ꝫ in regionibus existentia, ne plus temporis in rebus adeò notis ac manifestis, ijs maximè, qui terras & maria peragrarunt, aut historiam naturalem Plinij, aliosq́ꝫ auctores fide dignos legerunt, per-

cen-

censendis amittam. Quid autē aliud, ô Christiani, cogitari potest de istis terræ voraginibus, profundis cauernis, tremendis hiatibus, ignem, fumum, cineres euomentibus, nisi eas esse inferni ianuas seu aditus, in quos descenderūt dæmones, quando è cœlo in ima terræ loca corruerūt: in quos etiam quotidie deferuntur animæ sceleratorum hominum post mortem, quibus & corpora eorum post iudicium sociabuntur?

Nec obstat, quòd Philosophi harum rerū naturales adferant rationes, vti (pro sua temeritate & audacia) in rebus alijs insuetis facere solent, imò & nonnunquam in illis, quæ immediatè ab omnipotentia Dei proficiscuntur: cùm tamen imbecillo naturæ lumine sublimia mysteria & secreta Dei (quæ vt intelligātur, supernaturali egent illustratione) attingere nequeāt. Notum est enim, quòd cùm omnium rerum naturales causas reddere vellēt, suam ignorantiam fateri compulsi fuerint, & dicere. *Propriæ differentiæ nos latent.* Et rursum. *Eorum quæ scimus est minima pars eorum, quæ ignoramus. Hoc scio, quòd nihil scio.* Audiant Philosophi isti, imò vos omnes audite S. Gregorium maiori & excellentiori lumine illustratum, de his cauernis, voraginibus & hiatibus subterraneis claris verbis contestantem, eos esse inferni ostia. Ait enim 4. lib. Dialog. *Præ cæteris locis, in terræ Siciliæ insulis, exæstuante igne tormentorum ollæ patuerunt; & omnipotens Deus ad correptionem viuentium, in hoc mundo voluit ostendi, vt mentes infidelium, quæ inferni tormenta esse non credunt, tormentorum loca videant, quæ audita credere recusant.* Idem sanctus vir eodem S. Greg.

eodem libro asserit humanas voces, hominũ dolentium ac lamẽtantium, ex ijsdem cauernis exauditas fuisse, quæ hodieq; audiuntur. Eodem in libro refert Theodoricũ Italiæ Regem Arianæ sectæ fautorem, summiq; Pontificis & omnium Catholicorum hostem maximum, post repentinã quã sublat⁹ fuit, mortem, visũ fuisse deferri ad insulas Vulcanias, atq; in horrendos illos hiatus conijci, & sub ignibus sepeliri. Capitulo tricesimo quinto eiusdem libri scribit de duobus Romanis, Eumorphio & Stephano optione, hominib⁹ impijs eos post mortẽ ad insulas Siciliæ delatos fuisse, vt in ardentissimas illas voragines præcipitarentur. De Plinio notum est, quod inter flammas sulphureas & fœtidas è mõte Vesuuio erumpentes, interierit. De celebri itidem Poeta, Oratore, & Medico Empedocle literis proditum est, eum huius vitæ pertæsum, in igneos hiatus mõtis AEtnæ se præcipitem dedisse, adeoq; semetipsum in abysso amplæ, profundæ, & horrendę illius cauernæ sepeliuisse. Sunt igitur istę voragines quæ in multis Europæ, Africæ, Asiæ & Americæ locis ignẽ eiaculantur, inferni ostia. Non potest negari, quod sensus clarissimè intuẽtur. Omni iudicio destitutus est, qui sensui non credit, etiamsi rationem haberet contrariam, iuxta illud Aristot. lib. 8. Physicorum. *Admittere sensus propter rationem, est imbecillitas intellectus.* Quãtò maioris imbecillitatis & vesaniæ indicium est, si sensus non admittantur, quando nulla obstat ratio. Hîc autem nulla firma adferri potest ratio, quæ probat has pœnas non esse veras & reales.

Aristot.

Addu-

Adducam & aliud argumentum, cuiusdam Ethnici philosophi quo probat, necessariò in altera vita probis hominibus præmium, improbis verò pœnam esse constitutam. Alexāder Aphrodisiensis in Epistola, quā scribit ad Antoninum Pium Imperatorē, vt demōstret in futuro sæculo iustis præmia, impijs autem supplicia decerni, ita philosophatur. Si Deus bonorum & malorum curam non gerit, illos remunerando, hos castigando, necesse est, vt id propter aliquod horum fiat: vel quia ignorat, quid rerum in hoc mundo agatur: vel qa probis mercedem reddere, & improbos punire nequit: vel quia nō vult. Si vis Deum nescire mundi statum & actiones, tollis ei sapiētiam, & facis ignorantē. Si dicis non posse, aufers illi potentiam. Si a s non velle, tollis ei simul iusticiam, gratitudinem, bonitatem, prouidentiam; & facis eum naturæ inuidę & iniquæ: quòd cū possit benè facere, nolit: & iniustæ, quòd cùm possit in impios animaduertere, detrectet. Sed in Deo nulla potest locum habere ignorantia, vel impotentia, vel iniustitia, vel ingratitudo: nec etiā fieri potest, vt non sit summè bonus, atq; harum rerum inferiorum non maximam gerat prouidentiam. Necessarium igitur est, vt bonos remuneret, & malos puniat: & quia in præsenti vita id nō agit, necessarium est, vt in futura faciat. O pręclarum & efficax argumentum. *Ratio 4.*

Quin etiam, ô Christiani, veteres Romani illo suo igne æterno adumbrarunt infernum & supplicia, quæ illic æterno tempore animæ & corpora passura sunt. Nostis enim eos consueuisse celebriorum, potētiorum & chario- *Ratio 5.*

rum sepulchris imponere lucernã certo quodam liquore succẽsam, cuius tanta erat vis & efficacia, vt eam posset viuam & ardentem perenniter conseruare; atq; hoc appellabant ignem æternum. Et forsitan immortalis Dei inspiratione id egerunt, quo nobis sublime quiddam, quod tunc non intelligebãt, significarent. Nam lumine semper ardente innuebant, animam defuncti illius immortalem vitam viuere. Igne æterno adumbrabant, propter infidelitatem & scelera commissa, eandẽ animam æterno igni traditam esse. Eo deniq; quòd hũc ignem in sepulchro inter mortuorum ossa & cineres collocarẽt, figurabãt, adfuturum aliquando tempus, quo ignis ille corpora etiam perenniter cruciaret. O mysterium tremendum, pręclarum quidem, sed à veteribus Romanis, inanium deorum cultoribus non intellectum. Quis igitur nunc sit adeò incredulus & perfidus, qui tot rationibus, tot voraginibus ignem eiaculantibus, tot indicijs & argumẽtis fidẽ adhibere detrectet, atq; de supplicijs inferni deinceps ambigat?

Et certè quanquã nulla vrgeret ratio, nulla extarent indicia, nullæ cauernæ flammas sulphureas euomentes in tot orbis partibus cernerentur, solius Christi testimonium nobis deberet sufficere. Nã quicquid ille affirmat, certissimum est. Non mentitur, non fallit Deus, nulla sanctis suis mendacia reuelat, nec iocosè loquitur. Quando loquitur, seriò loquitur: quando reuelat, veritatem reuelat. Et tamen ipse in sacris literis sæpenumerò de inferni supplicijs differit: idem ipse Prophetis, Apostolis, cæterisq́ue sanctis ea reuelauit. Ve-

rissima ergo sunt.

Hactenus satis vt opinor, infernalium pœnarum veritatem ita comprobauimus, vt nemo possit esse adeo stolidus ac perfidus, qui eas in dubium vocare, aut aliter credere, sibique imaginari valeat: restat ergo vt qualitates & conditiones amari fellis, quas S. Iob recensuit, explicemus.

III.

ANtequam vadam ad terram tenebrosam. Hæc est prima fellis proprietas, loci nimirum abiectio & vilitas. *Quid enim terræ tenebrosæ nomine nisi tetra tartari claustra designantur?* ait D. Gregorius, hũc locum in moralibus exponens. *Iob 10. D. Greg.*

Veruntamen vt loci huius abiectio clarius percipiatur, sciendum est, iuxta vnanimem Theologorum sententiam, quatuor in terræ visceribus olim fuisse loca animabus destinata. Videlicet Sinum Abrahæ: Lymbũ: Purgatorium, & Infernũ. Ex quibus Sinus Abrahæ supremum obtinebat locum: hunc Lymbus sequebatur: eo autem inferius erat Purgatorium: Deniq; infernus omnium erat infimus. *Sub terra olim fuerũt quatuor loca animab. destinata, nunc autẽ tria duntaxat.*

In Sinum Abrahæ, ante Ascẽsionem Christi, in cælos, omnes iustorum animę, corporeis vinculis per mortem solutæ, si nihil expiandum haberent, emigrabãt: quemadmodũ & illæ, quæ Purgatorijs pœnis expiatæ, ac mundatæ fuerant. Ad Lymbum in veteri lege omnes pueri sine circumcisione: & in noua sine Baptismo decedentes, deferebantur. Ad Purgatorij loca omnes peccatores cõtriti transibant, quibus licet in gratia Dei ac sanctissimis muniti Sacramẽtis è vita discessissent, aliquid nihi-

nihilominus pro temporalis pœnæ vel culparum venialium deletione satisfaciendum restabat.

Ad infernum omnes ij descendebant, qui peccatis mortalibus affines, absque vlla pœnitentia hinc migrârant: nullo vnquam tempore inde exituri. Primus loc⁹ idcirco vocabatur sinus, vt certitudo atq; securitas eò migrantium ostēderetur: sicut enim pueri dum in sinu patris requiescunt, securi in eo residēt omnis expertes periculi; ita & qui hūc locum incolebant, securi in eo versabātur, certi se in deteriorem statum non posse incidere. Hinc S. Augustin. de hoc sinu loquens ait: *Post hanc vitam sinus ille Abrahæ Paradisus dici potest: vbi iam nulla tentatio, vbi tanta requies post omnes dolores huius vitæ.* An non aduertitis S. Matrem Ecclesiam etiānum beatorum domicilium, cælum dico, ob securitatem illud incolētium sinu Abrahæ appellare? dum canit. *Exaudi me Domine, vt in sinu Abrahæ Patriarchæ tui valeam collocari.*

S. Aug. sup. Genes.

Deinde appellabatur sinus Abrahæ, non alicuius alterius Patriarchæ vel Prophetæ, Quia ille fuit pater vniuersalis multarum gētium, ac primus, cui⁹ semini Paradisi facta est promissio: sic enim ait Deus ad illum, *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Quia ergo ad hunc locum omnes illi transibant, qui post modicum ad perennem erant recipiēdi gloriam, hic locus nuncupatus fuit Abrahæ sin⁹. In hoc autem loco non fuit ignis vllus cruciens, non præsentia & terrificus aspectus Dæmonum, aliorumq; immanium spectrorū terrorem incutiens; nō alia pœna sensus affligēs.

Gen. 23.

Simili-

Similiter in Lymbo qui eſt locus innocentũ puerorum, nullus eſt ignis, neq; vllus dæmonũ aſpectus, nec deniq; vlla alia pœna ſenſus. Attamen magna inter hũc locum & Abrahæ, eſt differentia. Illi enim, qui ad ſinũ Abrahæ, ante Chriſti in cælos Aſcẽſum, vſq; ad cœleſtium portarum reſerationem deferebãtur: certi erant ſe inde educendos, beatitudine perenni donandos, ac beatifica viſione Dei aliquãdo fruituros eſſe. Qua certitudine pueri illi, qui Lymbum occupant, carent: omni enim ſpe, aliquando Deum videndi, gaudijſq; cæleſtis regni fruendi deſtituti ſunt. Et licet nulla pœna ſenſus affligantur, pænam tamen dãni perpetuã ſuſtinent, id eſt, diuinæ viſionis priuationem: hæc autem pœna maxima eſt. Dixi ante Chriſti in cælos aſcenſionem, omnes iuſtos in ſinũ Abrahæ migraſſe: quia poſt illam, animabus per Chriſtum inde eductis, locus ille eſſe deſijt. Neque deſunt ex ſacris Doctoribus qui aſſerant, poſt Chriſti in cęlos triumphalem ingreſſum ex ſinu Abrahæ & Lymbo vnum locum effectum fuiſſe: vnoq; Lymbi ſcilicet, nuncupatum nomine. Nã omnes illi, qui ante Domini Aſcẽſionem, ad ſinum Abrahæ tranſibant: poſt illam, mox vbi corporeis vinculis ſoluti fuerint, ad gaudia cæleſtis Paradiſi euolãt: via nimirum à Chriſto illis patefacta & portis Paradyſi, antehac obſeratis, recluſis. Id patet in paupere Lazaro, qui ante Chriſti aſcẽſionem ex hac vita diſcedens, nõ in cælum aut Paradyſum, ſed in ſinũ Abrahæ delatus eſt. *Factum eſt autem* ait ſcriptura, *vt moreretur mẽdicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ*, in eum videlicet locum Luc.16.

quem antiqui patres omnes & iusti veteris testamenti incolebant. Qui locus vt D. ait Aug, post expletum laboriosæ huius vitæ curriculum, requiei erat domicilium. *Sinus Abrahæ,* inquit, *est secretæ cuiusdam quietis habitatio.* De hoc loco atque de Lymbo nunc vnus factus est locus puerorum, videlicet sine baptismatis Sacramento decedentium.

S. August. Epist. ad Euod.

In purgatorio autem vehementissimus est ignis, qui multò est efficacior, & ardẽtior nostro. Noster enim ignis (vt D. ait August.) cõparatus illi, instar picti ignis se habet. Hic ignis, idem est, cum inferni igne, quoad cruciatum & incendium, nec vlla alia inter vtrumque dari potest differentia, quam quod ignis Purgatorius ad tempus cruciet, ignis verò Inferni perenniter. Eodem in purgatorio, iuxta quorundam S.S. Doctorum sententiam sunt horrendi Dæmonum aspectus, qui maximũ purgandis animabus terrorem ac metum incutiunt.

S. Aug. 21. de Ciuit. Dei.

Sed dimissis his tribus primis locis, de Inferno omnium infimo, qui nostri sermonis præcipuus scopus est, potissimum disseramus.

I V.

INfernus refertus est igne ardentissimo & supramodum grauiter olente, tum propter sulphuris, iugiter illic ardentis odorem, tum propter alios fœtores intolerabiles ibidem exhalantes.

Vnde Hugo in claustro animæ. *Infernus,* inquit, *est plenus ardore incomparabili, plenus dolore innumerabili, plenus fœtore intolerabili.* At post extremum iudicium erit hic locus multo cõtempti-

S. Hugo.

temptibilior, ac putentior, propter fœtorem intolerabilem, quem corpora damnatorum, quæ tunc animabus eorum sociabuntur, emittent. Non auditis? *De cadaueribus eorum ascendit fœtor.* Huic quoque elementorum accedet fex atque colluuies. Nam S. Petro Apostolo cõfirmante tunc elementa vi ignis purgabuntur. *Elementa,* inquit, *à calore soluentur.* Et ex dispositione diuina fiet, vt omnis eorũ fex & immunditia ad infernum confluat, quo sic tenebrosus ille locus vilior & abominabilior reddatur, iuxta doctrinã D. Basilij dicentis. *In fine mundi fex omnium elementorum, & proprietates eorum læsiuæ, virtute diuina separabuntur ab eis, & ad malorum cruciatum, ad infernum mittentur.* Idcirco S. Iob vt loci huius vilitatem demonstraret, ait. *Antequam vadam ad terram tenebrosam.* Quia fœtore, nebula ac tenebris densissimis, sine spe vlla redemptionis plena est. Hic locus execrandus ac despicabilis diuitis epulonis sepulturæ destinatus fuit. *Mortuus est diues,* inquit Euangelista, *& sepultus in inferno.*

Isa. 34.

2. Pet. 3.

S. Basil. in illud dictũ psalmi. Vox Domini intercidentis flammam ignis.

Luc. 16.

Dicet fortè aliquis, quandoquidem S. Euãgeliũ diuitis epulonis in inferno sepulti meminit, ergo in inferno sunt sepulchra, in quæ mortui condãtur? Sunt planè, Dauide id contestante cum ait: *Sepulcha eorum, domus illorum in æternum.* Quod de sepúlchris huius mundi nequit intelligi, quia non sunt æterna. Neque id mirum videri debet: illic enim lacus, foueæ atq; cauernæ plurimæ, sunt sepulchris mortuorum simillimæ, è quibus ignis ardens ac fœtor intolerabilis incessanter exhalat, in quibus damnati post mortem obitam, viceni

In inferno sunt sepulchra in quibus sepeliũtur dãnati.

& vi-

& viceni, triceni & triceni, quinquageni & quinquageni, centeni & centeni, milleni & milleni, durissimè constricti collocantur. Nam qui in hac vita in sceleribus pares sibiq; similes extiterunt, ibi etiam iisdem in cauernis sibi sociabuntur, & colligabuntur. Sic. n. veritas dicit. *Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum.* Quæ verba

Matt. 13. S. Gregor. exponens ait. *Fasciculos ad comburēdum ligare, est hos qui æterno igni traditi sunt, pa-*

D. Greg. 9. mor. ca. 47. *res cum paribus sociare, vt quos similis culpa inquinat, par etiam pœna constringat; & qui nequaquā dispari iniquitate positi sunt, nequaquam dispari tormento crucientur.* Ibi ergo auari cum auaris, superbi cum superbis, luxuriosi cum luxuriosis, inuidi cum inuidis, iracundi cum iracundis, iniusti cum iniustis, infideles cum infidelibus iungentur, & simul constricti, in ardentissima & dolore plenissima sepulchra præcipitabuntur. Idem de alijs peccatorum

Lib. 4. mor. cap. 25. generibus est sentiendum. Nam vt S. Gregor. ait: *Pares cum paribus, tormentis similibus sociant, vt superbi cum superbis, luxuriosi cum luxuriosis, auari cum auaris, fallaces cum fallacibus, inuidi cum inuidis, infideles cum infidelibus ardeant.* Cæterum audi ô peccator, & de tuis sceleribus & flagitiosa vita verecundare & contremisce.

Singula vitia suū in inferno habent principem vnum ex dæmonibus.

Vnicuique peccato, proprius dæmō principatur. Quemadmodum ergo tria sunt vitia principalia & generalia, nimirum; superbia, auaritia & luxuria, à quibus cætera peccata, veluti riuuli à fontib⁹, & rami à trunco, prodeunt originemq; trahunt: ad quę etiam veluti lineæ ad centrum, & flumina in mare, reducun-

ducuntur: Sic namq; S. Ioãnem auditis dicẽtem. *Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ*. Concupiscentia carnis, est luxuria; Concupiscentia oculorũ, auaritia. Superbia vitæ, superbia. Ita quoq; tres sunt dæmonum principes, trium horum flagitiorũ capitaliũ duces: Lucifer, Mammona, Asmodeus. Lucifer caput est superbiæ atq; omnium superborum. Mammona auaritiæ dominatur, omnibusq; auaris. Asmodeus luxuriæ imperat & omnibus luxuriosis. Præter hos sunt & alij dæmones aliorum vitiorum, principes: quãuis tribus illis prioribus, tanquam generalib[9] belli ducibus subiecti sint: sicuti & alia omnia vitia tribus illis, superbiæ, auaritiæ & luxuriæ subijciuntur, vel quia ab ijs pullulant, vel quia ad ea reducuntur. 1. Ioan 2.

Dico igitur, quemlibet horum dæmonum principalium, habere sepulchrum magnitudine & profunditate amplissimum, pro se: per circuitum verò ei[9] alia minora extare sepulcha, dãnatis, qui eodem vitio obnoxij fuere, & se sua sponte illius subdiderunt imperio, destinata. Quare circa vastissimum Luciferi sepulchrum, alia sunt sepulchra, in quibus superbi oẽs cum suis sequacibus: Circa Mammonæ sepulchrum, infinita alia, in quibus auari cum suis. Circa Asmodæi sepulchrum, alia innumerabilia in quibus Luxuriosi, cum suis colligati, compacti, atque sepulti iacent. Vt rectè S. Gregor. dixerit: *Qui quolibet ex vitio hic voluntatem callidi persuasoris expleuerunt, tunc cum duce suo reprobi ad tormenta perueniunt.* Ne autem existimetis hanc doctrinam sepul- li. 9. mor. cap. 49. Ezech. 32.

chrorum infernalium hominum esse commenta ac fabulas, Prophetam Ezechielem audite. *Loquentur ei potissimi robustorum de medio inferni, qui cum auxiliatoribus descenderunt. Ibi Assur & omnis multitudo eius, in circuitu illius sepulchra eorum, quorum data sunt sepulchra in nouissimis locis per gyrum sepulchri eius. Ibi Elam & omnis multitudo eius per gyrum sepulchri sui; oēs qui descenderunt in terram vltimam, & portauerunt ignominiam suam cum his qui descenderunt in lacum. Ibi Mosoch & omnis multitudo eius; sepulchra eorum, qui descenderunt ad infernum cū armis suis, & fuerunt iniquitates in ossibus eorum.*

Ex his verbis manifestè colligitur, in inferno tres potissimum principes dominari, Assur, Elam, Mosoch: & vnumquemque eorum proprium possidere lacum, ac per gyrum ei⁹ alios lacus infinitos, in quibus damnati eis subiecti detinentur.

Isti autem tres, Assur, Elam, Mosoch, tres principes dæmonum supra nominatos exprimunt, Luciferum, Mammonam, Asmodæū, trium capitalium vitiorum duces. Cuius rei veritas vt pateat, nominū ipsorum interpretationem, ex lingua Hebraica petitam examinemus. *Elam*, interpretatur *superluminare*, & pulchrè designat Luciferū, caput superborū, qui propter suam intolerabilem arrogantiā supra Verbum æternum, quod est verum lumē vniuersum mundum illuminans, sese in cælo extulit. *Assur*, interpretatur *diues* & Māmonā, auarorum principē figurat. *Mosoch*, interpretatur *captura*, & Asmodæum, luxuriosorum omnium caput exprimit, quia illos prophani & noxij amoris reti illaqueat, & captiuat.

ptiuat. Habent itaq; Lucifer, Mãmona, & Asmodæus ſepulchra ſua in inferno, ac in circuitu eorum infinita alia, ſibi ſubiecta. Vt propterea S. Greg. hunc Ezechielis locum in moralibus exponens dixerit. *Quis nãque Aſſur nomine niſi ille antiquus hoſtis exprimitur, qui pro eo, quód multos ad culpam pertrahit, cum cuncta ſua multitudine, ad inferni clauſtra deſcendit?* Iſta autem ſepulchra, auditores, igne ardentiſſimo, fumo fœtoris intolerabilis redundant. iuxta illud S. Ioannis: *Miſsi ſunt in ſtagnum ignis & ſulphuris, & cruciabuntur die ac nocte, in ſæcula ſæculorum*: nam hoc ſtagnum ignis & ſulphuris, nihil aliud eſt, quam vnum ex iſtis inferni ſepulchris, in quibus miſeri peccatores cruciantur. S. Greg. 9. mor. ca. 50. Apoc. 20.

Hinc conijcio, diuitem Epulonem hodie in inferno ſepultum, à Dæmonib⁹, maioris ſupplicil cauſa modò in vnum, modò in aliud ſepulchrum, coniectum fuiſſe. Nonnunquã in ſuperborum cauernã, quia propter animi elationem, *Induebatur purpura & byſſo.* Aliquãdo in luxurioſorum foueã, quia vt melius ſe totum effrenatæ libidini traderet, *Epulabatur quotidie ſplendidè.* Nõnunquã in auarorum lacum, quia tantę fuit tenacitatis, vt Lazaro mẽdico, fame laboranti, & micas mẽſę illius poſtulanti, eas denegauerit. *Cupiebat*, inquit Euãgeliſta, *ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa Domini, & nemo illi dabat.* Verè miſeri & infœlices ſunt, qui vnius generis peccata committunt, quia in vnicum tantũmodo horum patẽtium ſepulchrorum conijcientur: at multò infortunatiores, qui plurimis ſe variorum generum ſceleribus obſtringunt, quia maioris Luc. 16.

doloris

doloris & tormenti causa, modo in vnũ, mõdò in aliud sepulchrũ præcipitabuntur. Dico, maioris tormenti causa; Quia ignis & fœtor non omnibus æqualis est, sed vnum sepulchrum altero magis vel minus cruciat, iuxta qualitatem videlicet, eorum criminum, propter quæ peccatores in illud coniecti fuêre. O amarissimam conditionem fellis, id est, pœnarum inferni, à peccato, qui est piscis, de quo loquimur, prodeuntium. O Christiane hunc diligenter tecum expende, & toto animo cõtremisce. *Exentera hunc piscem, & fel repone tibi.* Hactenus sat multa de loci vilitate, quæ est prima fellis conditio disseruimus; veniamus nunc ad alteram.

IV.

Ignis inferni cur in sacris literis mors appelletur.

SEcunda proprietas est. *Et opertam mortis caligine.* Quæ est ista mors, hanc caliginem & obscuritatem producens, nisi ignis inferni, damnatos sempiterna morte affligens? Nam propterea videtis hunc ignem à S. Ioanne in Apocalypsi vocari mortẽ secundam. *Pars illorum erit in stagno ardentis ignis & sulphuris, quod est mors secunda.*

Apoc. 21.

Prima mors est, quãdo peccatores hinc migrant: secunda est, quando inferni supplicijs addicuntur, in quibus sustinent, perpetuam quandam mortem ignis nunquam desituri. Et quoniam ignis ille, à nostro plurimum differt, eò quod nullum splendorẽ aut lucẽ, sed obscurissimum & densissimum fumum instar nebulæ, totum istũ locũ subterraneũ, tetra caligine complentem, ex se diffundit, idcirco S. Iob. ait. *Et opertam mortis caligine.* O terribilem conditionem ignis: cruciantis & non

non ſplendentis: ardentis & non lucentis. Hác Regius Propheta innuit, cùm inquit. *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Quod perinde eſt ac ſi dixiſſet: DEVS omnipotenti virtute ſua flammis inferni lucem & ſplendorem tollit, efficitque, vt ignis ille ardeat quidem & cruciet, ſed omni luce ac ſplendore deſtitutus ſit. Eandem S. Gregorius intellexit, in moralibus ita ſcribens. *Illa flamma vltrix vitiorum cõcremationem habet & lucem non habet.* Magnũ reuera & ingens, miſeris damnatis eſt hoc ſupplicium, quia lux non modicum tribulatis adferre conſueuit ſolatium, & robur. O peſſimã huius fellis amari conditionem! Verum enimuero quoniam valde vos auidè noſſe cupere video, quo tempore ignis iſte in inferno ſuccenſus fuerit, paucis hoc declarabo, vos tantùm mihi dicenti attentas aures præbete. S.Greg.lib.9 Mor.cap.46.

Aſſeri non poteſt inferni ignem in mundi creatione, cum elementari igne, aut ante Luciferi, cum cęteris Angelis rebellionem, atque è cælis exturbationem conditum fuiſſe. Ratio huius rei talis dari poteſt: *Deus & natura* (iuxta commune Philoſophorum pronunciatum,) *nihil agunt fruſtra*; At ſi DEVS ignem inferni, vel ante Luciferi lapſum, vel in mundi creatione condidiſſet, nondum exiſtente peccato, ad cuius ſolam punitionem ignis ille deſtinabatur, fruſtra aliquid feciſſet: id autem de Deo affirmare abſurdum eſt, ergo nec ante Luciferi peccatum, neque in mundi creatione, conditus fuit. Confirmat hanc rationem ſequens argumentum. Angeli & homo, in illo principio quo creati fuêre, poterant non peccare, nec quiſquam illos ad peccatum aliquod per- *Quando ignis inferni à Deo conditus fuit.*

petrandum cogere valebat: eò quod liberi essent conditi: Si autem non peccarent, confirmandi erant in Dei gratia, quemadmodum & omnes Angeli, qui rebellioni Luciferi non cōsenserunt, seque à peccato immunes seruauerunt: & sic nūquam vllo se peccato obstrinxissent. Quare si DEVS, quādo mundum creauit, simul hūc ignem condidisset, nullo adhuc existente peccato in quid animaduerteretur, frustaneum & vanū quod molitus fuisset: hoc autem vt dictū est, affirmari nequit; Ergo creatus fuit ignis ille post Angelorum rebellium transgressionem, vt illi punirentur & non ante. Verùm quid attinet hoc rationibus confirmare, cùm audiamus Christum summam veritatem, verbis clarissimis, id in Matthæi Euangelio contestantem & dicentem? *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius.* Quia ante peccatum nulli extiterunt Diaboli, quia erāt innocētes & puri spiritus, sed post, vti S. Hier. in suis epistolis testatur, dicens: *Diabolo hoc nomen positū est, postquā homini inuidit*: inuidit autē, quando hominis dignitatē ad quam per verbi diuini incarnationē sublimandus erat, Deo reuelante cognouit. Hinc est quod S. Ioan. illū homicidā appellet. *Qui fuit homicida ab initio*: nā propter inuidiā, optabat homini mortē, maluissetq; illū nūquā fuisse conditum. Post peccatū ergò & non ante ignis iste succēsus fuit, eò quod tū primū diaboli esse cęperint, cū antea essēt puri spiritus.

Matt. 19.

Quin & nominis Diaboli etimologia idem demōstrat: nā *diabolus* idē est quod *deorsū fluēs*: quo nobis indicantur, tū primū nominari cœpisse diabolos, quādo propter peccatū inuidię,

& in

& in summũ cæli Regẽ rebellionis, de cælis in ima terrę loca corruerunt, Ergo & ignis infernalis succendi cœpit post peccatum : nõ antea quando conditus fuit mundus , quia tunc nõdum erat vllum crimen, quod hoc igne puniretur: nec diabolus aliquis, qui in eũdẽ pręcipitaretur. Imò, vt quod sẽtio, liberè eloquar, existimo Luciferũ & socios eius, dum de cælo corruerunt, ipsosmet ignẽ secũ detulisse, quo loca illa subterranea & sulphurea, quæ cadentes attigêre, inflammarunt. Atq; vt hoc sentiã, faciũt verba Christi, æternæ sapientiæ, qui de Luciferi casu disserens, ad discipulos ait: *Videbã Sathanã sicut fulgur de cælo cadentem*, quod Luc. 10.
perinde est ac si dixisset. Notũ vobis facio, discipuli mei, angelis in cælo rebellãtibus, cũ ibidẽ pręsens essẽ, me vidisse Sathanã rebelliũ principẽ, de cælo instar fulguris corruentem. At quomodo d labitur fulgur? Nonne secum defert ignem, & quæcunque loca transeundo attigerit, si ad flammam concipiendã idonea sint, inflammat?

Hinc fit, si per loca lignis, paleis, aut stupa abundantibus transeat, quòd statim luculentum ignem succendat. Christus igitur innuere vult, eodem modo Luciferum cum sibi adhærentibus de cælo corruisse, nam in hoc casu, cùm per sphæram ignis delaberetur, diuina voluntate is ei adhæsit, & hoc igne succensus, cùm cauernas terrę ad imam vsque inferni regionem penetraret, venas illas sulphureas, quæ plurimis in locis mundi huius ardere cõspiciuntur, simul inflammauit. Idem fecerunt, cæteri Angeli, qui eius rebellioni consenserant, in locis, quæ transierunt. Euidenter ergo

liquet, post peccatum, non antè, ignem hũc accensum fuisse, quia à dæmonibus illum secum deferentibus succensus fuit. Et hanc fortè ob causam dixit Christus: *Qui paratus est diabolo & Angelis eius*, nam Lucifer & socij eius decidentes, primum facti sunt Diaboli: *diabolus* enim interpretatur, vti paulo ante dictum est, *deorsumfluens*, illis autem cadẽtibus ignis eatenus paratus fuit, quatenus ipsimet eũ è sphęra ignis delatum, in terræ visceribus succenderunt. Et quoniam non pauci sed plurimi ex

Apoc. 12. Angelis corruerunt, iuxta illud quod de Lucifero scriptum est. *Traxit secum tertiam partem stellarum*, id est, tertiam partem Angelorum, qui in sacris literis frequenter stellæ nominãtur: tot enim ad rebellionem induxit; idcirco cum tam multi numero essent, non ab vna eademque cæli parte, sed vndequaq; delapsi fuerunt, adeoque in omnes terræ partes corruerunt. Ex quo factum est, vt tot in Europa, Asia, Africa, America, reperiantur hiatus atque voragines, per quas diaboli ad infernum descenderunt, omnesque peccatores post illos descendent.

Ezech. 28. Huius assertionis veritas vt clariùs pateat, adducam locum quendam Ezechielis Prophetæ, vbi de Lucifero loquens, ita inquit. *Et foramina tua, in die qua conditus es, præparata sunt, & ducam ignem de medio tui, qui comedat te.* Quibus verbis euidenter demonstratur eodem die quo Angelus creatus fuit, eum peccasse, eique inferni cauernas, & ignem quo cruciaretur præparatum fuisse. Intelligite: *In die qua conditus es, foramina tua præparata sunt*: In his verbis habetis diem creationis, atque præpa-

rationis

rationis foraminum, per quæ ad imam inferni regionem descendit, nec non peccatum illius, nam alioqui nulla subfuisset causa hæc foramina præparandi. In sequentibus autem verbis, *Et ducam ignem de medio tui*, habetis ignem in hisce foraminibus succensum, ab ipsomet egressum, quia hunc secum detulit. *Qui comedat te*: his denique verbis indicatnr, hunc ignem pertinere ad sempiternũ illius cruciatum & tormentum, Nam euidens est, hanc vocem *Comedere*, sæpenumeró vsurpari pro dolore quem aliquis ex re quapiam molesta percipit; vt si quis dicat; Tam graui affligor tormento, vt interiora mea asidué comedat & absumat, Intelligitis ergo, quando & à quo ignis inferni succensus fuerit. Sed transeamus ad alia maioris momenti.

VI.

IGnis hic, auditores, qui mortis caligo, à S. Iob nominatur, corporeus & materialis est, vti rectè notat S. Augustin. lib. 21. de ciuitate Dei, *Gehenna illa*, inquit, *quæ etiam stagnum ignis & sulphuris dicta est*, *corporeus ignis est*. Et S. Gregorins lib. 4. dialog. *Ignem*, ait, *gehennæ corporeum esse non ambigo*. Qui etiam lib. 15. moralium, cap. 14. aliquot ignis huius qualitates, à nostri ignis qualitatibus admodum differentes recenset. *Noster*, inquit, *ignis corporeus, vt esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis. Qui cum necesse est, vt seruetur, per congesta ligna procul dubio nutritur: nec valet nisi succensus, esse, & nisi refotus, subsistere. At contra gehennæ ignis, nec studio humano succenditur, nee lignis nutritur, sed creatus semel durat inextinguibilis & successione non indiget, &*

Ignis inferni est corporeus
S. Augu.
S. Gregorius.

ardore non caret. Et post pauca ita concludit. *Omnipotentis ergo iustitia gehennæ ignem creauit: qui in pœna reproborum semel esse inciperet, sed ardorem suum etiã sine lignis nunquã finiret.*

Preterea noster ignis, hominibus igni traditis, breui tempore necem adfert, atque omnia quæ exusserit, consumit: at ille non consumit, neque vnquam consumet reproborum corpora, nec vnquam mortem illis adferet. Quod tibi, Christiane, mirum videri non debet, quia teste S. Augustino lib. 21. de ciuitate. DEI; illud procedet à voluntate omnipotentis Dei, qui quicquid vult potest. *Qui certè,* vt S. August. ibi ait, *nõ ob aliud vocatur omnipotens, nisi quoniam quicquid vult, potest.* Quare quanquam ista ignis adustio sine consumptione: & maximorũ dolorum perpessio sine morte, supra naturam virtutis & potentiæ creatæ esse videatur: non tamen est supra naturam virtutis diuinæ, & potentiæ increatæ, qualis est Dei potentia.

S. August.

Desine ò Christiane mirari: Si enim omnipotens DEVS virtutem habuit, quemadmodũ in Danielis prophetia legitur, tres pueros Ananiam, Azariam & Misaëlẽ, in ardentissima fornace regis Nabuchodonosor illæsos atq; omnis doloris expertes conseruandi, (nam supra ignis naturam est, in igne iacere, & nullũ detrimentum pati, aut dolorem sentire:) Quid mirum si eadem virtute sua diuina, reproborũ corpora in ardẽtissimis inferni flammis viua, cum tormento & dolore conseruare possit, præsertim cum igni proprium sit dolore afficere? Et si potuit aliquanto tempore pueros in fornace succẽsa, sine consumptione & morte incolumes custodire; quid mirum si possit in igne

Quomodo ignis inferni improbos sine ipsorum cõsumptione torturus sit.

igne infernali, miseros damnatos, sine corporum consumptione atque interitu perenniter conseruare, cùm virtus ipsius non finita & terminata, sed infinita, & indeterminata sit?

Sed quid ea probamus ratione, quæ oculis, in alijs huius mundi rebus cernuntur? Iam enim dixi, plurima esse loca in Africa, Asia, Europa, India, pręcipuè in Sicilia, Insulisque circumiacentibus, quæ iam inde à mundi principio, vsque ad hæc nostra tempora semper arserunt, nec tamen vnquam cousumpta fuêre: imo talia manent, qualia fuerũt ab initio, quãdo ardere cœperunt, & talia vsque in finem mundi permanebunt. Quid ergo mirum quòd animæ & corpora reproborũ diuina & supernaturali virtute, æterno tempore igne cruciari possint, nec tamen vnquam absumi? Audite S. Augusţ. libro 21. de ciuit. Dei hanc rationem ad eiusdem assertionis probationem adducentem. *Quidam*, inquit, *notißimi Siciliæ montes, qui tanta diuturnitate temporis atque vetustate, vsque nunc, & deinceps flammis exæstuant, atque integri perseuerant, satis idonei testes sunt, non omne quod ardet absumi, quibus docemur, non esse incredibile, vt hominum corpora, sempiterno supplicio punitorum, sine detrimento ardeant.* Quare non videatur tibi difficile creditu, quòd corpora dãnatorũ perpetuo in gehennæ ignibus, sine sui consumptione, arsura sint. Audi maius aliquid. *S. August.*

Multa sũt animãtia quæ naturaliter in igne viuũt & nutriuntur. Salamandra nũquid non in igne vitam transigit? Nunquid in balneis feruidissimarum aquarum, species quædam vermium cernitur in fundo iacentium, & vi-

tam illic sine vllo detrimento sustentantium? imo extra illas aquas viuere non valentium? Quid ergo mirum, quòd supernaturali & diuina virtute, damnati in ardentissimis gehennæ incendijs, vitam immortalem sine sui consũptione, possint viuere. Imò multò admirabilius est, quòd hæc animalia in igne viuant sine doloris perceptione, quàm quòd damnati in eodem perenniter viuant, cum doloris acerbissimo sensu: quia naturale est igni, dolorem adferre. Eodem argumento S. Augustin. vtitur loco supra citato, vbi sic ait. *Sunt animalia profecto corruptibilia, quia mortalia, quæ tamen in medijs ignibus viuunt. Nonnullum etiam genus vermium in aquarum calidarum scaturigine reperitur, quarum feruorem nemo impunè contrectat: illos autem non solum sine vlla sui læsione ibi esse, sed extra non posse. Salamandra quippe in ignibus viuit: quibus exemplis docemur, non esse incredibile, vt hominum corpora, sempiterno supplicio punitorum, & in igne animam non amittant, & sine interitu doleant. Mirabile est enim dolere in ignibus, & tamen viuere, sed mirabilius viuere in ignibus & non dolere: si autem hoc creditur, cur non & illud?* Verumenimuero quid aio? Non modò possibile est, sed etiam necessarium, vt reprobus æterno tẽpore in ignibus inferni, sine consumptione crucietur. Accipite rationem. Impius peccando, æternum & infinitum DEVM offendit, ergo, secũdum illam diuinæ iustitiæ legem: *Iuxta mensuram delicti, erit plagarum modus*, æternam quoque & infinitam pœnam subire debet. Pœna autem tantummodo viuentium est: quia mortuus nullum dolorem aut supplicium sentire

S. August.

Deut. 25.

sentire potest: ergo cum improbus ęterna tormenta passurus sit, necessariũ est, vt in tormẽtis ei paratis, id est, in igne inferni, immortaliter viuat. Nec vllius momẽti est illa obiectio, quàm quidam adferunt. Magnus, inquiunt, dolor perimit hominem, at ignis inferni, est omnium dolorum & suppliciorum maximus, ergò necesse est, vt temporis longinquitate, minimũ tortis necem inferat. Quamuis enim ista ratio valida sit quoad viuentes in hoc sæculo, attamen inualida est, quoad viuẽtes in altero. Quia tormentum siue exustio ignis, vim habet viuentibus huius sæculi necem adferẽdi, quia mortis capaces sunt, at non viuentibus in altero, quia non sunt capaces mortis, & tales sunt damnati. Vt autem id melius intelligatis, aduertite quæ dico.

Corpora nostra, dũ hîc viuimus, morti sunt obnoxia, quia membrorum & partium ipsius vitalium coniunctio, tam debilis & infirma est, vt non possit diu tolerare vim eorum, quæ vehementer cruciant. Quare necessarium est, vt anima tandem maximis istis doloribus cõpulsa, à corpore suo quod patitur, discedat. At in altera vita, corpora nostra non erũt amplius morti obnoxia; quia membrorum & partiũ vitalium vnio, non erit infirma & imbecillis vti nunc, sed robusta & fortis. Atque eam ob causam anima, nullo dolore etiam maximo & violentissimo adigi poterit, vt à corpore discedat, & ideo dãnati in igne tartareo acerbissima quidem supplicia experientur, sed nunquã mori quibunt. Audite & aliam rationem.

Quemadmodum improborum mors in hac vita, plurimum differt à morte alterius vitę, i-

Diuersitas corporum huius & alterius vitæ, qualis in dãnatis futura sit.

ta & corpora illorum quibus in hac vita circundati fuêre, plurimum discrepabunt ab illis, quibus in futura vita vtentur, non quoad substantiam, quæ erit eadem, sed quoad qualitates quasdam. Quia in hac vita mors animam violenter, & contra suam voluntatem, eijcit è corpore: quod tam arcto amore prosequitur, vt nunquam ab eo diuelli cuperet. At in altera mors animam in corpore contra ipsius volũtatem retinebit: optabit illa quidem, propter summos quos corpus patitur dolores, odiumque quo illud prosequitur, discedere, sed non valebit: vt verificetur illud Apocalypsis, vbi de damnatis ita legimus: *Desiderabunt mortem, & ipsa fugiet ab eis.* Corpora ergo reproborũ in futuro sæculo valdè diuersa erunt ab illis, quæ in præsenti gesserũt: eò quòd modo mors animam violenter & contra volũtatem suam, inde eijciat: tum verò eadem mors ab illis recessura, & animam contra voluntatem in corpore seruatura sit. Illud autem erit damnatis tormentum omni morte maius & intolerabilius. Et quia istud tormentum æterno tempore duraturum erit, ipsi quoque in omnem æternitatem continuam quandam mortem, sine mortis fine, sustinebunt.

Apoc. 9.

Hę, auditores sunt S. Patris Augustini rationes, quas libro 21. de ciuitate Dei, vbi latè fuseque de hac materia tractat, adducit. Ex quibus opinor intelligitis, quomodo improborum corpora in illo igne, qui à S. Iob mors appellatur, sine sui consumptione & sine morte, perẽniter duratura, simulque immensos cruciatus, propter quos mortem millies ac millies desiderabunt, perpessura sint.

Cur

Cur ergo, ô Christiani, non cogitamus & animo præcipimus hunc ignem, hanc mortem, hanc æternitatem? Sancte DEVS! illa mors quæ nobis modò tantoperè exosa est, vt eam tota animi contentione fugiamus: si propter peccata, damnationis sententiam exceperimus, tunc à nobis summoperè optabitur, vtpote, qua nihil nobis accidere possit gratius atq; iucundius. Sed illa irata, multò maiori contentione fugiet à nobis, quàm nos in præsenti vita eam vitauerimus. Illa verò alia mors, id est, sempiternus gehennæ ignis, nũquam discedet à nobis, sed perpetuò, adhærebit, depascet, & continua quadam morte nos affliget, iuxta illud Dauidis, quando de peccatoribus ad æterna supplicia cõdénatis ait: *Et mors depascet eos.*

At, quomodo depascet peccatores? Non aliter atque oues & alia armenta, herbas teneras mollesque tempore veris depascuntur: quæ iterum iterumque ab illis ad radices vsque decerptæ, post breue tempus renascuntur, pecoribusque nouum pabulum suppeditant: sæpiusq; id continuant, vt postquam ab ouibus depastæ fuerunt, multo lætius iterum reuirescant & pullulent: adeò vt continuam quandã mortem perpeti videãtur, quamuis in radice semper viuę permaneãt. Ita etiã, nos miseri peccatores in inferno à morte assiduè depascemur. Quia, (anima quæ vitę nostræ radix est, semper in nobis viua permanente, indies miro quodã modo renascemur, & reuiuiscemus, vt mortis, quæ ex nostris miserijs & tormentis, tanquam cibo vitam suam prorogabit & conseruabit, cibus esse valeamus. Idcirco ait S. Propheta Dauid: *Mors depascet eos.* Et ego vobis dico: si

Psal. 48.
Quomodo mors peccatores depastura sit.

improbæ

improbæ & sceleratæ vitæ fuerimus, *mors depascet nos*. O miseriam ingentem; in inferno nulla est mors: & tamen ibi viget sempiterna mors. Nulla est mors: quia quamuis dānati in summis illis cruciatibus, mortem ardentibus votis expetituri sint, nunquam tamen mori poterunt. Sempiterna verò mors ibi viget, tum quia Deo, qui est animæ vita, destituti sunt: tum quia perenniter in ardentissimo illo gehennæ igne, qui à S. Iob mors nominatur, torquebūtur. Vnde S. Augustinus 21. lib, de ciuitate Dei, ait. *Non enim nulla sed sempiterna mors, quando nec viuere poterit anima Deum non habendo, nec doloribus corporis carere moriendo.* O peccator, cur hæc cum animo tuo diligenter non reuoluis? cur mores non corrigis, vitamque emendatiorem amplecteris? hoc enim nisi feceris, iam nunc tibi edico quòd in eas angustias aliquando redigendus sis, vt illam mortem, quæ te perennibus supplicijs cruciabit. detestaturus: alteram verò quæ à te fugiet, vt semper in illis incendijs, & in æterna illa morte viuas, summoperè desideraturus sis.

S. August.

VII.

Quomodo animæ impiorum igne gehennæ corporeo torqueri possint.

Matt. 25.

SEd dicet fòrsan aliquis: Certi sumus corpora impiorum post resuscitationem, æternū gehennæ ignem subitura esse, tum propter rationes allatas, tum propter testimoniū Christi, summæ veritatis, apud Matthęum dicentis, se hanc in impios sententiam laturum. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* At mirum est, quomodo animæ, quæ ante iudicium igni huic addicuntur, cùm sint merè spirituales, ignis huius corporei incēdijs torqueri valeant, cùm corporalia & spiritualia se inuicem non con-

contingant, vbi autem non eſt contactus, ibi, iuxta philoſophorum doctrinam, vnum ab alio cruciari nequeat.

Subtile quidem dubium, ſed ad ſoluendum facile. Attendite, & luculentam illius declarationem vobis exhibebo.

In pœnis atque ſupplicijs humanæ iuſtitiæ, ſi vnus alium torturus ſit, verum eſt, neceſſariò requiri contactum: at non in pœnis à iuſtitia diuina profectis, qualis eſt illa, qua animæ in ignibus Inferni cruciantur: præſertim cum Deus poſsit efficere quod vult, quamuis id fiat ſupra vim atq; ordinem naturæ. Mirabili igitur ſed vero modo, animas damnatorũ quæ ſunt ſpiritus, igne gehennæ corporeo affligit. Neque id magnum videri debet.

Quia quemadmodum anima quæ incorporea & merus ſpiritus eſt, corpori iungitur, eique vitam ſubminiſtrat: ita quoq; eadem anima ad infernum deſcendens, gehennæ ignibus ſociatur, non vt eis vitam conferat, ſed vt pœnam ab illis recipiat: vti rectè annotauit S. Auguſt. in ſæpè citato libro de ciuit. Dei. *Dicamus*, inquit, *quamuis miris, tamen veris modis, etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi: veris & ineffabilibus modis igni adhærendo: accipientes ex igne pœnam, & non dando igni vitam.* Et S. Papa Gregorius lib. 4. moralium, vbi ait. *Si incorporeus ſpiritus in hoc teneri corpore poteſt, quod viuificat: quare non pœnaliter ibi teneatur, vt mortificetur?* Verumenimero, quid confirmamus SS. Patrum teſtimonijs quod oculis clarè cernitur? nam videmus rem corporalem, affligere & cruciare ſpiritualem. Intelligite.

Similitudine id oſtendit.

S. Auguſt.

S. Gregor.

Dicite

Corpus propter animam patitur.

Dicite mihi, amabo vos, quid causæ est, quòd quantò vulnus cordi est vicinius, tantò vulneratus maiorem percipit dolorem, nisi, quia anima quæ præcipuam sedem suam habet in corde, est, quę patitur? Ecce ergo per ictū corporeum cultri aut gladij anima, quæ spiritualis est, torquetur. Si autē ex loci maximè propinqui sauciatione tam acerbum capit dolorem; qualem experietur in Inferno, cùm à corpore & corde fuerit separata: quia ignis ille nó aget in locū vicinum, qui præcipua sedes eius est, sed ipsam animā tanget & cruciabit?

Præterea vndenam fit, si brachium aridum & emortuum, à chirurgo nouacula resecetur, aut igne aduratur, quòd patiens nullum inde dolorem haurit, nisi quoniam anima, quæ sola est, quæ patitur, inde recessit? *Non enim*, teste S. August. *animatum sine anima dolet*. Hóc verum esse inde liquet: nam si brachium illud balneis, vnguentis, & emplastris, ad pristinam sanitatem vigoremque reuocetur, ex minima ferri incisione aut ignis adustione maximū haurit doloris sensum: quod non fieret, si anima, quæ discesserat, ad viuificandum brachium, reuersa non esset: & nisi illa maximè à ferro & igne pateretur.

S. Aug.

Adhæc, vndenam proficiscitur, quòd vna tantum corporis parte, vel vnico duntaxat membro, quacunque ex causa languente aut cruciato, totum quoque corpus & totus homo inde crucietur? *Quando caput dolet, cætera mēbra languent.* Id non aliundè prouenit, quàm quòd anima, quæ per omnes corporis partes sparsa atque diffusa est, sit quæ torquetur. *Anima enim,* vti philosophus ait, *est tota in toto, &*

tota in qualibet parte corporis. Atque ita esse inde patet, quoniam anima è corpore sublata, corpus, nullum, quocunque ex tormento, dolorem sentit. Audite S. August. hac de re clarissimè differẽtem libro ante citato: ait enim. *Si consideremus diligentius, dolor, qui dicitur corporis, magis ad animam pertinet: animæ enim est dolere, non corporis: dolet itaque anima, cum corpore eius in eo loco, vbi aliquid contigit, vt doleat. Corpus autem nec exanime dolet, nec animatum sine anima dolet.* Videtis ergo, quòd dolores, quos patitur corpus, non sint propriè corporis, sed animæ. Atque idcirco eadem anima, quamuis sit spiritus, ignis infernalis qui est corporeus, incendium pati possit.

Aristotel.

S. August.

Quæ autem philosophi de contactu obijciunt, vera sunt tãtùm de corporibus & substãtijs corporeis, quarum si vna cruciatura sit aliam, contactus mutuus exigitur: at non de spiritualibus, quia hæ, quemadmodum ex ijs quæ diximus, intelligere potuistis, possunt ab alia substantia corporea torqueri, etiam sine contactu. Eleganter de isto scribit S. Gregorius Papa, exponens illa Christi verba in Euãg. Matth. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis eius:* Vbi ita inquit. *Si diabolus eiusq; angeli cùm sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi: quid mirum si animæ, antequam recipiant corpora, possint corporea sentire tormenta?* Infero igitur animas damnatorũ actualiter & reuera ardentissima & atrocissima gehennæ incendia tolerare.

S. Gregor.

Cæterùm sciendum est, animam in inferno duo diuersa pati supplicia: vnum in sua essentia & substantia: alterum in potentijs, videlicet, in-

Animæ damnatorum in inferno duo patiuntur tormenta: vnũ in substãtia, alterũ in potentijs suis

cet, in-

cet, intellectu, volũtate, memoria. In essentia sua cruciatur; quia licet merus sit spiritus, attamen patitur incendiorum gehennæ torméntum: Deo nimirum voléte & igni huic corporeo vim animam incorpoream cruciandi impertiente, vti superiùs sat fusè SS. Patrum testimonijs & rationibus declarauimus. Quod ipsum etiam ex hodiernæ diei Euangelio, in anima diuitis Epulonis in inferno sepulta, euidenter patet. Audimus enim eum vociferãté.
Luc. 16. *Crucior in hac flamma*. Quæ verba S. August.
S. Aug. lib. 21. de ciuit. Dei, secum expendens ait. *Dolet etiam anima non in corpore constituta: nam vtique dolebat diues ille apud inferos, quando dicebat, crucior in hac flamma*. Patitur ergo anima realiter, in sua essentia atque substantia. Quin & aliam pœnam in suis potentijs tolerat. Quam vt intelligatis aduertite: animas reproborum in ardentissimo inferni igne ab omnipotente manu Dei tanquam catenis quibusdam vinctas, & carcere conclusas retineri: & ex cõsequenti cum illis esse suas potétias, intellectũ, memoriam, volũtatem. Iam verò intellectus, animaduertens se ita vndique constrictum, ac semper ante oculos habens, ignem illum ardentissimum, quo anima actualiter cruciatur, & post iudicium corpus etiã torquebitur, nihil aliud cogitare sinitur, quàm præsens illud animæ tormentum, & futurum corporis. Hæc autem assidua cogitatio intellectũ perpetuo quodã dolore affligit, nec vnquam respirare, aut quietem vel minimam capere permittit. Porro intellectus ita angustiatus & pressus, voluntati præsens illud animæ supplicium; & futurum corporis repræsentat, ex quo illa ad

o dium

odium huius tormenti concipiendum impellitur. Hoc verò continuum odium, cum violenta voluntatis in hisce pœnis retentione, tantum ei dolorem & cruciatũ adfert, vt nunquam tranquillari valeat. Memoria denique vehementer affligitur, dum cogitat, hoc tormentum animæ & corporis futurum esse perpetuum, nec vllis vnquam sæculis finem habiturum. Inde ergò quòd intellectus, voluntas, memoria nulli alteri rei, quàm cruciatibus suis queunt intendere, fit, quòd anima etiam in potentijs suis ignem æternum quodammodo experiatur: in quibus propter continuas afflictiones & angustias millenis quotidie vicibus moritur, nec tamen vnquam morì desinit. Ita docet magnus ille Theologus & magister, Ioannes Scotus Franciscanæ familiæ gloria & lumen: qui in 4. lib. sentent. distinct. 44. quęst. 2. hoc animę supplicium in suis potẽtijs, appellat. *Pœnam sensus ipsius animæ.* Quam vt omnes apprehendere valeatis, illustrabo similitudine.

Ostendit similitudine quomodo fieri poßit, vt animæ in suis potentijs crucietur.

Dicite mihi, amabo vos, si reus quispiam, ad mortem condemnatus, ante sententiæ executionem duobus vel tribus annis sub patibulo in quo suspendendus, cui adhæreret scala, quã conscensurus, & laqueus (quo strangulandus esset, ferreis catenis atque cõpedibus vinctus stare, atque interea continuos virgarum ictus, forcipumque candentium adustiones tolerare cogeretur, nonne intellectus illius de præsenti vigarum & forcipum, atq; de futuro pręfocationis tormento assiduè cogitaret; nõne in cõtinuo mœrore animiq; angustia versaretur, nec vllã admitteret consolationẽ; nõne

ne præsentato per intellectũ volũtati, vtroq; præsenti & futuro cruciatu, eadẽ voluntas ad ista tormenta odio prosequẽda impelleretur? Nonne & memoria omni tempore mortis per laqueum inferẽdæ, & præsentium suppliciorum, quæ ex continuis virgarũ percussionibus, ignitarumque forcipum adustionibus sustineret, meminisse cogeretur? Perspicitis ergo, retẽtionem illam constrictionemq; sub patibulo, simul cum assidua tormẽtorũ recordatione & odio vehementissimo, dolore affligere trinas animæ huius rei potentias: adeòq; illum actualiter non modò in corpore, sed etiam in tribus animæ suæ potentijs cruciari.

Mirandũ igitur non est, secundũ mentẽ Doctoris subtilis, quòd animæ, (non ad patibulũ sed ad æterna incendia condemnatæ, quæque nõ virgis & forcipibus candentibus, sed igne, nõ vno aut duobus annis, sed sempiterno tẽpore torquetur) potentiæ, vinctæ & conclusæ in perennibus illis tormentis, maximũ sustineant cruciatũ, tũ propter dolorem præsentẽ quẽ anima patitur, tũ propter futurũ, quẽ corpus patietur. Clarũ ergo & manifestũ est, miserã & infœlicẽ peccatoris animam, duplicẽ in inferno pœnã grauissimam sustinere: alterã in sua essentia: alterã in suis potentijs. S. Greg. Papa bina hæc supplicia secum considerans, 4. lib. Dialog. ita inquit. *Teneri spiritum per ignem dicimus, vt in tormento ignis videndo, atque sentiendo puniatur: ignem namque eo ipso patitur, quòd videt: & quia cremari se aspicit, crematur.* Cũ dicit, *videndo* mõstrat tormẽtũ potẽtiarũ animę: cũ ait, *sẽtiẽdo* mõstrat suppliciũ animę in sua essentia: Præterea cùm dicit: *Ignem namque*

S. Greg. lib. 4. Dialog. cap. 17.

que

que eo ipso patitur, animam in sua essentia cruciari indicat: cum verò ait: *Quia cremari se aspicit, crematur*, eandem in potentijs suis torqueri ostendit: hic est enim dolor mentis, quæ propter præsentia & futura mala ardet, atque affligitur. O quàm immenso dolore, ignis ille infernalis, qui à S. Iob mors appellatur, animas damnatorum cruciat, quibus duplicem pœnam infligit. Hactenus sat multa de secunda amari huius fellis conditione disseruimus. Transeamus ad tertiam.

VIII.

Tertia fellis proprietas istis S. Iob verbis continetur: *Ad terram miseriæ*, & aliud nihil est, quàm omnis boni priuatio, omniumq; malorum aggregatio. Ecquæ enim maior miseria sub cælo reperiri potest illa, quam damnati patiuntur? Miseri & infœlices sunt, quia omnibus bonis spoliati, atque omnibus malis onusti sunt: nihil eorum assequuntur, quæ cupiunt, & semper ea secum habent, quæ abesse toto animi desiderio volunt: carent ijs rebus quas diligunt, & eas quas vehementer oderũt, indesinenter præ oculis habent. Amant quidem aliquid, & illo appetitu prophano, illo ardenti desiderio, illa inflammata cupiditate rerum mundanarum & illicitarum, qua in mũdo flagrarunt, adhuc æstuant: iuxta illud. *Animæ impiorum desiderant malum.* Sed nunquam poterunt, quicquam eorum quæ amant aut cupiũt obtinere: Hic autem amor & desiderum, ad maiorem cruciatum eis relictus fuit. Cernimus enim per experiẽtiam, cùm quis alicuius rei ingenti amore aut cupiditate flagrat, si desiderij sui compos fieri nequeat, vehementer

Damnati omnibus miserijs refertĩ sunt.

Pro. 21.

ter animo affligi: Ita etiam dānatos maximoperè torquebit, quòd ea quæ amant & desiderant, impetrare non valebunt: iuxta illud Dauidis: *Desiderium peccatorum peribit*. Contra verò habent & habebunt omni tempore præ oculis tormenta illa inferni, quæ maximè oderunt & execrantur. O miseriam, ô angustiam. Ecce suppeditat nobis hodiernum Euangelium, eorum quæ dico, luculentum exemplum. ille diues epulo, in inferno constitutus, duo quædam vehementer cupiebat & postulabat, quorum tamen neutrū potuit obtinere. Primum erat, aquæ gutta, qua linguam, ex gehennæ ardoribus exustam & sitibundam, refrigeraret. Alterum, vt Lazarus in domum Patris sui mitteretur, Fratresque suos, de rebus ad salutem eorum pertinentibus, ne ad eadem secum tormenta deuoluerentur, admoneret. Sed vtraque petitio reiecta fuit. Contra verò, illas gehēnæ flammas in quibus ardebat & cruciabatur, vehęmentissimè oderat, & tamen ijs carere nequibat. *Gehennam* (inquit S. Bernardus serm. 4. de quadragesima,) *meruimus, vbi nullus vnquam cibus, nulla consolatio, nullus terminus; vbi guttam aquæ diues postulat, & accipere non meretur*. O miseriam, omnes miserias huius viæ superantem. *Ad terram miseriæ*. Quantò ardentius infœlices illi aliquid cupient, tantò minus quibunt obtinere: & quantò minus obtinebunt, tantò maiori exardescent ira in Deum, in proximum, & in seipsos, dum cogitabunt se sibi harum miseriarum causam præbuisse: ac proinde maledicent sibi & proximis, & Deū blasphemabunt, S. Ioanne in Apocalypsi attestante, cum ait: *Blasphemauerunt Deum cæli præ-*

Psalm. 111:
S. Bernard.
Apoc. 16

præ vulneribus & doloribus suis.

Num ignoratis,(vt hoc etiam, auditores, addam) tres esse conditiones siue qualitates, quæ faciunt vt res aliqua magnum homini cruciatum adferat? Vel quia est voluntati eius contraria: vel quia cum dolore cōiuncta: vel quia nociua. Quod voluntati contrarium est, affligit animum: quod dolorem habet adiunctum, molestia afficit corpus: quod est nociuum, animam simul & corpus cruciat. Cōcupitis carere, & his quæ abesse malis, affluere, animum torquet: Supplicia corpus affligunt: Eorũ quæ quis possidet, aut possidere poterat amissio, animum simul & corpus dolore conficit. Omnes hæ conditiones miseriæ damnatorum insunt. Primo enim, tormenta quæ patiuntur, sunt voluntati eorum contraria, quoniam ijs carere vellent: nec quicquam eorum, quæ desiderant, impetrare quibunt. Secundò, tormẽta eorum dolorem habent adiunctum, quia actualiter animam, & post iudicium etiam corpora affligẽt. Tertiò tormẽta hęc sunt nociua, quia omni bono ipsos spoliãt, & omnibus malis cumulant, O ingentem miseriam. *Ad terram miseriæ.* *Tria quæ damnatorum miseriam aggrauant.*

Habent infœlices illi, in intellectu tenebras, in volũtate odium, in memoria afflictionem, in affectu dolorem, in irascibili furorẽ, in concupiscibili ardorem. Habebunt etiam, sed post iudicium, in oculis lachrymas, in auribus sociorum clamores & eiulatus, in naribus fœtorem, in lingua ardorem, in dentibus stridorẽ, in palato sitim, in manibus catenas, in pedibus compedes, in pectore suspiria, in corde timorem, in ventre rabidam famem, in

 membris

membris laſſitudinem, & in toto corpore ignem. O inexplicabilem miſeriam. *Ad terram miſeriæ*, In hac miſeria, quæ damnatis nullam concedit requiem, ego pauliſper requieſcam, vt alia multò miſerabiliora vobis deinde valeam enunciare. Vos etiam mecum quieſcite, & aures atque animos veſtros ad maiorem attentionem præparate.

PARS SECVNDA.

I.

ESaias Propheta, dum ſecum ingentes cruciatus & ſupplicia, quę dãnati in animo patiuntur expenderet, in hęc verba conſideratione digniſſima prorupit. *Vermis eorum non morietur & ignis non extinguetur*. Quæ verba de igne & verme ſpirituali, quo animus affligitur, intelligenda ſunt: Iſte autem ignis ſeu vermis nihil aliud eſt, quàm ſynderesis & remorſus conſcientię. De quo etiam S Paulus ad Corinthios ſcribens accipiendus eſt: quando ait: *Quis ſcandalizatur & ego non vror?* Et Sapiens in Prouerb. *Sicut tinea veſtimentum & vermis lignum, ſic mœror excruciat cor viri.*

Eſa.66. *Remorſus cõſcientiæ ob quinq; cauſas damnatorum corda vehementer affliget.* *2.Cor.11.* *Prou.25.*

Præter miſerias, quas antea enumerauimus, torquentur etiam damnati igne hoc ſpirituali, verme hoc myſtico ſynderesis & remorſus conſcientiæ, quo aſſiduè illorum mentes inflammantur, & corda eroduntur, vt propterea rectè dixerit Eſaias. *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur*. O ignem, ò vermem, nunquam mentes & corda eorum cruciare deſinentem; Auſcultate diligenter, vt intelligere valeatis, quid his verbis Eſaias propheta indicare voluerit.

Eſa.66.

Synderesis teste D. Thoma, in 2.2.quæst.44. in intellectu consistit: & est scintilla quædam viua in anima, quæ nos semper ad bonum exstimulat, & à malo abstrahit. Cui quoniam homines scelerati in hoc mundo repugnarunt, non faciendo, quæ illa monebat esse facienda: idcirco vult iustissimus DEVS, vt à qua in hac vita ad bonum vrgebantur, & à malo retrahebantur, ab illa in altera veluti ab igne succenso, crudeli carnifice, & tinea importuna, excrantur, torqueantur, & erodantur, mens, cor, & viscera eorum: non breui sed æterno tempore, quia *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* D. Thomas. Quid sit Synderesis. Esa. 66.

Synderesis ista & remorsus conscientiæ, in inferno, quinq; potissimum ob causas, improborum mentes affligit, & cruciat. Primò propter cælestem gloriam amissam, & inferni pœnas suo vitio promeritas. Secundò, propter gratiam Dei toties oblatam per quam salutem consequi potuissent, reiectam. Tertiò, propter Christum Seruatorem offensum & beneficia eius præcipuè perpessionis ac necis contumeliosissimæ, qua plurimum iuuari poterant, nihili pensa. Quartò propter bonarum actionū, quibus cæleste Paradisum sibi conquirere potuissent neglectum: & malarum ob quas æternis gehennæ incendijs deputati fuere, admissionem. Quintò & vltimò, propter omissionē salutaris pœnitentiæ, quam cùm in hac vita cum fructu facere potuissent, in altera sine vllo fructu atque fine facere coguntur. O quantoperè corda & mentes illorum exedit atque consumit harum rerum recordatio. De quibus

si ego, auditores, singulatim ac fusè velim disserere, prius me dies quàm oratio deficeret. Quare cum summa, qua fieri poterit breuitate, singula duntaxat attingam.

Prima causa. Primùm remorsus iste, damnatos cruciabit, dum recordabuntur, se suo vitio ineffabilem supernę beatitudinis gloriam perdidisse. Si enim, ô Christiani, Esau patriarchæ Isaac filius, tantoperè indoluit, vt magno cum rugitu exclamauerit, & in vberrimas lachrymas proruperit, dum benedictionis amissæ, & primogenituræ, propter lentis edulium venditæ meminisset: quos clamores, quæ suspiria, quos fletus edent miseri illi in pœnis inferni, dũ secũ expendent se per negligentiã & dormitantiam suã æternę benedictionis Patris cælestis iacturã fecisse? & propter modicũ lentis, id est, propter breuissimas & fugacissimas mundi huius voluptates, primogenituram diuinam, qua beati in Paradiso gaudent, vendidisse? Sed quid dico, dum secum expendent: imò verò dicendum erat, dum videbunt: Quia S. Gregorio Papa attestante, damnatis in inferno vsque ad diem iudicij permittetur facultas cernendi beatorum gloriam, *obiectiuè & nõ subiectiuè*, post iudicium verò non amplius, quia tunc in omnem æternitatem, nunquam vltra eam intueri poterunt, quamuis illius recordaturi sint. *S. Gregorius.*

Damnati in inferno vident cælestem gloriam. Hoc vt intelligatis, sciendum est: Cælestem gloriam aspicere *obiectiuè* nihil aliud esse, quã à longè illam ita intueri, vt tamen ea nullo pacto frui liceat. *Subiectiuè* autem; non modò eam è vicino oculis lustrare, sed etiam ea perfrui & gaudere; hac ratione beati in cælis eam vident: illam verò damnati in inferno tantùm aspici-

aspiciunt. Qui tamen aspectus ad maiorem ipsorum cruciatum cedet.

Quia, quemadmodum, si famelicus aliquis, *Simile.*
lautum quoddam & sumptuosum alicubi videat haberi conuiuium, in quo plurimi magna cum animi voluptate discumbant, ac propositis ferculis perfruantur, ipse autem non possit ijs frui quòd longius inde dissitus sit, famem, qua premitur, magis sentit, multoq; aceribùs, quàm si non videret, cruciatur. Qui dolor maius adhuc sumit incrementum, si vnus fuerit de inuitatorum numero, & fortè ob propriam seu voluntariam culpam hoc conuiuio indignum se reddidit. Ita etiã famelici & sitibundi illi, in supplicijs inferni constituti, de quibus *Psal. 18.*
scriptum est: *Famẽ patientur vt canes*, cùm illud sumptuosissimum, & omnibus delitijs instructissimum conuiuium cælestis gloriæ, in quo omnes beati summa cum voluptate discũbunt, & sibi propositis ferculis fruntur, viderint, nec tamen eo gaudere potuerint, supra modum affligentur & contabescent in semetipsis: hic autem dolor mnltò magis augebitur, cũ ad memoriã reuocauerint, se etiam de numero inuitatorum ad hanc mensam extitisse, & per propriam atque voluntariam culpam, se indignos ea reddidisse. Vt propterea Regius *Psal. 111.*
propheta Dauid, de peccatore in gehennę tormentis constituto rectè dixerit. *Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet.* id est, videbit cæleste conuiuium & paradisi gloriam, & omni illius potiundi spe priuatus, propter ingentem quem inde concipiet animi cruciatum, in furorem ac rabiem vertetur, dentibusque labia mordebit, membra corrodet,

det, atque in sese tabescens, sibi ipsi mortem optabit. O quàm vehemens mẽtis dolor, quàm acutus stimulus cor pungens: quàm sæua tinea viscera erodens: quantus ardor animum consumens erit miseris damnatis ille supernę gloriæ aspectus, qua tamen frui non poterunt, cùm ea suo vitio, se priuatos esse cogitabunt.

Ecce ad horum confirmationem, exhibetur nobis in hodierno Euangelio, diues epulo inter inferni supplicia cęlestem gloriam, beatorumque animas ea perfruentes intuens. Sic enim ibi legimus. *Cum esset in tormentis, eleuans oculos suos, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius.* Quòd verò iste aspectus, multò magis animum eius cruciauerit, ex sequentibus ipsius epulonis verbis, manifestè patet. *Mitte,* inquit, *Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam & refrigeret linguam meam; quia crucior in hac flamma.* Post iudicium quamuis damnati carituri sint huius gloriæ intuitu, non tamen illius recordatione carebunt, quæ incessanter mentes & corda eorum exuret, atq; consumet. Quia *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* Ecce habetis declaratam primam causam, propter quam damnatos vehementer afflicturus sit remorsus conscientię. Explicemus secundam.

Luc. 16.

Esa. 66.

II.

Secunda causa.

CRuciabuntur supra modum intrinsecus, eò quod gratiam Dei non semel oblatam, repudiauerint. Magnum reuera tormentum & ingens afflictio erit miseris damnatis huius dementiæ recordatio. Nunquid meministis, auditores verborum, quæ S. Iob, in summis angustijs

gustijs & ærumnis constitutus, cùm præterito-
rum bonorum recordaretur, profudit? ait e-
nim: *Quis mihi tribuat vt sim iuxta menses pri-
stinos, quando lauabam pedes meos butyro, & pe-* Iob. 29.
tra fundebat mihi riuos olei? Lachrymosa hæc
verba S. Iob non tam de se literaliter, quàm
significatiuè in persona peccatoris, in inferni
supplicijs detenti, protulit. Hic enim in atro-
cissimis gehennæ incendijs constitutus, buty-
ri, quo pedes suos lauare poterat, & petræ olei
riuos scaturientis recordatur. Verùm quale
est hoc butyrum, quales pedes, quales olei riui
de petra profluentis? Butyrum est diuina gra-
tia: pedes qui eo ablui possunt, sunt affectiones
humanæ atque terrenæ: riui olei de petra ma-
nantes sunt misericordia, charitas, pietas: pe- 1.Cor.10.
tra è qua scaturiunt, est Christus, dicente S.
Paulo. *Petra autem erat Christus*, nam ex illius
vulneribus, ad nostram vtilitatem, vbertim e-
manauit oleum misericordiæ, charitatis, pie-
tatis. Damnatus ergo, dum diuini huius buty-
ri, videlicet, cælestis gratiæ, qua in præsenti
vita abundabat, in qua terrenarum affectionũ
& cupiditatum pedes emundare, seque purum
ac nitidum seruare poterat, recordatur: simul-
que pretiosissimi olei, misericordiæ, pietatis,
& charitatis diuinæ, magna cum abundãtia, de
petra Christo profluentis, quod per pœniten-
tiam, sanctissimorumque Ecclesiæ Sacramen-
torum vsum sibi applicare omniumque scele-
rum suorum veniam impetrare poterat, & ne-
glexit, reminiscitur, supra modum animo cru-
ciatur, cuperetque denuo in hunc mundum, ad
negligentiam anteactæ vitæ resarciendam re-
uerti. Ideo in suis miserijs totus mœrens ac la-
chryma-

chrymabundus exclamat. *Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos, quando lauabam pedes meos butyro*, id est, *lauare poteram, & petra fundebat mihi riuos olei.* Quod perinde est, ac si diceret. O me infoelicem, quis mihi hoc singularis gratiæ loco impertiatur, vt reddantur mihi anni præteriti, tempus illud pretiosissimum, quo pedes immundos prauarum cupiditatum & affectionum mearum, ab omni macula mundare atque eluere poteram diuinæ gratiæ butyro, quod vbertim mihi non semel ab immensa Dei benignitate offerebatur: quando etiam abundanter mihi suppetebat oleum misericordię, pietatis & charitatis, quod per pœnitentiam, sanctissimorumque Ecclesiæ sacramentorum vsum obtinere, atque per illud omnium scelerum meorum, pro quibus nunc atrocissimas pœnas experior, impetrare poteram? O me miserum, nullum vltra superest mihi remedium, tam pretiosos menses & annos recuperandi: nulla spes tam vtile, tam gratum, tamque iucundum tempus reparandi. Æternæ & nullo vnquam æuo terminandæ erunt meæ miseriæ, lamenta, & væ. Hæ sunt voces & ploratus, quos quilibet damnatorum, mæstus & afflictus, in tartareis illis claustris, & obscuris inferni cauernis edet, & decantabit. Quia, *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* Declarata iam satis est secunda causa, propter quam damnatos maximopere affligit, synderesis, & remorsus conscientiæ, differamus de tertia.

Tertia causa. Magnam sentient damnati afflictionem & animi molestiam, quando ad memoriam reuocabunt scelera quibus diuinam maiestatem offende-

fenderunt, propter quæ hisce tormentis adiudicati fuêre: & beneficia paſsionis ac mortis Dominicæ, quæ vili penderunt, per quæ, ſi ijs recte vſi fuiſſent, æternam ſalutem conſequi potuiſſent.

Nunquid, auditores, memoria retinetis, verba, quæ fratres Ioſeph patriarchæ, cùm in AEgyto proditionis inſimularentur, atque ad carceres ſe trahi putarent, ex ſceleris in Ioſephum admiſsi conſcientia & remorſu, protulerunt. Mœſti namque & dolentes inter ſeſe dicebant. *Meritò hæc patimur quia peccauimus in fratrem noſtrum, dum deprecaretur nos & non audiuimus eum, ideo venit ſuper nos iſta tribulatio.* O quàm præclarè exprimunt iſti fratres, his verbis, figuram eorum, qui conſtituti ſunt in inferno. Gen. 42.

Nam Ioſeph, id eſt, Chriſtus, omnium hominum, propter naturæ humanæ aſſumptionem, frater, aſsiduè per legem, per Euangelia, per prophetas, per concionatores, per intrinſecas & extrinſecas vocationes, rogat nos, ne ſe vllis flagitijs offendamus, aut mortem atque paſſionem ſuam parui pendamus. Et tamen nos adeò duri & proterui ſumus, vt precibus eius nihil moueamur. Verùm quid fit? In morte nos peccatores, captiui abducimur in AEgyptum, id eſt, in infernum. Quia AEgyptus, *tenebræ*, interpretatur: nec vllæ denſiores aut palpabiliores tenebræ reperiri poſſunt, quàm illæ in ima inferni regione. Ibi verò dum reminiſcemur ſcelerum, quibus Chriſtum, fratrē noſtrū, irritauimus: & contemptus, qua beneficia paſſionis ac mortis eius, nec non & preces, ſpreuimus, confuſi & acribus conſcientiæ ſtimulis

impul-

impulsi dicere cogemur. *Meritò hæc patimur quia peccauimus in fratrem nostrum,* id est, *Christum, dum deprecaretur nos & non audiuimus eũ. Ideo venit super nos ista tribulatio.* Quod idem est ac si diceremus: Quia, nos miseri, flagitijs nostris immanibus Christum Seruatorem, qui propter summum, quo humanum genus complectebatur amorem, pro nostra redemptione mortem subiuit, offendimus; obstinati & pertinaces in malo extitimus; aures ad crebras illius vocationes & preces obturauimus, atque vnde meliores fieri debueramus, inde peiores facti sumus: idcirco iusto iure nunc patimur intolerabiles hos gehennæ dolores, & ineffabilia tormenta. *Ideo venit super nos ista tribulatio.* O angustiam animi. Et quia hęc recordatio & angor mentis perpetuus est futurus, proinde verissimum est illud Esaiæ dictum. *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.*

Esa.66.

Quarta causa

Sed transeamus ad quartam causam, propter quam damnatos synderesis, & conscientiæ stimulus, vehementer excruciabit: ea autem est: quod bonas actiones quibus regnum cælorum sibi acquirere & mereri potuissent, omiserint; malas verò, propter quas æterna gehennæ supplicia tolerant, tota animi contentione sectati fuerint. Itaque, miseri illi, quoties cogitabunt de oratione, qua dum in mundo viuerent, DEVM sibi propitiare, sanctorum opem implorare, peccatorum condonationem impetrare poterant: quoties recordabuntur ieiuniorum, quibus carnem macerare valebant ne spiritui repugnaret, illosq; ad peccandum induceret; quoties reminiscentur eleemosynarum quas in pauperes, ad peccatorum suorum deletionem,

nem, Paradisiq; cęlestis coëmptionẽ erogare: patientiæ, qua aduersa æquanimiter tolerare, & iniurias omnes dimittere: humilitatis, qua abiecta & vilia amplecti: amoris, quo DEVM & proximum diligere: correctionis fraternæ, qua proximi excessus emendare; sacramentorum quæ frequentare; & mandatorum diuinorum quæ obseruare poterant: quoties inquam, alicuius horum recordabuntur, supra modum ingentem concipient animo dolorem: eò quòd horum sola obseruatione, inferni pœnas defugere, & cælestis Paradisi gaudia mercari potuissent. Quin etiam vehementer affligentur, dum secum malas actiones, quas in mundo perpetrarunt, expendent. Nam quoties, infortunati illi, ad memoriam reuocauerint, superbiam suam in vestitu, incessu, statione & conuersatione: vanam gloriam, in bonis & laudabilibus actionibus, si quas moliti fuêre, inuidiam in aliorum bonis & prosperitatibus: libidinem in rebus carnalibus & lasciuis: auaritiam, in opibus per fas & nefas accumulandis: gulam, crapulis & ebrietatibus nutritam: iram contra proximos in animo retentam: acediam denique & tarditatem in bonorum operum effectione, & mandatorũ Dei & S. Ecclesiæ obseruatione, quoties inquam horum aliquid in mentem reduxerint, inexplicabilem inde haurient cruciatum: non tam quòd DEVM per ista scelera offẽderint, quàm quòd æternam damnationem, & ardentissima quibus torquentur incendia, per ea sibi parauerint. Audite quęrimonias & lamenta eorum in sacris literis. *Errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, viam Domini ignorauimus,*

uimus; Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarũ iactantia, quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tãquam nunctius præcurrens. Sic & nos nati continuò desiuimus esse, & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere. In malignitate autem nostra consumpti sumus. Quæ verba Salomon ita concludit: *Talia dixerunt in inferno hi qui peccauerunt*, quod perinde est ac si prorsus mœsti atque confusi in illis tenebris dicerent. O nos miseros, qui dum in mundo essemus, nostro vitio à semita veritatis deuiauimus, & summa cum mentis obstinatione atque proteruia, diuinis vocationibus, intrinsecis & extrinsecis obstitimus: Idcirco iustè lumen diuinæ gratiæ quod homines iustificat, corda nostra non illustrauit. O nos stultos ac vecordes, noluimus instrui de Domini via ad cęlum ducentis, & de mandatis eius, ne causa nobis ea obseruandi suppeteret. Quid nobis nostra profuit mentis elatio? quid intollerabilis animi arrogantia? quid opum auara congeries? quid hominum vana laus & existimatio? nonne hæc omnia instar inanissimæ vanitatis tanquam vmbra & velox cursor iter suum velocissimè finiens, præteriêre? O nos infortunatos, è mundo quàm citissimè discessimus, nec vllum virtutis aut probitatis argumentum ostendimus, quin potius in malitia & sceleribus nostris, annos vitamq́; consumpsimus. Idcirco nunc iustè patimur ardentissima hęc Gehennæ incendia. *Talia dicunt*, auditores, *in inferno, hi qui peccauerunt*. Hęc autem recordatio quæ tantoperè damatorum mentes cruciat, atque illos in hæc verba mœrore plenissima prorumpere cogit, non exiguo duntaxat tempore,

pore, sed in omne æuum duratura est Quia, *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* Ista de quarta causa dicta sufficiant. Differamus nunc de quinta & vltima, propter quam animas damnatorũ conſciẽtiæ remorsus affligit: ea autem est: quòd in hac vita fructuosam pro peccatis suis pœnitentiam agere neglexerint, in altera verò eam sine vllo fructu facere cogantur. *Esa.66.*

III.

MAgnum reuera tormentum erit mentibus eorum, quando ad memoriam reuocauerint asperrimam illam pœnitentiam, quã in inferno sine vllo fructu tolerant, & eam quam in hac vita longè mitiorem summa cum vtilitate facere potuerant, & non fecerunt. *Quinta causa.*

Hoc erit omnis miseriæ illorum fastigium, & quasi sigillum: quod vt intelligatis, audite fructus, quos pœnitentia in hac vita producit, quæ in altera nihil eis proderit. Quatuor vtilitates præstat nobis pœnitentia in hac vita peracta. Purgat peccata. Pœnas annihilat aut certè minuit. Merita cumulat. Paradisi gloriam conquirit. Purgat primò peccata, non aliter atq; ignis aurum à sordibus emundat, quia veniales culpas delet, & etiã mortales, si magna cum cordis cõtritione & integra peccatorum confessione peragatur. *Quatuor fructus pœnitẽtiæ.*

Secundò annihilat, vel certè imminuit pœnas peccatis debitas, Omnis enim culpa meretur pœnam: & culpa sublata, manet nihilominus pœnæ obligatio, quæ per pœnitentiam & opera satisfactoria, si ea sint insig-

nia & præclara, contritoq; corde peracta, omnino deletur; vel si ea sint exigua & ex corde duntaxat attrito profecta, imminuitur. Tertiò merita cumulat. Quia si dura pœnitentiæ opera assumantur ab eo, qui in gratia Dei constitutus est, præterquam quod sint satisfactoria, sunt etiam meritoria, vti asserunt Theologi. Demum gloriam regni cælestis acquirit; quia est scala qua ad supernam beatitudinem ascēditur: quin & ipsa meretur regni cælestis præmium: iuxta dictum illud S. Ioannis Bapt. *Pœnitētiam agite, & appropinquabit vobis regnum cælorum.* Et S. Pauli *Si compatimur & conregnabimus.* O vim & pretium ingens pœnitentiæ.

Matt. 3.
2. Tim. 2.

Verùm pœna & pœnitentia, quam sustinēt damnati in inferno, quamuis sit maxima, & infinities maior omni alia pœnitentia, quæ in hac vita peragi possit, nihil eis proderit, ad prædictos pœnitentiæ fructus adipiscendos. Nō ad remissionem & purgationem peccatorum; quia propter obstinatam malitiam suā, nunquam mores suos poterunt in melius cōmutare. Non ad pœnæ sublationem, aut vel minimam imminutionem: quia semper in ijsdem scelerbus hærebunt. Non ad meritorum cumulum: quia destituti erunt gratia, quæ omnis meriti radix est. Non ad regni cælestis acquisitionem, quia supplicia eorum erunt æterna, & imam illa terræ regionem immenso æuo incolere cogentur.

O Christiani, non iuuat, neque iuuabit eos, quicquam peccatorum integra confessio, non scelerum agnitio, non culparum deploratio, non intimi cordis pro flagitijs admissis gemitus,

tus, non ardentissimi ignis tormentum propter crimina perpetrata, toleratum: quia sunt extra statum, in quo talia prosunt. O miseriã omnes miserias infinitis partibus superãtem, *Ad terram miseriæ*

Ista cogitatio siue memoria pœnitentiæ, quam in hac vita breuem & modicam ingenti cum fructu facere potuerant, in altero verò maximam & nullo vnquam æuo terminandã, sine aliquo fructu facere coguntur, corda & animos eorum supra modum exedit atque consumit. teste August. lib. 2. de ciuitate Dei, vbi de hoc spirituali tormento, animas damnatorum, propter infructuosam, quam agunt, pœnitentiam affligente & exurente loquens: sic ait: *Vruntur dolore serò, atque infructuosè pœnitentes, hi, qui fuerunt à regno Dei separati.* Et quoniam ista pœnitentia perennis futura est, idcirco rectè, ab Esaia dictum fuit. *Vermis eorũ non morietur, & ignis non extinguetur.* Itaque propter infinitas miserias quas damnati, in ima inferni regione patiuntur, optimè à S. Iob dictum fuit. *Ad terram miseriæ.* O peccator, cõsidera tecum diligenter omnes hasce miserias, ac mente retine *Exentera hunc piscem, & fel repone tibi.* Verùm relicta tertia amari fellis conditione, de qua hactenus sufficienter disseruimus: gradum faciamus ad quartam.

S. August.

Esa. 66.

Tob. 6.

IV.

QVarta amari huius fellis proprietas est obstinatio, & cæcitas intrinsecarum animæ potentiarum in damnatis. Nam idcirco S. Iob ad miseriam adiungit tenebras dicens. *Miseriæ & tenebrarum.* Non dicam per has tenebras

Sæcæ & obtenèbratæ sunt in dam-

natis anima- rum potētiæ. Matt. 8. Iob. 10.

nebras intelligi exteriores illas loci obſcuritates ſeu tenebras de quibus Chriſtus apud Matthæum ait. *Filij regni eÿcientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium*, de iſtis enim accipienda ſunt illa verba S. Iob. *Et opertam mortis caligine*, quemadmodum ante diximus: Sed interiores tenebras intrinſecarum animæ potentiarum, videlicet, intellectus, memoriæ, & voluntatis. Quæ potentiæ in damnatis propter confuſionem vehementer obfuſcatæ, & propter obſtinationem ſupra modum cæcæ erunt. Intellectus erit cæcus, propter veri boni ignorantiam. Memoria cæca, propter eorum tantummodo quæ cruciant recordationem, cæterorum obliuionem. Voluntas cæca propter obſtinationem in malis, ita vt non poſſit, neq; velit adduci ad conformandum ſe diuinæ voluntati, aut cupiendum ea quæ iuſta & recta ſunt. Idcirco S. Gregorius lib 9. moralium verba illa S. Iob, *Terram miſeriæ & tenebrarum*, exponens ait. *Miſeria ad dolorem pertinet, tenebræ verò ad cæcitatem.*

Cur dãnatorum inualida & infructuoſa ſit pœnitentia. Sap. 5.

Ab hac cæcitate & obſtinatione potiſſimum proficiſcitur, quòd magna & aſpera illa pœnitentia, quam damnati faciũt in inferno, infructuoſa atque inualida ſit. Quòd pœnitentiam maximam ſubeant, ex ſuperioribus intellexiſtis, & melius intelligetis ex Spiritus ſancti verbis qui per os Sapientis ait. *Pœnitentiam agentes & præ anguſtia ſpiritus gementes.* Namque dubium eſſe non poteſt, quod vehemẽter doleant ſe malè egiſſe propter dolores & ſupplicia quę patiuntur, ob quę etiam acerbè lachrymantur: ſed propter cæcitatem & obſtinationem erit eis hæc pœnitentia inutilis &

lis &

lis & infructuosa. Auscultate.

Aiunt sacri Doctores, ad hoc vt pœnitentia sit valida, non satis esse de flagitijs admissis dolere, atque ea multis lachrymis deplorare; eo quod hic dolor eatenus tantũ concipi possit, quatenus crimina perpetrata hominem æternis supplicijs addicunt, & cælestibus bonis spoliant Sed duas insuper alias conditiones requiri: quarum prima est, vt dolor conceptus ex eo potissimum procedat intuitu, quatenus peccata commissa diuinam maiestatem irritarunt: altera verò est, vt adsit rectitudo volũtatis, quæ à vere pœnitentibus ita mutanda & corrigenda est, vt prorsus diuinæ voluntati conformis reddatur, in amando & volendo ea quæ recta & iusta sunt, iuxta sanctisimarum Dei legum & mandatorum præscriptum. Hæ autem ambæ conditiones non insunt, nec vnquam inesse poterunt pœnitentiæ damnatorum. Quoniam ita sunt confirmati in malo, vt eâdem semper obstinatione atque proteruia pergãt manere in inimicitia Dei, & idcirco nõ possunt, neque volunt eatenus dolere atque deflere scelera sua, quatenus DEVM offenderunt, sed tantùm quatenus propter illa perennia mala inciderũt, & omnibus bonis priuati fuerunt. Voluntatem adhæc adeò corruptam & pertinacem habẽt, vt non velint se vnquam emendare, aut diuinæ voluntati conformare, diligendo, & cupiendo ea quæ iusta & recta sunt: quod ab iniquitate & impietate illorum, à qua tales reddũtur, procedit. Ita vt quamuis patiantur & passuri sint perpetuum suppliciũ malitiæ & iniquitatis suæ, nunquam tamẽ habeant aut habituri sint in voluntate sua, ali- *Ratio 1.*

quem bonitatis affectum. Quod certè contrariorum ratio postulare videbatur. Vt quemadmodum beati, in cælis cum Christo regnantes, nullas habent in se malæ voluntatis reliquias: ita damnati, qui in ardentissimis gehennæ incendijs cum dæmonibus cruciantur, nullas habeant vel vnquã habituri sint in se bonæ volũtatis reliquias. Ac proinde quemadmodum cohæredibus Christi in æterna beatitudine cęlestis regni, confertur gratiæ perfectio: ita etiam reprobis, cacodæmonum contubernalibus in sempiterna infernæ regionis confusione, ipsa illorũ iniquitas, addat supplicijs perfectionem & incrementum: quia faciet, vt in hisce tenebris exterioribus, intrinsecus à veritatis lumine neutiquam possint illustrari. En habetis causam cur reproborum pœnitentia inutilis & infructuosa futura sit.

In hac autem vita idcirco pœnitentia vtilis & fructuosa est, quia homo de peccatis suis eatenus dolere potest, quatenus per ea, DEVS fuit offensus: potest etiam voluntatem de malo in bonum commutare, eamque diuinæ voluntati conformare: & ex consequenti, potest actiones suas & merita variare, atque diuino timore comitante, opera Deo placentia efficere. Hæc est S. August. doctrina in lib: *de fide ad Petrum*. Accipite verba illius: *Ideo hîc pœnitentia fructuosa est, quia potest hîc homo deposita malitia, benè viuere, & mutata voluntate iniusta, merita simul, operaq; mutare, & in timore Dei ea gerere, quæ Deo placent, quod, qui in hac vita non fecerit, habebit quidem pœnitentiam in futuro sæculo de malis suis sed indulgentiam in conspectu Domini non inueniet: quia & si erit ibi*

S. August.

stimulus

ſtimulus pœnitudinis, nulla tamen ibi erit correctio voluntatis. A talibus enim iniquitas ſua ita culpabitur, vt nullatenus poſſit ab eis, vel diligi, vel deſiderari iuſtitia: voluntas enim eorum talis erit, vt habeant in ſe ſemper malignitatis ſuæ ſupplicium, nunquam tamen percipere poſſint bonitatis affectum. Quia ſicut illi, qui cum Chriſto regnabunt, nullas in ſe malæ voluntatis reliquias habebunt; ita illi, qui erunt in ſupplicio ignis æterni, cum diabolo & eius angelis deputati, ſicut nullam vlterius habebunt requiem, ſic nullatenus bonam habere poterunt voluntatem. Et ſicut coheredibus Chriſti dabitur perfectio gratiæ ad æternam gloriam, ſic conſortibus Diaboli cumulabit ipſa malignitas pœnam, quando exterioribus deputati tenebris, nullo illuſtrabuntur interiori lumine veritatis. Auditis ergo ſanctum hunc clariſſimè conteſtantem, voluntatem à propria malitia & obſtinatione excæcatam & obtenebratam cauſam eſſe, cur pœnitentia reproborum, infructuoſa & inualida ſit. De quo inſignem vobis diuinarum literarum figuram, appoſitiſſime illam adumbrantem proferam.

Legimus in lib. Iudicum, immaniſſimum Tyrannum Adonibezec, qui ſeptuaginta regibus, deuictis atq; in poteſtatem ſuam redactis, manuũ ac pedum ſummitates amputauerat, à Iuda Duce populi Iſraëlitici bello ſuperatũ, captiuumq; abductum fuiſſe; Et in crudelitatis ſuæ aliorumque ſcelerum vltioné hanc ſolam tuliſſe pœnam, quòd ei ſimiliter manuũ ac pedem ſummitates amputatæ fuerint: adeò vt pedes quidé retinuerit, ſed ineptos ad ambulandũ: & manus, ſed impotentes ad ope- *Iudic. 1.*

randum. O hiſtoriam myſterijs refertam.

Impius & crudelis Adonibezec, hominem Chriſtianum peccatis implicitum figurat, qui tam flagitioſus & immanis eſt, vt ſeptuaginta Regibus manuum ac pedum ſummitates præſcindat, id eſt, ſeptem donis Spiritus ſancti, & decem diuinę legis pręceptis, quę in ſeſe multiplicata numerum ſeptuagenarium conſtituunt: nam decies ſeptem, vel ſepties decem faciũt ſeptuaginta. Reges autem idcirco appellantur, quia regnant, aut certè regnare deberent in cordibus hominum. *His* tam nobilibus, & honoratis Regibus amputat peccator ſummas partes manuũ ac pedum, quia peccatis ſuis meritum obſeruantiæ diuinorum mãdatorum in ſe præpedit, fructuſq; bonos, ex donis Spiritus ſancti proficiſcentes, à ſe præcidit. Verùm quid fit? In morte cadit in manus magni Capitanei & Ducis Iſraëlis, id eſt, ſummi Dei; Nam Iſraël interpretatur, *videns Deũ*, & DEVS eſt Rex atque Dux omnium Angelorum & ſanctorum diuinam faciem ſemper intuentium: hic eum abducit in captiuitatem, & tenebroſo infernæ regionis carceri mancipat. Ibi autem, in ſcelerum admiſſorũ punitionẽ, amputantur ei manuum ac pedum ſummitates: quia Deo permittente fit, vt dolor pro admiſſis ſceleribus perpetratis cõceptus, & pœnitentia quam agit, (quæ ſunt manus, pœnitẽtis ſalutem operantes) non ſuſcipiantur ab eo propter Dei offenſam, ſed propter ſuppliciorum quę patitur acerbitatem: Et vt animi affectus, (qui ſunt pedes) adeò deprauentur, vt nõ poſſit videre & deſiderare ea quæ iuſta & recta, diuinæque voluntati conformia ſunt. Vnde vi-

de videtis, quod quamuis ei ſint manus & pedes, id eſt, dolor ac pœnitentia propter crimina commiſſa, & animi cruciatus, attamen propter earum ſummitatũ præciſionem, non poſſit operari pœnitentiam meritoriam, nec vnquam tenebroſum illum inferni carcerem egredi. Horum omnium cauſa, ſunt intrinſecæ illius potẽtiæ, à propria iniquitate & malitia excæcatæ & obtenebratæ. Idcirco rectè ait S. Iob. *Ad terram tenebrarum*. Verùm quoniam ſemel incidi in ſermonem de inutili pœnitẽtia damnatorum, addam & alias rationes, cur eorum pænitentia infructuoſa & inualida ſit. Auſcultate.

Præter voluntatem illorum deprauatam, procedet etiam infructuoſitas à recta voluntate Dei; qui conſtituit atque decreuit, vt homini, dum in hac vita degeret, pœnitentia ſua vtilis, meritoria, & ſatisfactoria ſit: ad alterã verò cùm transmigrauerit, nihil ei proſit. At damnati præſentem vitam reliquerũt, ea propter pœnitentia illorum inualida eſt. Cuius rationis vim vt meliùs intelligatis, illuſtrabo eam ſimilitudine. Attendite. *Ratio.2.*

Si rex quiſpiam humaniſſimus, ciuitati cuipiam, ſibi ſubiectæ, in qua tanta eſſet rerũ omnium penuria, vt vix panis ad hominum ſuſtẽtationem in ea reperiretur: vt eam ditaret ac bonis omnibus repleret, priuilegium impertiretur, quo ſemel in anno per ſeptem dies cõtinuos, liberum mercatum & rerum omnium venditionem, ſine vlla vectigalium moleſtia, cunctis concederet. Nonne ciuitas hæc, ſeptẽ iſtis diebus, omni bonorum copia redũdaret? nonne ex egentiſſima redderetur opulentiſſi- *Simile.*

ma? Nonne quilibet ciuium solicitus esset, eo tẽpore pro totius anni necessitatibus sibi prouidere, cum non ignoret, istis paucis diebus elapsis, ciuitatem ad priorẽ inopiam rediturã esse? Et si quis tam negligens foret, vt commodissimo hoc emptionis tempore otiosè transacto, postea cùm ingenti pecuniarum summa eò aduentaret, necessaria sibi coëpturus, nonne ab omnibus homo stolidissimus & mentis inops crederetur; nonne possit ei iustè responderi: Stulte non vides serum nimis esse aduentum tuum, finitum esse mercatum; elapsos esse dies à Rege constitutos, qui hãc ciuitatem celebrem & omnibus rebus affluentẽ faciebant? non igitur poteris modò nummos tuos cum fructu hoc in loco expẽdere. Ita fecit summus cæli Rex nobiscũ, qui sumus instar ciuitatis alicuius sterilis & egenæ, quandoquidẽ à nobismetipsis nihil boni, imo ne vnicam bonam cogitationem habere possumus, dicẽte S. Paulo Apostolo. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis: sed omnis sufficientia nostra ex Deo est.* Quam nostram paupertatem summus mundi Rex videns, vt nos locupletaret, atq; occasionem nobis tribueret, animarum nostrarũ necessitatibus prouidẽdi, amplissimum nobis priuilegium impertitus est: Vt nimirum per septem dies continuos liber nobis sit mercatus, & libera potestas coëmendi peccatorum remissionem, pœnæ annihilationẽ vel certè imminutionem, meritorũ incrementum, gloriam cælestem, idque per denarium sanctæ pœnitentiæ, quæ ad hęc omnia comparãda valdè vtilis est, vti paulò ante intellexistis Septem dies mercatus, quibus opulentis-

2. Cor. 2.

pulentissima & plurimum exoptata negotiatio hæc à nobis exercetur, sunt, totum tempus vitæ nostræ, quod, vti vos non latet, septem diebus vniuscuiusque hebdomadę definitur & mensuratur: hi enim in orbem assiduè circumacti, menses & annos nostros definiunt: nam à Dominica die principium hebdomadæ sumitur, & vsque ad sabbathum, septimum & vltimum hebdomadæ diem cõtinuatur, quo transacto iterum ad Dominicum diem fit reditus. Atque tali dierum circumuolutione tempus omne definitur, donec tandem vita nostra finé sumat. Ea autem ad terminum suum appropinquante, tempus priuilegij, à benignissimo Rege Deo nobis concessi expirat. Audite S. Patrem Augustinum in lib. *de fide ad Petrum*, de hoc priuilegio differentem. *Tempus*, inquit, *acquirendi vitam æternam, in ista tantum vita Deus hominibus dedit: vbi voluit etiam pœnitentiam esse fructuosam*. Sapiens igitur & prudens ille est, qui dum hac vita fruitur, pretiosum pœnitentiæ denarium expendit, & sibi atque animæ suæ tam eximia, quæ diximus, bona coëmit. Stultus verò & mentis inops, qui tempus hoc præterlabi patitur, & denarium hunc in alteram vitam sibi reseruat, quando mercatu finito, non ampliùs mercari licebit tam pretiosas merces nẽpe peccatorũ remissionem, pœnarum peccatis debitarum annihilationẽ, aut certè imminutionẽ, meritorum cumulos, & cælestia præmia. Auscultate eũdẽ S. Patrẽ August. in cõmentarijs in psalm. 51, de hoc pœnitentiæ denario, eorumque qui tam vtilẽ & fœlicẽ emptionẽ facere tardant, stultitiam, nos admonentẽ. *In inferno*, inquit, *est pœnitẽtia, sed sera*

S. August.

S. August.

sed sera, infructuosa. Vis vt sit fructuosa? non sit sera. O admonitionem sanctam & salutiferam. Cùm ergo damnatis tempus vitæ præsentis, & mercatus frustra elapsum sit, quamuis magna eis nummorum copia suppetat, id est, quamuis maximam & asperrimam in inferno faciant pœnitentiam, & ingẽtem sibi thesaurum pœnarum & tormentorum cumulent, attàmen iste nihil eis proderit ad merces quas diximus coëmendas. Perspicitis ergo, per voluntatem Dei ita ordinantis, pœnitentiam eorum futuram inutilem & infructuosam. Adiungam & aliam rationem huc facientem.

Ratio 3. Iurisconsulti in digesto suo, *tit. de pignoratitia actione l. eleganter*, habent hanc Vulpiani legem. *Reprobata pecunia non liberat soluentem.* Exempli causa: si quis obligatus esset alteri certam pecuniarum summam exoluere, atq; pro debiti solutione numeraret illi monetã, antea quidem probam & sufficientis valoris, tum verò proscriptã, & nullius pretij declaratam: potest creditor refutare illam; neque debitor hac ratione à debito liber efficitur. Quod si creditor propterea in ius vocetur, iudex (modò legum peritus sit) non potest eum cogere ad istam monetam acceptandam: neq; debitorẽ à debiti obligatione eximere. Quia lex dicit, *Reprobata pecunia non liberat soluentem.* Quare debitor manebit semper obligatus, creditori debitum soluere in bona & vigente moneta: qua si careat, in priori obligatione ac debito relinquitur. O Christiani humanæ huic legi, conformis est etiam diuina. Attendite.

Nos peccando ingens debitũ contrahimus, diuinæ

diuinæ iustitiæ dissoluendum. Et dũ in hac vita degimus, est nobis denarius quo illud soluere valemus, nimirum sancta pœnitentia, quæ in altera vita erit veluti moneta à Domino reprobata; quia vitiosa & adulterina, vtpote cui desit recta voluntas, & dolor de peccatis eatenus conceptus, quatenus Deum offenderunt, vti supra diximus. Quare damnatis nihil proderit hæc moneta ad dissoluendũ debitũ, quod viuentes cum Deo & iustitia eius contraxerunt. Ita vt quantamuis faciant pœnitentiam, semper in eadem mansuri sint obligatione ac debito: eóq; quod *pecunia reprobata non liberet soluentem*. Stulti ergo & amentes sumus, si pœnitentiam de die in diem extrahimus, præsertim cũ ignoremus diem & horam mortis nostræ, quæ hoc anno, hoc mense, hac die, hoc momento nos adoriri & è mundo tollere possit. Stulti sumus, si statim post peccatum aliquod admissum, pretiosam pœnitentiæ monetam, ad satisfaciendum debito contracto, non expendimus: antequam ea nobis ex hac vita sublatis reprobetur, & nullius valoris esse declaretur. Ad quod hortatur nos S. Paulus Apostolus dicens: *Dum tempus habemus operemur bonum*. Et Sapiens. *Ne tardes conuerti ad Dominum, nec differas de die in diem*. Et Esaias. *Quærite Dominum dum inueniri potest*. Per pœnitentiam, ô Christiani efficimus ista: operamur bonum, conuertimur ad DEVM, quærimus eum toto corde: sed in præsenti duntaxat vita, non in futura salubres hosce effectus producit pœnitentia. *Gal. 6.* *Eccles. 9.* *Esa. 155.*

Præterea quis est qui nesciat, si res aliqua perdita sit, eam illo in loco vbi amissa fuit, nõ alibi *Ratio. 4.*

alibi quærendam esse? Qui pretiosam gemmã Romæ perdidit, nõ eam Cremonæ, sed Romæ quærere debet. Quia vbi amissa fuit, illic & nõ alibi poterit inueniri. O Christiani, nos peccando gemmam inæstimabilis pretij, puta, ipsum DEVM deperdimus, Quo in loco; Non in cælo neque in inferno, sed in terra quam incolimus, Hic igitur ille nobis requirendus est, si enim cupimus inuenire, non alibi. *Quærite Dominum dum inueniri potest.* Si eum priùs hîc non reperimus, in altera nunquam inueniemus: nam illic quærentibus nobis dicet. *Quæritis me & non inuenietis.* Quærant igitur dãnati quantum volent, macerent se asperrimis quã maximè possunt pœnitentijs & afflictionibus, nunquam tamen benè operari, nunquam ad DEVM ritè conuerti, nunquam eum reperire quibunt. Cernitis modò quam multas ob rationes damnatorum, pœnitentia, quamuis maxima, infructuosa & inutilis futura sit. Nã licet supra modum crucientur & torqueantur ob admissa scelera, nõ tamẽ de ijs dolent quatenus diuinam maiestatem offenderunt, neque se sanctissimæ & rectissimæ voluntati eius cõformare student, quia mentem & voluntatem habent obtenebratam cæcam, proteruam, & obstinatã in malis: ideoq; rectè S. Iob quartam amari fellis conditionem hanc posuit. *Et tenebrarum.* Sed relicta illa trãseamus ad quintam quæ est. *Et vmbra mortis.*

V.

Dæmonum aspectus, qui vmbra mortis à S. Iob

RECtè appellat pessimam hanc qualitatem vmbram mortis: quia in inferno nõ cernetur vmbra & imago vitæ, sed similitudo & horror

hortor mortis. Nam dæmones apparebunt damnatis ad exterrendos eos in similitudine & vmbra mortis. Hic autem aspectus maximū eis terrorem atque horrorem incutiet: si enim in præsenti vita defuncti vnius vmbra vel apparitio, tantoperè hominem terret & exanimat, quantoperè tot similitudines & vmbræ mortis, damnatis in altera vita vndique circūfusæ, eos territabunt & attonitis similes cōstituent. Possumus etiam dicere & fortè meliùs hanc vmbram mortis esse horribilem & metuendum dæmonis aspectum, qui in sacris literis identidem mors appellatur. Vt in Esaia, *Percußimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum*: Et in epistola S. Pauli ad Romanos. *Regnauit mors ab Adam vsque ad Moysem*. Et in Apocalypsi S. Ioannis. *Ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi mors*. Et rursum. *Infernus & mors missi sunt in stagnum ignis*.

tis à S. Ioh. dicitur, quia terrificus dānatis futurus sit.

Esa.28. *Rom.5.* *Apoc.6.* *Ibid.20.*

Nec sine insigni ratione diabolo; mortis nomen in sacris literis inditum fuit. Nam quemadmodū mors ueminem reueretur, nec vllius rationem habet: ita etiam diabolus neminem damnatorum reueretur, nec vnius magis quam alterius rationem habet, sed omnibus æquè crudelis est, iuxta illud Hieremiæ. *Crudelis est, & non miserebitur*. Et quemadmodum mors hominem corporis vita spoliat, animam tollendo: ita etiam diabolus animam vita sua spoliat, per peccatum, DEVM qui est vita & anima (vt ita dicam) animę, ei auferendo, teste S. Gregorio lib.9. moral. *Sicut mors exterior* inquit *ab anima diuidit carnē, ita mors interior à Deo separat animam*. Ac proinde per

Hierem.6.

S.Gregorius.

vmbram

vmbram mortis optimè hoc loco intelligitur vmbra & aspectus horrendus diaboli. *Vbi vmbra mortis.*

Cæterùm aduertite, quamuis S. Iob. in singulari numero dicat. *Vbi vmbra mortis*, propterea tamen non esse putandum, damnatos vnius tãtummodo diaboli aspectu cruciari, cùm innumeri sint. Quia illi propositum fuit, nominare solũ dæmonũ Principem, non excludendo cæteros ei subiectos, qui in diuersis, horrendis & turpibus formis damnatorum oculis sese ingerent. O quanto horrore, quanta formidine miseri illi complebuntur, cùm se tot horrendis, terrificis, atque deformibus monstris numero infinitis, omni ex parte circumdatos esse conspicient. Attendite, maius enim aliquid proferam, quod tamen verissimum sit.

Tolerabilior est damnatis gehenna quã dæmonum aspectus.

Tolerabilior est damnatis ipsa gehẽna, quam horum monstrorum fœdus aspectus. Multò namque libentius sustinent ardentissima inferni incendia, quàm turpissimorum & horrẽdorum dęmonum oculis eorum se offerentium, intuitum. Memoriæ proditũ est, de S. Thoma Apostolo, cùm Indiæ populis idolorum cultui deditis Euangelium annunciaret, eum diuina permissione diabolum quem pro DEO venerabantur in terrifica specie, illis videndũ obtulisse. Talis autẽ erat eius aspectus. Caput erat supernè acutum, cornura frons, os ingẽs, prolixa barba, crines instar serpentum in se conuoluti, manus & pedes adunci, oculi rubẽtes & inflammati, cauda contorta, è naribus & ore procedebant flammę caliginosæ ignis sulphurei. O formidabilem speciem. Et ne aliquid

phurei. O formidabilem ſpeciem. Et ne aliquid eis ob aſpectum tam horribilis monſtri, inopinatò accideret, præmuniri eos fecit ſigno S Crucis, nam alioqui propter terrorē ac metum in terram velut exanimes caſuri, & ſpiritum exhalaturi fuiſſunt. De hiſce malignis ſpiritibus, & terrificis laruis, S. Baſilius in pſal. *In te Domine ſperaui*, ita diſſerit. *Illis qui mala in hac vita perpetrauerint, terribiles quidam & deformes aſſiſtent angeli, igneos vultus præferentes, atque ignem ſpirantes, nocti vultu ſimiles, propter mœrorem & odium in humanum genus.* *S. Baſilius.*

Memini me aliquando tale exemplum, de Monacho quodam, obſequijs Beatiſſ. virginis Mariȩ deditiſſimo legiſſe: cùm ȩgritudine inualeſcente morti propinquaret, illum terrore quodam ſubitaneo correptum fuiſſe, adeò graui, vt tota facies immutaretur, & in toto corpore inſolita & terrifica quædam ſymptomata cernerentur: moxque oculis inflammatis, & voce indignabunda, diei & horæ, qua religioni ſe addixiſſet, habitumque monaſticum aſſumpſiſſet, maledixiſſe. Sed non diu in hac formidabili ſpecie perſtitit, nam paulò poſt priori forma euaneſcente, ſubitò miram in vultu hilaritatem induit: & facie gratiarum plena, oculis iucundis, leni & dulci voce diei & horæ, qua Deo in religione ſe deuouiſſet, monaſticamque veſtem induiſſet, benedicire, ſuamque fœlicitatem prædicare cæpit. Et vt à circumſtantium animis ſcandalum ex priori maledictione conceptum tolleret, in hæc verba eos affatus eſt. Ne miremini fratres, quod me execrandis blaſphemijs diei & horȩ, qua in re- *Exemplum inſigne.*

 ligioſorum

ligiosorum societatem adscitus sui maledicẽtem audieritis, quia earum causa assignãda est horribilibus dæmonum laruis, & informibus monstris, quæ mihi animam agenti magno numero adfuerunt, vt animam meam secum ad inferni claustra abducerẽt: eorum verò aspectus ita me exterrit, vt à meipso alienatus, & veluti emotæ mentis homo, nesciens quid dicerem, religioni assumptæ maledicere cœperim. At superueniente Beatiss. Virgine Maria, cælorum regina, matre seruatoris, totius pietatis scaturigine, quã à primis annis semper specialius colui, atq; ad opem mihi ferendam properante, omnes disparuerunt, & ego ad me reuersus hilari animo, priori maledictione, quam timore occæcatus, & ab horrendis istis monstris fascinatus protuleram reuocata, religioni, quam semel amplexus fui, benedixi, eamq; semper benedictam esse pronũcio. Quin & hæc verba adiunxit:

Fratres mei, verè vobis affirmo, tam horrẽda, deformia & terrifica esse monstra illa infernalia, vt si mundus totus igne sulphureo & ære liquefacto ac bullienti plenus esset, mihique optio daretur, vt vel per medios hosce ignes transirem, vel iterum semel duntaxat mõstra illa intuerer: multò libentiùs per medium ardentissimorum horum incendiorum incessurus sim, quàm vel semel denuo, formidabiles dæmonum laruas aspicere. Audite quid S. Iob, horrendis hisce vmbris quas semel vidit, exterritus, dicat. *Hostis meus*, inquit, *terribilibus oculis me intuitus est, & infremuit contra me dentibus suis.*

Iob 16. Ex his quæ dixi satis intelligere potestis, qua-

qualem pœnam, & qualem cruciatum reprobi in illa ſempiternæ miſeriæ regione, hauriant ex vmbrarum & laruarum illarum teterrimarum ac fœdiſſimarum , ſimul confuſarum & mixtarum aſpectu: non vnico tantum, vel vnius diei, ſed aſſiduo, omnium dierum & noctium, idque ęterno tempore: neque paucarum, ſed innumerarum , ita vt ex omni parte ab illis circumcingantur

Eorundem præterea dæmonum ſpeciem tetram atque terribilem colligere poteſtis, ex energumētorum deformitate. Si enim diabolus hominem quem poſſederit, tam deformē atque terribilem aſpectu reddit, vt omnibus intuentibus horrorem incutiat: nam facit illū capillos ſurrigere, frontem criſpare, ſupercilia incuruare, oculis igneſcere, ore ſpumare, dentibus ſtridere, faucibus inflari, gutture intumeſcere, manibus faciem verberare, pectus tundere, ac denique in terram exanimem concidere, tetra facie ad cælum conuerſa. Quanto magis tetrum atque deformem oportebit eſſe ipſummet diabolum? Notum eſt enim omnibus commune illud philoſophorum axioma *Propter quod vnum quodque tale eſt, illud eſt magis tale*. Si ergo energumenus propter dæmonem à quo poſſidetur, tam deformis & terribilis aſpectu eſt, multò magis ipſum dæmonem talem eſſe conueniet, à quo tam turpis efficitur Quantus ergo horror, quanta formido erit infœlicium peccatorum in inferno, cùm ante & poſt ſe, ſubtus & ſupra , à dextris & ſiniſtris horribiles, teterrimas , atque fœdiſſimas dæmonum laruas oculis ſuis ob- *Iob 10.*
obuerſari conſpicient? *Vbi vmbra mortis*. Quapropter,

propter, ô Christiane, quintam hanc amarissi-
mi fellis proprietatem, accuratè cognosce, il-
liusque sedula recordatione, ad salubrem ti-
Tob. 4. morem te excita. *Exentera piscem, & fel repone*
Iob. 1. *tibi.* Sed de hac fellis proprietate plus satis.
Veniamus ad sextam, quæ est. *Vbi nullus ordo*, ea
namque diligenti consideratione à nobis exa-
minanda est.

VI.

In inferno nullus est ordo, sed magna confusio.

NVlla est in inferno ordinis, qui omnibus
in rebus magnoperè placet, pulchritudo
siue concinnitas: sed potius confusionis cuius-
dam & inordinationis, quæ summoperè ani-
mos nostros cruciare solet, deformitas. Quis
enim ignorat, ibi magnam esse confusionem,
vbi est ingens multitudo, nullo ordine dige-
sta? vbi verò frequentior & numerosior cætus,
omnis ordinis expers, quàm in inferno, vbi est
innumera multitudo dæmonum & animarum
damnatarum, maximam confusionem facien-
tium? *Lata est*, inquit Christus, vt hominum eò
Matt. 7. migrantium multitudinem demonstraret, *via*
quæ ducit ad perditionem, & multi ingrediuntur
per eam. Magnam verò illic vigere confusioné
testatur sacra scriptura, cum ait: *Qui oderũt te,*
induantur confusione. Acerbissimum sanè tor-
Psal. 34. mentum est, damnatis incolere locum illum
inordnatissimæ confusionis, *Vbi nullus ordo.*

Non enim est ibi ordo illæ naturæ, quo ni-
hil transit ab vno extremo ad aliud sine me-
dio, vti aiunt Philosophi. Namq; dãnati trãs-
eunt inter duo extrema, à quibus acerbissi-
mè torquentur, sine vllo medio, à quo vel mi-
nimũ, possint capere solatiũ seu refrigerium.

In inferno duæ contraria pœnæ maximæ.

Trans-

Trāſferūtur enim ab ardentiſſimo igne, ad
conglaciatas aquas: & viciſſim ab aquis con-
glaciatis, ad vehementiſſima gehennæ incē-
dia: quia modò in vnum, modò in alterum ho-
rum duorum extremorum à dæmonibus præ-
cipitantur, nec vnquam vel minimo temporis
momento, extra aliquod eorum ſunt, cùm in-
ter duo iſta, in ima illa ſempiternę miſerię re-
gione, nullum liceat reperire medium. Audite
S. Iob de reprobis dicentem. *Ab aquis niuium,* *Iob 24.*
tranſeant ad calorem nimium. Noli autem exi-
ſtimare, ô Chriſtiane, hāc translationē à max-
imis ardoribus, ad vehementiſſimum gelu, &
contra à fortiſſimo gelu ad ardentiſſimū ignē
prębere damnatis aliquid refrigerij. Quin po-
tius ea cruciatus illorum auget, & multò acer-
bius illos torquet, quàm ſi ſemper vno eodē-
que ſupplicio cruciarentur. Id verum eſſe, ip-
ſa rerum experientia luce clarius demonſtrat.

Dicite mihi, amabo vos, auditores, ſi manus
vobis ſint ingenti frigore conſtrictę & rigidę,
illaſque ſtatim ſine aliquo medio igni admo-
ueatis nunquid inde aliquod percipitis refri-
gerium: an verò dolorem atq; moleſtiam? do-
lorē certè, eūq; multò maiorē, quàm ex priori
frigore. Qui vt vitetur, manus nō nimis citò,
aut properè, ſed paulatim igni admouendæ
ſunt, vt hac temperie priori frigore pulſo,
manus ſenſim non ſubitò incaleſcant. Contra
verò ſi manus ab igne, inſigniter vobis caleāt,
eaſque ſtatim in aquam frigidiſſimam, ſiue
conglaciatam immittatis, num aliquod inde
accipitis refrigerium? Nullum planè, quin po-
tius dolorem ingentem. Id autem fit, quemad-
modum doctis viris notum eſt, propter re-

pugnantiam duorum cōtrariorum, caloris & frigoris: nam calore frigus eijcere conāte, & frigore totis viribus resistente, ne loco pellatur, subiectum cui frigus inest, molestiam nō paruam ex hac pugna sustinet: & quantò maior est calor, atque ad pellendum frigus efficacior: quantoque frigus ad resistendum est robustius, tantò maior pugna efficitur, tantoque maiorē subiectum, quod qualitates hasce contrarias recipit, dolorem inde haurit. Et quoniam in inferno, ignis ille, quo cruciātur reprobi ardentissimus est: aquæ item quibus immergūtur, cōglaciatæ & frigidissimæ sunt; idcirco acerbissimum cruciatum sentient ex translatione subita ab igne ad glaciem, & à glacie ad ignem, multò sanè acerbiorē, quàm si ijsdem assiduò supplicijs torquerentur. Quia ergo reprobi in ima illa dānatorum regione, ab vno extremo ad aliud sine medio transeūt, rectè ait S. Iob. *Vbi nullus ordo.*

In inferno multa simul sunt contraria.

Præterea non est ibi ordo naturæ; qui non permittit duo contraria simul consistere in eodem loco. Hinc enim est celebre illud & vulgatum axioma philosophorum. *Duo contraria non possunt esse simul in eodem subiecto.* Et tamen in inferno multa simul contraria sunt. Illic enim est ignis & tenebræ; calor & frigus; desiderium & fuga; ignis & aqua; labor & otium; egestas & abundantia; siccum & humidum; vita & mors; Omnia hęc cōtraria simul ibi sunt, quoad illam partem, qua affligunt & cruciāt. Audite sacras literas id contestantes.

Hierem. 17.
2. Pet. 2.

Esse ibi ardorem docet Hieremias dicens: *Ignem succendisti in furori meo & vsque in æternum ardebit*, Esse tenebras affirmat S. Petrus inquiens

quiens. *Hi sunt quibus caligo tenebrarum serua-* Apoc.16.
tur. Esse calorem S. Ioannes in Apocalypsi te- Zach 14.
statur, cum ait. *Datum est illi, æstu affligere ho-*
mines. Esse frigus memoriæ prodit Zacharias,
dicens, *Non erit lux, sed frigus & gelu.* Esse desi- Rom.1.
derium confirmat S. Paulus, inquiens. *Exarse-*
runt in desiderijs suis. Esse fugam demonstrat S.
Lucas cum ait. *Quis ostendit vobis fugere à ven-* Luc. 3.
tura ira. Esse ignem S. Ioannes Euangelista do- Apoc.20.
cet, inquiens. *Missi sunt in stagnum ignis arden-*
tis & sulphuris. Esse aquam tradit Esaias, dicẽs.
A qua ardent igni, vt notum sit nomen tuum ini- Esa. 64.
micis tuis. De labore legimus in Psalmis. *Labo-* Psal.48.
rabit in æternũ, & viuet adhuc in finem. De otio Ioan.9.
ita scribit S. Matthæus. *Venit nox quando nemo*
potest operari. De abundantia Dauid loquitur
dicẽs. *Retribuit abundanter facientibus superbi-*
am. De penuria Moyses ita disserit: *Visitabo ve-* Psal.30.
lociter vos in egestate & ardore. De sicco apud S. Leuit.26
Marcum ita legimus, *stridet dentibus & arescit.* Marc.9.
De humido verò S. Iob ita loquentem audi-
mus. *Sub vmbra dormit in locis humentibus.* De-
nique ibi esse vitam testatur Psalmista regius
dicens. *Vita mea Inferno appropinquauit.* Esse & Iob 40.
mortem docet S. Paulus Apostolus, in Psal.87
quiens. *Finis illorum mors est.* Aduertitis modo,
quàm multa simul contraria, in inferno, Rom.6.
sint.

Habent infœlices illi ardorem propter ignẽ: tenebras propter caliginosum fumum: calorem dissoluentem, frigus constringens: desiderium refrigerij; quod tamen nunquam adimplebitur, fugam eorum quæ molesta sunt, quæ tamen, nunquam effugere poterunt; ignẽ inflammantem: aquam submergentem; labo-

rem, quia ne vnico quidem temporis momento respirare sinuntur: otium, quia nihil valent operari, & solum patiuntur & sustinent. Habet insuper abundantiam malorum omnium; egestatem bonorũ omnium, siccum suspiriorum: humidum lachrymarum, ac denique vitã omni morte acerbiorem, & mortem nũquam mori desinentem, sed semper viuentem & immortalém.] Cùm ergo tot contraria ibi simul existant, contra naturæ regulam & ordinem, rectè à S Iob dictum fuit. *Vbi nullus ordo*. Quid? quòd infernus est quoddam quasi chaos tormentorum, & moles confusa cruciatuum. *Et* quis enumerare aut describere possit, grauitatem atque diuersitatem pœnarum infernaliũ? Tam multæ numero sunt, tamque graues & acerbæ, vt si omnes damnati, totis viribus suis vel vnam earum ex mille explicare conentur, quamuis per experientiam earum acerbitatẽ didicerint, attamen frustra laboraturi sint. Sunt namque scopus, in quem collimatæ sunt sagittæ iræ Dei. Audite S. Augustinum in meditationibus suis, aliquas earum recensentem.

S. August. *Ibi*, inquit, *erit fletus, gemitus, vlulatus, cruciatus: stridor, clamor, timor, tremor, labor, ardor, fœtor, obscuritas, anxietas, acerbitas, asperitas, calamitas, egestas, angustia, tristitia, obliuio, confusio, torsiones, punctiones, amaritudines, terrores, fames, sitis, frigus, sulphur & ignis ardens*. Vultisne aliquid amplius? Magnus ille Poëta Virgilius, postquam sexto lib. AEneidos, infernalium pœnarum nonnullas enumerasset, his versibus tandem concludit.

Virgilius. *Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum,*

Ferrea

Ferrea vox, omnes scelerum comprehendere pœnas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possem.

Nulli oratores, nulli philosophi, nulli gentilium poëtarum occasione habita, de his inferni supplicijs tacuerunt, quamuis ea sub varijs figuris & metaphoris descripserint: neque dubium est, quin idem ille summus DEVS, qui moderatur & regit omnia, linguas & calamos eorum moderatus fuerit, effeceritque vt instar Balaam & Cayphæ prophetarent, licet ea quę literis mandabant, non intelligerent. Differamus paulisper de illorum scriptis & fictionibus poëticis.

Cerberus ille triceps quem in inferni aditu, carnes impiorum vorantem constituunt, quid aliud significat, quàm dæmonum truculentiã & immanitatem, carnes damnatorum assidue lacerantium? Fluuij isti infernales, Cocytus & Phlegeton, quorum alter luctum denotat, alter flammis æstuat, quid demonstrant, nisi ardentissima incendia perpetuosq; luctus reproborũ? Lacus ille Auerni, vbi omnis gaudij priuatio est, quid aliud figurat, quàm gloriæ beatificæ priuationem, & omnis cruciatus præsentiam? Palus illa Stygia, quid aliud denotat, quàm lacum iræ Dei, in quem improbi demerguntur? Tantalus ille quem apud inferos perpetua fame torqueri, nec vndis præsentibus, nec vicinis pomarijs perfrui posse fingũt, quid aliud significat, quãm perpetuam damnatorum famem, omniumq; esculentorum & poculentorum penuriam? Tityus ille cuius iecur à vulturibus assiduo laniari & consumptum illico renasci tradunt, ita vt vulturibus,

quod diſcerpant, nunquam deſit, quid aliud indicat, quàm vermem illum immortalem, ſinderesin dico & conſcientiæ remorſum, corda & animos damnatorum inceſſanter corrodentem; Iam verò per rotam illam Iſionis, quę cùm rotundæ & circularis figuræ ſit, neque principium, neq; finem habet, quid aliud adumbrare voluerunt, quàm pœnarum quas dãnati patiuntur æternitatem; nullo vnquam æuo finem habituram? Et ſaxo illo Siſyphi, quid aliud voluerunt indicare, quã continuos cruciatus & perpetua tormenta inſtabilis mẽtis, horum infœlicium damnatorum? Et dolio illo pertuſo, quod Belidis filiæ fruſtra conãtur implere, quid aliud demonſtrare voluerunt, quàm impoſſibilitatem deſideriorum ſuorum completionem impetrandi? Ac denique furijs illis infernalibus, ſuas carnes lacerantibus & crines vellentibus, quid aliud ſignificare voluerunt, quàm iram & furorem perpetuum, quo miſeri damnati hos cruciatus ſuſtinentes, ardent, & conflagrant? Non auditis Dauidem dicentem. *Peccator videbit, & iraſcetur. Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis.* O quàm terribile Chaos tormentorum: quanta confuſio miſeriarum. Et quis poteſt ordinem ibi cõſtituere: *Vbi nullus eſt ordo?*

Pſal. 111.
Pſal. 57.

Verùm aduertite, auditores, quamuis in horrenda illa, inferni confuſione, reſpectu dãnatorum nullus ſit ordo, eſſe tamen ibi ordinem & menſuram reſpectu diuinæ iuſtitiæ, quæ ſimili pœna eos, qui in vitijs ſibi ſimiles extiterunt, cruciabit. Hinc enim eſt illud dictum Chriſti. *Colligite zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum.* Eſt præterea ibi & alius or-

Matt. 13.

us ordo diuinæ iustitiæ, volentis ac statuentis, vt quisque reproborum iuxta mensuram scelerum suorum maius vel minus supplicium patiatur. *Iuxta mensuram delicti erit plagarũ modus.* Cur enim existimatis in sacris literis pœnas inferni calicem appellari? Quia videlicet eas Dominus ad mensuram præbet, iuxta vniuscuiusque merita. Audite Ezechielem prophetan, *Ebrietate*, inquit, *& dolore repleberis, calice mœroris & tristitiæ & bibes illũ, & epotabis, vsque ad fæces.* Audite & Dauidem citharædũ, *Ignis*, ait, *sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Audire denique S. Ioannem in Apocalypsi dicẽtem. *Bibent de vino iræ Dei, quod mistum est mero in calice ipsius, & cruciabuntur igne & sulphure: & fumus tormentorum eorum ascẽdet in sæcula, seculorum; nec habebunt requiem die ac nocte.*

Deut. 25. Ezech. 23. Psal. 19. Apoc. 14.

VII.

HAE autẽ pœnæ rectè appellantur, calix & vinũ. Calix propter mẽsuram. Vinũ, quia inebriant mentem ignorantia, & voluntatem obstinatione, vt nõ possint scire aut velle, quæ iusta & recta sunt. Quanquam verò ista supplicia vinum sint, attamen sunt vinum amarissimũ, felle piscis, septem illis amarissimis qualitatibus, de quib[9] sermo nobis est prędito, cõditũ: iuxta illud Moysis in suo cantico. *Fel draconum vinum eorum & venenum aspidum insanabile.* Neque tantùm ista supplicia vinum appellantur, sed etiam voluptates & delitiæ huius sæculi: vt in Esaia. *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum.* Quin & peccatũ sępenumerò vinum nuncupatur, vt apud Hierem. Calix *inebrians*

Pœna inferni cur in sacris literis calix & vinum appellentur.

Esa. 5. Deut. 32.

Hierem. 31. *brians omnem terram, de vino eius biberunt gentes.* O peccatores, si in præsenti vita vino peccati, & voluptatum mundanarum, quod vobis suauissimum esse videtur, vosmet repleueritis, in altera procul dubio, amarissimum suppliciorum vinum bibere cogemini. O Christiani, voluptates, gaudia, animi elatio, luxuria, auaritia, cæteraque vitia, sunt vinum quod modo bibimus, quoque nos inebriamus de quo per Hierē. dicitur. *Calix inebrians omnem terram.* Sed tandem aliquando cognoscemus, id non fuisse verum vinum, sed venenum mortiferū, sempiternæ morti nos tradens, vt ibi amarissimum infernalium tormentorum vinum incessanter bibamus. Clarum huius rei exemplū habetis in hodierno Euangelio. Illic enim videtis diuitem vino scelerum ac voluptatum pro libitu se inebriantem. *Erat quidam diues, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè.* Videtis etiam quo ipsum ebrietas illa perduxerit, & quale vinum postea bibere compulsus fuerit. *Mortuus est diues & sepultus in inferno:* Auditis præterea clamorē, quem vini huius amaritudine offēsus, protulit. *Crucior in hac flamma.*

Luc. 16.

Hoc pacto auditores, tractat dæmon sectatores suos. Principio bonum vinum illis potādum videtur exhibere, quando voluptatem & delectationem peccati eis gustandam præbet: sed postquam illos inebriauerit & satiauerit hoc vino, porrigit eis amarissimā inferni potionem. Bibe igitur peccator, ad libitum ex hoc calice, inebriare ad placitum cum diuite hoc terrenis voluptatibus, vanitatibus & sceleribus mundi huius, quæ tibi in vita præsenti suaues

Dæmon sectatoribus suis principio dat gaudia, in fine supplicia.

ſuaues eſſe videntur. In fine autem quid tibi euenturum eſt? Cogeris, infœlix, aliud vinum bibere, & inebriaberis vino amariſſimo tormentorum & ira Dei. *Ebrietate & dolore repleberis, calice mæroris & triſtitiæ, & bibes illum, & epotabis vſque ad fœces*. Fœces inquam, quæ nunquam exhauriri poterunt, quia nunquam erit finis tormentorum: iuxta illud. *Fœx eius non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ*. Ezech. 23. Pſal. 74.

DEVS, ô Chriſtiani, dum ſumus in hac vita, tenet manu ſua calicem, *Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram*. Et dicit homini, imple calicem hunc qualicũque voles vino, nam tibi prædico, quòd totum ebibiturus ſis. Reple illum voluptatibus, gaudijs delitijs, ſuperbia, ambitione, auaritia, furtis, crudelitate, homicidijs, luxuria, adulterijs, blaſphemijs, periurijs, mendacijs, odijs, & murmurationibus: exple illum pro libitu ad ſummum vſque, quod tibi permitto, quia arbitrij, libertate quam ſemel contuli, te ſpoliare nolo, ſed hoc certò tibi perſuaſum habe, qualis vini in calice miſti exhauſti mẽſura fuerit, talem quoque futuram æternorum cruciatuũ tuorũ menſurã epotabis: *Ponã iudiciũ in põdere & iuſtitiam in menſurã*. Non videtis in hodierno Euãgelio, iuſtitiam hanc volente Deo, ab Abrahamo adminiſtrari, inter diuitem Epulonem, & pauperem Lazarum, *Fili*, inquit, *recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala*. Quòd verò tantundem tormentorum, quantũ gaudiorum in hoc mundo expertus fuerat, redditũ ei fuerit: ex ſequentibus clareſcit, cũ dicitur. *Nunc autem hic conſolatur*, Hierem. 51. Eſa. 28. Luc. 16

solatur, tu verò cruciaris. Heu ad quã lamẽtabilẽ & pœnalẽ locũ ducit nos ista ebrietas voluptatũ carnis, gaudiorum huius mundi, vanitatũ sæculi, auaritiæ, gulæ, aliorumq; scelerum, quæ in imã inferni regionem nos præcipitat. Non auditis? *Mortuus est diues, & sepultus in inferno.* Sed quid ibi facturi? Vt vinum iræ Dei, diabolo præparatum, bibamus, atq; tormenta illa sulphurearum flammarum experiamur. Non auditis? *Quia crucior in hac flamma. Cruciabuntur igne & sulphure.* Et quanto tempore? sempiterno, sic enim legimus: *Chaos magnum firmatum est, vt hi, qui volunt hinc transire non possint, neque inde huc transmeare. Fumus tormentorum eorum ascendit in sæcula sæculorum, Et non habebunt requiem die ac nocte.* O Christiani, si vobis chara est salus vestra, si pericula hęc & supplicia æterna deuitare cupitis, ne biberitis de vino terrenarũ voluptatũ, neq; de vino peccati quod vinũ quidẽ esse videtur, sed reuera venenum est, dulce in principio, amarum in fine. Audite minas domini dicentis. *Væ, qui potentes estis ad bibendum vinum.* Accipite & ipsius vini amaritudinẽ. *Fel draconũ vinũ eorũ, & venenum aspidum insanabile.* Expendite obsecro diligenter vobiscum hanc fellis amaritudinem, videlicet, quòd in inferno sit ordo, & nullus ordo, sed maxima confusio, ordo respectu diuinæ iusticiæ, confusio respectu damnatorũ. *Vbi nullus ordo.* Quapropter, ô Christiane, *Exentera hunc piscem & fel repone tibi.* Hæc de sexta fellis proprietate hactenus, qua secundæ huius concionis parti finem imponam, si prius pauca de septima & vltima fellis qualitate annotauero, reliqua ad tertiam & quartam partem reijciendo.

Apoc. 14. Luc. 16. Apoc. 14. Esa. 5. Deut. 32.

VIII.

VIII.

SEptima & poſtrema fellis proprietas his. S. Iob verbis cõtinetur. *Sed ſempiternus horror inhabitat.* Verùm quid ſibi vult, auditores nomen iſtud horroris? Nonne omnium corporis membrorum tremorem inſolitum? animi anguſtiam ingentem, cordis pulſationem ſeu concuſsionem maximam & frequentẽ, partim ex ſupplicijs pœnarum præſentium, partim ex memoria futurarum procedentium? Quantò autem iſte tremor atque concuſsio cordis & corporis diuturnior eſt, tantò magis cruciat, maiorisque illi doloris cauſa eſt, qui eum ſuſtinet. Ex hoc imaginari poteritis vobis, qualis dolor, qualeue tormentum ſit hominũ ſceleratorum in inferno, qui perpetuò timent ac tremunt: ſummamque ſine vlla intermiſsione patiuntur animi anguſtiam; quorum etiã cor inſtar duorum follium aſsiduo concutitur & commouetur, partim propter tormenta præſentia, quæ in anima patiuntur: partim ex recordatione futurorum, quæ poſt iudicium in corpore tolerabunt. Maximè cùm iſte tremor iſtaque anguſtia & commotio cordis, non vno anno, neque decem, neque centum, neque mille, neque centum millibus, neque mille millibus tantummodo duraturus, ſed perpetuus atque interminabilis futurus ſit. Ac proinde rectè ait S. Iob: *Sed ſempiternus horror inhabitat.* De hoc horrore loquitur S. Paulus quando ait: *Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.* O Chriſtiane in tuo arbitrio ac poteſtate poſitũ eſt cadere in manus Dei viui, vel in manus Dei mortui. Si cadis in manus Dei viui, væ tibi, infœli-

In inferno qualis ſit horror.

Heb. 10. foelicissimus es, quia tremor atque concussio cordis perpetua te occupabit. *Horrendum est enim incidere in manus Dei viuentis.* Verùm in has manus adeò horrendas atque tremendas nemo cadit in præsenti vita, sed tantũ in morte, quando homo propter scelera sua æternis gehennæ ignibus addicitur. Contra verò si cadis in manus Dei mortui, ô te foelicem & ter quaterque beatum: magnam enim exinde hauries consolationem & lætitiam cordis. *Quia non horrendum, sed benignum, & suaue est incidere in manus Dei mortui.* In has manus adeò pias & benignas nemo cadit post mortem, sed antequam ex hac vita decedat: quando videlicet, homo peccator mores suos corrigit, & prioribus flagitijs relictis religiosam atq; piã deinceps vitam instituit. Manus Dei viui adeo graues & ponderosæ sunt, vt in ijs, quos oppresserint, maximam faciant ruinam. Contra verò, manus Dei mortui adeo leues & suaues sunt, vt in ijs, quos attigerint, non modo nullã faciant ruinam, sed etiam ea, quæ ruinam minitabantur, restaurent. Non tenebo vos vltra suspensos auditores, paulo clarius loquar.

Quid sit cadere in manus Dei viuentis &c. in manus Dei mortui.

DEVS viuus est, Pater cælestis. DEVS mortuus est, eius Filius, verbum æternum, qui in ligno crucis mortẽ acerbam pro nobis subiuit. Semel, inquam, in terris mortem excepit, vt nos vitæ restitueret: nunc autem resuscitatus immortalem in cælis vitam agit. O quàm graues sunt manus Dei viui. Verè, nisi retinerentur, dum in hac vita sumus, ab interminata Dei misericordia, & longanimi patientia, ô nos infoelices, statim post peccatum aliquod perpetratum, ab illis exterminaremur. Attendite, auditores, attendite. Quan-

amaritudinem, à pisce peccati proficiscẽtem. *Exenterate hunc piscem, & fel reponite vobis* Sed quoniam timor pœnarum infernalium de quibus sermonem instituo anhelitum ac spiritũ mihi penè abstulit, adeò vt nisi à benignis Dei manibus adiutus & roboratus fuissẽ, prorsus defecissẽ, permittite vt aliquãtisper hoc loco respirem; vt terribiliora quæ restant, de reprobis eorumque tormentis effari valeam.

TERTIA PARS.

I.

Iustitia quã Deus in peccatores exercet, est arcus tẽsus, & cur ita appelletur.

MAgnam mihi admirationem & terrorem pariter incutit propheta Regius, dũ tremendam Dei in peccatores & reprobos iustitiam, qua in imis terræ locis, dæmonum terribilibus spectris ac laruis vndique circumdati, ardentissimo igne perenniter cruciãtur, arcum tensum ac præparatum, in se vasa mortis continentem, & sagittas ignitas eiaculantem appellat. *Arcum*, inquit, *suum tetendit & parauit illum, & in eo parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* O metaphoram mysterijs plenam, simulque terribilem. Hic enim videtis Dei iustitiam quam in reprobos in Inferno exercet, nominari arcum: & non modò arcum, sed arcum præparatum & tensum: neq; modò tensum, sed etiam vasa mortis in se cõtinentem: neque hoc tantùm, sed etiam sagittas eiaculantem: & non sagittas simplices, sed ardentibus carbonibus ignitas. Quæ verba singula, consideratione & examine digna sunt. *Psal. 8.*

Dicit ergo iustitiam Dei esse arcum præparatum & tensum, *Arcum suum tetẽdit & parauit illum*, idque non sine elegãti ratione. Quia, quemad-

quemadmodum arcus tensus & paratus ad eiaculandum, à sua rectitudinē curuatur, & à naturali esse suo inflectitur: Ita etiam cū Deus in hoc mundo, & in ima illa sempiternę miseriæ regione iustitiam exercet; flectitur ab inclinatione & proprietate sua naturali, quæ est vti misericordia & non facere iustitiam, quēadmodum canit S. Ecclesia, dicēs. *Deus cui proprium est misereri semper & parcere.* Quod etiam innuit Esaias, quando iustitiæ diuinæ exercitium, vocat opus peregrinum, & alienum ab inclinatione & natura Dei. *Alienum*, inquit, *& peregrinum est opus eius ab eo.* Quia ergo Deus in puniendis reprobis in inferno, à propria & naturali inclinatione sua recedit, pulchrè cytharædus Dauid, hanc Dei iustitiam, arcum tensum nominat. *Arcum suum tetendit.* Dicam melius aliquid. Appellatur Dei iustitia, arcus tensus & paratus; quia quemadmodum, quātò magis arcus à Sagittario flectitur, dum funem dextra manu ad se trahit, lignum verè sinistra longius remouet, tātò maius & periculosius, sagitta ex illo emissa, vulnus infligit: Ita quoq; quantò DEVS iustitiam à se longius remouet, pietatisq; ac misericordiæ funē ad se propinquius attrahit: tantò periculosiora vulnera inferūt diuinæ vltionis sagittæ, cùm ad malefactores puniendos emissæ fuerint. *Lento enim gradu*, vti Plutarchus ait, *ad vindictam sui, diuina procedit ira, sed tarditatem supplicij grauitate compensat.* Quia igitur DEVS à peccatoribus in inferno existentibus, castigādis diu se cohibuit, & illos ad pœnitentiam longanimiter in hac vita expectauit, adeoq; iustitiam suam ab illis longè remouit, inde est, quòd in

Esa. 18.

Plutarchus.

eos

eos grauissimas & atrocissimas vindictæ sagittas contorqueat. Ac proinde Dauid eleganter Dei iustitiam arcum tensum & paratũ appellat: *Arcum suum tetendit.* Proferam porrò & aliam rationem totam suauem & amoris plenam cur hoc nomen arcus, Dei iustitiæ attribuatur.

S. Propheta Dauid, Dei iustitiam arcum tẽsum vocitans, voluit nobis ostendere molestiam, quam DEVS percipit, ex eiusdem iustitiæ in peccatores vsu exercitatione. Quia quemadmodũ sagittarius, arcum, ante sagittæ missionem tensurus, dum lignum superius incuruum, à se longius amouet, & chordam arcus ad se trahit, dextera manu, qua eandem chordam intendit, cor, & pectus suum nonnunquã verberat, & quantò fortius eam ad se trahit, tantò vicinius ad pectus accedit, crebriusque idem pectus & cor attingit, cæditque. Ita etiam Deus, antequam sagittas vltionis in peccatores eiaculetur, prorogando & longè à se remouendo iustitiam, prius pectus & cor suum, ingenti pietate atque clementia sua tundit. Quia tãto amore hominem complectitur, vt occasionem ipsum puniendi sibi præberi doleat, & si quando in eum animaduertere cogitur, magnam inde hauriat animi molestiam. Vultisne hanc ipsius molestiam, ante sagittarum vindictæ in improbos vibrationem, ad oculum videre? En habemus insigne illius exemplum in Genesi, vbi sacra scriptura de Deo loquens ita dicit. *Tactus dolore cordis intrinsecus, delebo*, inquit, *hominem quem formaui à facie terræ*, cum ait. *Tactus dolore cordis intrinsecus*, ostendit pectoris tũsionem, & molestiã animi quam Deus ex ho- *Gen. 6.*

ex hominum punitione percipit:subijciēs vero: *delebo hominem quem formaui à facie terræ*, demonstrat sagittam vindictæ in homines vibratam. Eleganti igitur ratione adductus Dauid, diuinam iustitiam, qua reprobos in inferno punit, arcui tenso comparat. *Arcum suum tetendit*, Eò quod inuitus in eos animaduertat, sed sceleribus eorum ad hoc agendum quasi compellatur, & vrgeatur.

Psal.7.

Addit in hoc arcu Dominum parasse vasa mortis. *In eo parauit vasa mortis.* Quæ autem putatis esse vasa hæc mortifera? Sunt bina illa tormenta, quæ in ima damnatorum regione, mortiferis doloribus improbos cruciant: ignis videlicet, & glacies, vt S. Iob testatur his verbis, *Transeant ab aquis niuium, ad calorem nimium.* Hæc autem supplicia, nō vnam tantūmodo, sed singulis penè, momentis nouam illis necem ita inferūt, vt tamen nunquam mori desinant. Rectè igitur Propheta Dauid ait. *Et in eo parauit vasa mortis.* Concludit denique. *Sagittas suas ardentibus effecit.* O Christiani, sagittæ, quas DEVS in infernum contorquet, non sunt, vti nostræ ex ligno, & cuspide ferrea sed igne ardentissimo fabrefactæ: quia ignis ardentissimus est, qui dæmones, & damnatorū animas cruciat & torquet.

Iob.24.

Psal.7.

Adducam & aliam rationem, cur dicat hūc arcum continere in se vasa mortis, & eiaculari sagittas, candentibus carbonibus ignitas. *In eo parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* Hoc enim dicit, vt magnam quæ inter huius & futuræ vitæ animaduersiones est, differentiam ostendat. Quamuis enim vtræque sint sagittæ, à Deo in nos vibratæ, attamen illę

Psal.7.

Quando DEVS AEgyptum horrendis, quas in ſacris literis legimus plagis viſitauit, aquas luminum, fontium & ciſternarum in ſanguinem conuertendo: piſces interficiẽdo, ex quibus corruptæ & quaſi toxico quodam infectæ fuerunt aquæ: publicas ſemitas & priuata domicilia, lectos, menſas, cibaria ranis adimplẽdo: muſcas & cyniphes beſtiolas mordaciſsimas & infeſtiſſimas in omnes homines & animantia immittendo, dixerũt Sapiẽtes AEgypti ad Pharaonem, *Digitus Dei eſt hic*. Si autẽ flagella tam grauia & acerba digitus Dei appellata fuere, qualia erunt flagella totius manus? qualia ambarum manuum? Pœnæ & animaduerſiones etiam grauiſſimæ, quibus DEVS in pręſenti vita in nos animaduertit, leues atque nullius momenti ſunt, ſi cum alterius vitę ſupplicijs componantur quia ſunt tantummodo vnius digiti. *Digitus Dei eſt hic*. At flagella futuræ vitæ, quæ ſceleratis hominibus in ima inferni regione infliguntur, maxima & nocentiſſima erunt, quia ab vtraque Dei manu proficiſcentur. Non auditis? *Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis*. Accipite præterea & aliam diuinæ ſcripturæ locum. Exod.8. Heb.10.

Num retinetis memoria, quid de Moyſe ſacrarum literarum monimenta teſtantur, cùm in ſummitate montis DEVM pro populo ſuo deprecaretur, manus eius adeò graues & ponderoſas extitiſſe, vt pro ijs ſuſtentandis, duorũ qui manus tenerent, ope indiguerit, quorum vnus fuit Aaron, alter Hur, vno dexteram, altero ſiniſtram ſuſtinente Sic enim habet facer textus. *Manus Moyſi erant graues. Aaron autem & Hur ſuſtentabant manus eius ex vtraque parte.* Exod.17.

te. O præclarum mysteriū. Moyses in fastigio montis, cum ponderosis manibus, DEVM in sublimi cælorum monte existentem figurat; qui manus per iustitiam admodum graues & ponderosas habet: Quæ ne in præsenti vita peccatores opprimant atq; exterminent, quēadmodum iustè propter scelera nostra mereremur, à duobus Hur & Aaron, id est, à diuina misericordia & patientia retinentur.

O nos fortunatos, quibus ea modo fœlicitas obtingit, vt duo ista non permittant Dei manus delabi, ad nos pro meritis scelerum nostrorum castigādos. Aduertite obsecro an manus Domini graues sint, quandoquidem S. Iob maximam, quæ homini in hac vita immitti

Iob 19. possit, calamitatem & pœnam, appellat diuinæ manus contactum. *Miseremini mei,* inquit, *saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Audistis sæpenumerò, & memoria, vt opinor, retinetis, qualis fuerit calamitas illa, quā S. Iob perpessus est.

Si autem, ô fideles, vir ille sanctissimus & præclarum tolerātiæ exemplar diuitiarū omnium iacturam, filiorum & filiarum subitam à rūina domus oppressionem, corporis totius propter vlcerum multitudinem & malignitatem, acerbissimos dolores, maledicta & iniurias vxoris & amicorum, diuinæ manus contactū nominat, qualis futura fuisset illius calamitas & ruina, si vtraque manu Dei oppressus fuisset. O Christiani, interea dum in hac vita sumus, DEVS nonnunquā vna manu, nūquā vtraque nos percutit: quia duo sunt, quæ modo grauissimas seueræ iustitiæ illius manus retinent. Hur & Aaron, misericordia & patiētia- prop-

propter quæ suam iustitiam de die in diẽ differt, nosque ad pœnitentiam lõganimiter expectat, Vnde S. Paulus ad Romanos scribens ait. *An diuitias bonitatis & patientiæ, & longanimitatis Dei contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* At transacta hac vita, nemo ampliùs erit qui ad vtilitatem nostram graues Dei manus sustentet, non Hur, non Aaron, non patientia, nõ misericordia. Sed tunc, ô peccatorum infœlicitatẽ, Dominus in inferno vtramque manum in eos delabi patietur, illosque grauiter & insanabiliter feriet: Quia tremore, angustijs, & doloribus ineffabilibus eos replebit. *Rom. 2.* *Heb. 18*

Ac proinde graue illorum suppliciũ S. Paulus secum considerans ait: *Horrendum est, incidere in manus Dei viuentis.* Expende præterea diligenter, ô Christiane, verba illa, *Dei viuẽtis.* Si hostem iuratum seu capitalem habeas, vitæ tuæ assiduas tendentem insidias, potes inde solatium aliquod capere, quòd aliquando ab inimicitia illius eximi speres. Nam cùm ille homo sit morti obnoxius, potest fieri vt ex inopinatò cras vel perendie, cùm Deo placuerit, ex hac vita tollatur, sicque inimicitijs & molestiæ, quàm tibi exhibet, finem imponat. At si Deum habes inimicum, qua poteris spe temetipsum sustentare ac roborare, quòd inimicitiæ tuę cũ illo aliquãdo finem habituræ, aut miseriæ & calamitates desituræ sint, cùm ipse immortalis, & manus eius, quibus flagellat æternæ sint: vtpote Dei, in omnem sæculorum ęternitatem viuentis? Ideoque *horrendum est incidere in manus Dei viuentis.*

Vultisne, fideles, remedium aliquod vobis

Quo pacto quis manus Dei viuentis poßit effugere.

suppeditari, quo freti, in altera vita Dei viuẽtis manus possitis effugere? Cadite nunc, dum hac vita fruimini, in manus Christi Seruatoris, in durissimo Crucis ligno mortui: quę non sunt graues ac ponderosæ, sed leues & suaues. Non cernitis, quàm illę immobiliter cruci cõclauatæ sint, vt non modo nocumenti nihil nobis adferre, sed etiam plurimum prodesse valeant? Non intuemini, quomodo eędem manus in ligno crucis extensæ sint, vt benedicãt? apertæ, vt amplectantur? ligatæ, vt soluãt? clauis transfossę, vt à peccatis nos eximãt? O sancta brachia; ô manus benignæ, plenæ pietatis & misericordiæ, quæ non ruinam nostram, sed salutem curant: non damna, sed vtilitaté spectant: non flagellis in nos animaduertunt, sed vulnera nostra sanant.

Tum ô Christiani, cadimus in benignas manus Dei in cruce mortui, & in cælo viuentis, quando de sceleribus nostris conterimur, ea legitimo Sacerdoti singulatim aperimus, eorum condonationem pijs precibus à cælesti numine imploramus, ac denique debitam pro ijs pœnitentiã agimus: quia tum sanctissimam illius passionem & sacra vulnera manuũ eius, pro nostra salute clauis perforatarum & cruci affixarum, applicamus. O quàm efficax remediũ in hac vita sunt benignæ manus Dei mortui, ad effugiendum in altera, horrendas manus Dei viui immortaliter viuentis, & perpetuis supplicijs, æternoque timore, tremore, & horrore in peccatores animaduertentis. *Sed sempiternus horror inhabitat.* Quapropter reuoluite, ô Christiani, diligenter cum animis vestris, vltimam hanc fellis pœnarum inferni

Iob. 10.

amaritu-

virtutem saliamus: & de arbore in arborem, id est ab arbore peccati ad arborem gratiæ, ab arbore vanitatum mũdi ad asperrimam Crucis arborem, à Cruce ad spinas quæ Christi cruci affixi, caput perforarunt: à spinis ad cauernas sanctissimorum vulnerum illius per meditationem & contemplationé volitemus. O fœlices saltus. O beatos volatus. Si ita fecerimus; arcum & sagittas ignitas, mortis vasa secum ferentes euitabimus. *Et in eo parauit vasa mortis.*

Cognoscitis ergo rationem cur Deus toties in sacris literis magnam iustitiã suã, quã in Inferno in reprobos exercet, ostendat: nimirum non vt noceat, sed metum inferat, quò à tremendo hoc arcu fugiamus. Ac proinde ait. *Dedit eis significationem vt fugiant à facie arcus* Quem arcum & sagittas Deus parat, & eiaculatur in eo loco, de quo S. Iob inquit. *Sed sempiternus horror inhabitat.*, Porrò aduertite illam iustitiam, qua Deus reprobos in Inferno castigat, à Dauide non modò arcum tensum, verùm etiam gladium è vagina eductum appellari, quem vibrat in eos, qui dum in terris viuerent ad eum conuerti noluerunt. Idcirco antequam illa verba proferret. *Arcum suum tetendit*, præmisit. *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit.* Et Deus ipse apud Ezechielem, peccatori sempiternos inferni cruciatus comminans ait: *Ecce ego ad te, & eijciam gladium meum de vagina sua* O locutionem formidabilem, dignam quæ à nobis omnibus attentissimè ponderetur & examinetur. Psal. 7. Ezech. 21.

Cùm ait, se vibraturum & eiecturum iustitiæ suæ gladium de vagina, signum est, quod adhuc

adhuc sit intra vaginam: si enim extra foret, nõ diceret se illum eiecturum, Quamdiu autem gladium hunc intra vaginam continet, parum potest nocere: at quando eum educit; væ nobis peccatoribus, tum non parcit, sed seriò in nos animaduertit. Quis enim nescius est, robustum militem, quam diu gladium in vagina continet, etiamsi eodem gladio aliquem feriat, id potius ioco agere, nec quicquam tali ictu nocere. At si gladium educat, & vagina humi abiecta, ambabus illum manibus stringat, totis viribus in aduersarium vibrando, tum verò clarum & euidens est, eum non amplius ioco sed seriò agere, certosque ictus inferre, ac plurimum nocumenti dare, nonnunquam etiã perimere. Ita quoque potentissimus DEVS aliquando nos ferit cum gladio intra vaginam recondito, nonnunquam verò cum gladio euaginato. Dum in terris viuimus, percutit & castigat nos gladio suæ iustitiæ, intra vaginam misericordiæ concluso, quæ prohibet ne nobis nocumento sit, iuxta illud oraculum Dauidicum. *Cum iratus fueris misericordiæ recordaberis.* O fideles, quando DEVS in præsenti vita, infirmitatibus, bellis, pestilentijs, annonæ difficultatibus, atque alijs innumeris afflictionibus nos visitat, nihil aliud facit, quam quod nobiscum iocetur, & gladio in vagina recondito nos feriat: quia id facit ad exercitandam nostram patientiam, & augenda merita: vel vt peccata nos faciat deserere, aut occasionem habeat miserendi, sempiternamque salutem nobis impertiendi. Ideoque non nocet, sed prodest. At in futura vita si rei & peccatis obnoxij fuerimus, non vltra iocatur nobiscum

Hab. 3.

bifcum

biſcum.ſed gladium educit, vaginam abijcit, quia non recordatur amplius miſericordiæ, vti rectè notat S. Iob dicens: *Obliuiſcetur miſericordiæ eius.* Et ambabus manibus, iræ videlicet, & iuſti furoris ſui gladium ſtringit, atque aduerſum nos vibrat, mortiferis vulneribus ſauciat, omniaque illa mala, pœnarum infernalium, quæ hactenus intellexiſtis, infligit. Idcirco Dauid ingens hoc malum nobis euenturum niſi vitam correxerimus, & ad DEVM cõuerſi fuerimus, prædicẽs ait. *Niſi cõuerſi fueritis gladium ſuum vibrabit*, & DEVS ipſe peccatori his verbis. *Ecce ego ad te, & eijciam gladium meum de vagina ſua.* Quod perinde eſt ac ſi dixiſſet, contra te euaginabo gladium iuſtitiæ meæ, & lethalibus plagis te ſauciabo, quæ continuam tibi mortem, ſine moriendi termino inferant. Hic autem gladius ſemel eductus nunquam vltra in vaginam ſuam recondetur, quia damnatis nunquam pœna ſceleribus ipſorum debita, condonabitur. Non auditis Dominum eodem in loco id affirmantem? *Eduxi*, inquit, *gladium meum de vagina ſua irreuocabilem*. Quid autem aliud eſt irreuocabilem, quàm ſine remiſſione, & ſine ſpe vlla miſericordiæ? Miſeriæ igitur & calamitates, quas DEVS in hoc mũdo nobis immittit, non ſunt nociuæ, quia ſunt ictus gladij in vagina reconditi, id eſt miſericordia ſociati, quia DEVS id facit, vt patientiam noſtram probet, merita augeat, peccata nos deferere faciat, atque regnum cœleſte, quod ſuſtinendo maximè acquiritur, nobis donet: at miſeriæ futuræ vitæ, ſunt ſupra modum nociuę, quia ſunt ictus gladij euaginati, id eſt ſine miſericordia, irremiſſibiles,

Pſal. 7.

Ezech. 21.

Ibid.

ſibiles, irreuocabiles, ſempiterni: Quod innuere voluit S. Iob in ſeptima & vltima amari fellis conditione cùm ait: *Sed ſempiternus horror inhabitat*. Quæ quoniam cæteris omnibus acerbior & amarior eſt, expendamus eam aliquanto exactius & profundius.

II.

Cur pro culpa temporali à Deo infligatur pœna æterna.

QVandoquidem, auditores, ſempiternus idem eſt, quod æternus, poſſet mihi hic curioſus aliquis obijcere, quomodo fieri poſſit, vt DEVS iuſtè infligat pœnam æternam pro culpa temporali, quandoquidem id videtur repugnare illi ſententiæ Angelicæ; *Quantùm glorificauit ſe & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum*. Et Moyſi in Deuteronomio dicenti: *Iuxta menſuram delicti erit plagarum modus*: Reſpondeo cum S. Auguſt. lib. 21. de ciuitate DEI, vbi ita ait. *Quodlibet ſcelus non temporis longitudine, ſed iniquitatis & impietatis magnitudine metiendum*. Adeò vt iuxta inſignem hunc Eccleſiæ Doctorem, proportio malorum & pœnarum infligendarum, à peccati enormitate, non à temporis quo illud perpetratum fuit, vel breuitate vel diuturnitate ſumenda ſit. Ac proinde Angelus & Moyſes, in præallegatis ſacræ ſcripturæ locis non ita intelligendi ſunt quaſi dixerint, vt quantũ temporis in admittendo ſcelere quis poſuit, aut in eodem ſcelere perſtitit, tanto in pœnis ſit: ſed hic eſt verborum eorum ſenſus, vt velint, ſi magnum & graue eſt peccatum, grauem quoque eſſe pœnam: ſi exiguum, exiguam quoque eſſe pœnam pro illo infligendam. Ita etiã

Apoc. 18.
Deut. 25.
S. Auguſt.

Chri-

huius mundi aliarum futuri ſæculi comparatione, ſunt infirmæ, & nullius roboris, inſtar infantilium ſagittarum, quas arcubus ligneis recreationis cauſa eiaculantur. *Pœnarum huius & alterius vitæ differentia.*

Nam quemadmodum ſagittę infantiles, eorum in quos contorquentur, veſtiméta ſolum attingunt, non penetrant, non cruentant, neq; vulnus aliquod aut necem inferunt. Ita etiam afflictiones, pœnæ & calamitates huius ſæculi, quæ à Deo nobis immittuntur, tantummodo corpus & carnem, quæ eſt veſtis animę, attingunt, at non penetrant intus vſque ad animam, non necem ei adferunt, neque ſanguinē proliciunt, id eſt, diuinam gratiam, in qua vita ſpiritualis, non aliter atque in ſanguine corporalis conſiſtit, non auferunt. Audite Regiū Prophetam Dauidem, luculentis verbis calamitates & aduerſitates huius ſæculi, ſagittas infantiles nuncupantem. *Sagittæ*, inquit, *paruulorum factæ ſunt plagæ eorum.* At ſagittæ futuri ſæculi, ſunt ſagittæ fortiſſimæ, virili manu, ac robuſtis lacertis contortæ: quia penetrant vſque ad interiora animæ: eorum ſanguinem diuinæ gratiæ exhauriunt, atque animę in ardentiſſimis gehennæ incendijs, immortalem quandam mortem inferunt. Quod Regius propheta ſecum conſiderans, rectè ait. *Et in eo parauit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit.* *Pſal:67.* *Pſal.7.*

Præterea quando DEVS afflictionibus, aduerſitatibus, pœnis, in præſenti vita in nos animaduertit, ad noſtram id facit vtilitatem, quia per illas inſtruimur, quo pacto regnum cæleſte conſequi valeamus. Si princeps aliquis ſeu belli præfectus, exercitu ſuo, ciuitatem a- *Simile*

liquam obsidione cingat, & in ea syncerum & fidum habeat amicum, solet ab eo de omnibus, quæ ad ciuitatem expugnandam, necessaria sunt, hoc ferè stratagemate admoneri. Contorquetis ex vrbe ad eum in agris obambulantem sagittam aliqua, cuius summitati epistola quædam alligata est, qua singulatim instruitur, qua potissimum via & methodo, aduersarios ingressum impedientes deuincere, obstacula omnia superare, & ciuitatem occupare valeat. Quapropter non poterit ęgrè ferre, se sagitta petitum fuisse, sed potius magnas amico pro suppeditato consilio gratias habere.

Iob 7. O Christiani intelligite. Omnes nos dum in mundo degimus, milites sumus, S. Iob attestante cùm ait. *Militia est vita hominis super terram:* congregamur autem in prælium, ad expugnandam & occupandam augustissimam superni Paradisi ciuitatem, quæ non nisi violentiam

Matth. 11. faciendo & viriliter decertando acquiritur iuxta illud: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Habemus in ea, ô fœlicitatē, fidem & syncerum quendam amicum, imò Dominum benignissimum, ipsum videlicet summum atque immortalem DEVM: hic ad nos in magno huius mundi agro deambulantes, sagittas suas cōtorquet, dum flagellis, pœnis, miserijs, & calamitatibus huius sæculi nos inuisit: hæ autem sagittæ alligatam habent epistolam sacri Euangelij, quod nobis methodum & rationem tradit, qua possimus ciuitatem hanc occupare, & tres iuratissimos hostes nostros, Mundum, Carnem, Diabolum, ab ingressu illius nos prohibentes, deuincere. Aperite auditores, epistolam hanc, & attentè

perlegite,

perlegite, in ea namque ſcriptum inuenietis. *Virtus in infirmitate perficitur. In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Si compatimur & conregnabimus. Flagellat Deus omnem filium quem recipit.* Sunt ibidem innumeræ aliæ artes atque ſtratagemata deſcripta, quibus hoſtes illi profligari, & ciuitas tam fœlix expugnari & poſſideri poſſit.

2.Cor.12. Luc.21. Matth.5. Ioan.16. Matth.5. 2. Thom. 2. Heb.12.

O monita ſalutaria: beati erimus, ſi ea non modò audire & intelligere, ſed etiam ſpontanea volũtate, & ex animo amplecti ſtuduerimus. Quapropter, ô Chriſtiane, noli dolere, noli conqueri de Deo, quãdo tribulationibus, afflictionibus, perſecutionibus, aut alijs miſerijs & ærumnis huius ſæculi premeris & exagitaris, quia illæ non ad malum ſed bonum, non ad detrimentum, ſed vtilitatem tuam cedunt: quin potiùs lauda & gratias illi age, tanquam fideli amico tuo & omnium hominum: qui ad omnes dicit. *Iam non dicam vos ſeruos ſed amicos.* At in altera vita, & in futuro ſęculo ſagittę quas Deus in peccatores cõtorquebit, non deferent ſecum epiſtolas monitorias, ſed vaſa mortis & ignes ardentes. Cæterum quoniam ſemel de arcu & ſagittis loqui exorſus ſum, addam & alium qui mihi in mentem ſubit, non minus elegantem conceptum.

Ioan.15.

Quid cauſę eſſe putatis, auditores, quod Deus in ſacris literis, per Prophetas, per Euangeliſtas, per Apoſtolos, toties nobis demonſtret

arcum

arcum hunc vasa mortis & sagittas ignitas in reprobos ad imam sempiternæ miseriæ regionem eiaculantem? Facit hoc benignissimus & clementissimus Deus, non vt lædat, sed terrorem nobis incutiat, faciatque vt à mortiferis hisce sagittis caueamus. Audite eundem Psaltem regium id dicentem. *Dedit eis significationem vt fugiant à facie arcus.* Quod perinde est ac si diceret. Idcirco Deus in præsenti vita hominibus arcum iustitiæ suæ, quo peccatores in inferno cruciat, ostendit; quò signum illis det, *vt fugiant à facie arcus.* Nam quemadmodum sagittarius, quando arcum & sagittam, ab auiculæ aspectu, omnibus modis conatur abscondere, manifestum indicium est, quòd eam ferire ac perimere cogitet: at si vtrumque ei apertè ostendat: signum est, quòd non velit eam ferire, neque necem inferre, sed tantummodo pauorem incutere, vt ab ictu sagittæ fugiat, Vnde videas auiculam, arcum tensum atque ad sagittam eiaculandam paratum, conspicantem, præ timore, nullibi consistere, sed de ramo in ramum, de arbore in arborem volitare.

Psal. 59.

Simile.

Ita etiam Deus clemens & pius sagittarius, sæpenumerò in diuinis scripturis, arcum tremendæ institiæ suæ, mortifera sagitta instructum nobis exhibet, vt manifestum det indicium, se non velle nocere aut perimere, quamuis innumeris sceleribus affines simus: nam ipse ait. *Nolo mortem peccatoris, sed magis, vt conuertatur & viuat.* Sed hoc agit, vt salubri metu nos perterrefaciat, ne subsistamus in mundi & carnis voluptatibus, sed de ramo in ramū, id est, de præcepto in præceptum, de virtute in virtutem

Ezech. 33.

Christus apud Lucam intelligendus est, quando ait. *Eadem mensura quâ mensi fueritis, remetietur vobis*, quod non de mensura temporis, sed sceleris accipiendum est. Testatur id S. August. qui hunc Euangelij locum lib. 21. de ciuit. Dei exponẽs ait. *Hoc dictum est, non propter æquale temporis spatium, sed propter vicissitudinẽ mali, id est, vt qui male fecerit, mala patiatur.* An non aduertitis, nullam legem, neque ciuilem, neque Ecclesiasticam, neque humanam, neque diuinam, decernere, vt in puniendis delictis ad diuturnitatem temporis respiciatur, vt quanto tempore durauit culpa, tanto duret pœna, quemadmodum idem S. August. loco citato asseuerat. *Vllius*, inquit, *id nunquam iustitia legis attendit, vt tanta mora temporis quisque puniatur, quanta mora temporis vnde puniretur, admisit.* Et ne quis existimare possit, eum proprio iudicio inductum ista scribere, multa subdit exempla, quibus id verum esse doceat, Vt si quis propter alienæ fœminæ, aut honestæ virgini osculum infixum, ad verbera condemnetur, leges nullæ definiunt, vt verbera tam breuia sint, quàm breuis fuit mora quam in osculo dando adhibuit, sed potiùs, vt pro eo, quòd puncto temporis fecerit, in comparabili horarum spatio verberetur, sicq; suauitas voluptatis exiguæ, diuturno dolore puniatur. Præterea si seruus qui verbo aut ictu celerrimè transeunte vel lacessiuit Dominum vel plagauit, ad carceres & vincula dãnetur, leges nullæ iubent, vt tamdiu ibi sit, quamdiu fecit, vnde meruit alligari & incarcerari, cùm iustissimè aliquot etiam annorum pœnas pro tali sce-

Luc. 6.

S. August.

S. August.

Similia.

tali scelere in compedibus pendere debeat.

Adhæc si quis homicidium, vel adulterium, vel sacrilegium admiserit, nulla lex est quæ censeat, tam citò illius finiendum esse tormẽtum, quàm citò scelus fuit admissum: cùm plerumque pro ijs vel exilium, vel seruitus perpetua sic infligi soleat, vt nulla venia relaxẽtur: quæ pœnæ pro huius vitæ modo, similes videntur esse pœnis ęternis, Ideo quippe ęternæ esse non possunt quia nec ipsa vita, quæ his plectitur, porrigitur in æternum.

Insuper si quis propter graue aliquod crimen morti adiudicetur, manifestum est, leges non æstimare supplicium eius, mora illa, qua occiditur, quę perbreuis est, sed quòd per mortem in sempiternum auferunt eum de societate viuentium, tanquam hominum conuictu indignum. Quę pariter pœna æternæ similis est: quia quemadmodum in hoc mundo nulla lex ampliùs ad vitam reuocat eum qui tali supplicio peremptus est, ita quoque nulla lege, neque vllo modo fieri poterit, vt qui in altero sæculo ad æternam mortem condemnatus est, ad æternam vitam reuocetur. Alia multa his similia ibidem adfert sæpè citatus S. Pater Augustinus, quæ, vt in re satis manifesta longior non sim, prætermitto. Videtis igitur apertè ac planè, quòd in pœna peccati, non habeatur respectus ad mensuram & proportionem tẽporis, sed mali perpetrati: ideoq́ue mirum nõ est, quòd pro breui & temporanea culpa, pœna infligatur æterna.

Verùm hic alia multò subtilior & altior se offert dubietas. Non enim vltra quæritur, posśitne temporalis culpa, æterno supplicio rectè

rectè puniri: sed cur DEVS æternam pœnam, pro temporaneis aut etiam momẽtaneis peccatis velit infligere, & non potiùs contentus sit pœna reproborum aliquo tempore finienda? Sublimis profectò interrogatio, quam ego sanctorum Patrũ & Ecclesiæ doctorum rationibus & argumentis, quoad fieri potest conabor dissoluere & illustrare, quorum illi multa quidem adferunt, sed ego pręcipua tantùm, cæterisque firmiora & efficaciora seligam. Attendite.

III.

Deus iustè propter temporales culpas pœnam infligit æternam propter quindecim rationes.

Ratio I.

SCiendum igitur est (vt hinc ordiar) Deum iustissimum nõ solum peccatum, sed multò magis ipsam peccati malitiam in inferno punire, S. Augustino teste, qui ait. *DEVS non solum punit peccatum, sed multò magis malitiam peccati.* Hæc autem malitia non proficiscitur ab actu peccati, sed à voluntate, quæ hominem ad peccatum inclinat. Porrò mala hæc voluntas in peccatoribus non est temporanea, sed æterna, quia cuperent immortaliter viuere, vt in æternum liceret peccare: & quamuis æterno tempore non peccent, attamen id non oritur ex bona voluntate, id est, quia propter amorem DEI, aut odium peccati, à malis perpetrandis se abstinent: sed nascitur ex breuitate vitæ, quæ ipsis deficit. Neque dubium est, quòd peccator si vitam suam in æternum tempus prorogare posset, etiam æterno tempore peccaturus sit, vti ex subiecto poteritis exemplo cognoscere. Attendite.

Simile.

Sunt nonnulli aleatores, propter malum habitum ex assiduo vsu contractum, ita ad aleas & chartas propensi, vt si nocturnis horis ad

lumen candelæ, ludum auſpicentur, non ante ab eo deſiſtant, quàm candela abſumpta lumen deficiat: qui quoad voluntatem cuperent, lumen ſibi nunquam deficere, vt integram noctẽ in ludo poſſint tranſigere: ac lumine deficiente contriſtantur. Hic videtis in aleatoribus propter extinctionem luminis, ipſum quidẽ ludendi actum ceſſare, at voluntatem non deeſſe. Ita etiam peccatores in præſenti ſæculo, quæ eſt veluti nox quædam obſcura, ſi cum æterno cæleſtis paradiſi ſæculo comparetur, ludum cum dæmone auſpicantur. Nummus qui in hoc ludo deponitur, & pro quo certatur, eſt anima. Lumen accenſum eſt præſens vita, Hoc vitæ ſuæ lumen ſemper vigere ac viuere cuperent, peccatores, vt poſſint ludum, id eſt, peccata, quàm diutiſſimè continuare: & quando lumen hoc illis eripitur, dolent & contriſtantur, quòd ad terminum vltra non peccandi ſe perueniſſe conſpiciant. Hinc manifeſtè cernitis deficere illis quidem propter vitæ extinctionem, peccandi actum, ſed non voluntatem. Vnde S Gregorius Papa lib. 4. dialogor. ait.

S. Gregorius. *Voluiſſent iniqui ſi potuiſſent ſine fine viuere, vt potuiſſent ſine fine peccare.* Itaque Dominus in puniendis reprobis non tam reſpectum habet ad ipſum peccatum, quàm ad peccati malitiã; & quia malitia iſta hæc eſt, vt ſi æterno tẽpore vixiſſent, æterno tẽpore peccare voluiſſent: idcirco æterna quoq; eſt pœna, qua talis malitia caſtigatur. Rectè igitur S. Auguſt. id ſecũ

S. Auguſt. conſiderans ait. *Deus non ſolum punit peccatum,*

S. Gregor. *ſed multò magis malitiam peccati.* Et S. Gregor. Papa lib. 4. dialog. *Ad iuſtitiam,* inquit, *pertinet iudicantis, vt nunquam careant ſupplicio, qui*

in hac

in hac vita nunquam voluerunt carere peccato. Pergam paulò vlterius in hac similitudine aleatorum, vt fortius inde eliciatur argumentum. Quemadmodū in aleatoribus post mortuum siue extinctum lumen, manet viuum ludendi desideriū. Ita quoque accidit peccatoribus, quibus etsi præsens adimatur vita, manet nihilominus in eis semper viua voluntas & desideriū, ea peccata ex quibus viuentes magnam cæperunt delectationem, committendi. Vnde cùm in inferno illis semper adsit mala hæc voluntas, iustum est etiam vt pœna ipsos comitetur æterna. Clarū namq; & euidēs est, in fornace non priùs ignem deficere, quàm ligna deficiāt: & ignē nunquā defecturū, si ligna quibus foueatur, sufficientia adsint. Fratres mei, ligna quę damnatos in inferno ardere faciunt, sunt malitia & peruersa voluntas ipsorum, nunquam deficiēs. Ac proinde nunquam deficiet sempiternus ignis, qui eos torqueat.

Præterea inferni pœna non minori tempore durare debet, quàm culpa durat. Clarum id est, quia pœna est effectus culpæ, durante autē causa, (vti habet commune philosophorū axima,) durat etiam effectus: vt durante igne durat fumus. Cùm ergo culpa quæ pœnarū causa est, in damnatis æterno tempore permaneat. Pœna quoq; quæ culpæ effectus est, æterno tēpore debebit perdurare. Quòd culpa in illis perenniter maneat, certum est: quia illa nihil aliud est, quàm reatus quidam seu macula, quæ in anima post peccandi actum relinquitur impressa. Vnde aiunt Theologi. *Transit actus & manet reatus.* Et si reatus ille aut macula in præsenti vita per pœnitentiam non deleatur, *Ratio 2.*

los mentis constitueret. *Reuoca mihi diem, qui præ e yt.* Quando monuit, vt flatum venti mensuraret, ita accipiendus est, quasi eum cómonefecisset, vt secum diligenter vitæ expéderet præsentis breuitatem, quæ nihil aliud est quam flatus venti, dicente S. Iob. *Memento mei, Deus, quia ventus est vita mea.* Vel vt attétè consideraret mortem, quæ nihil aliud est quá modici flatus exhalatio, & breue suspirium? Quando denique hortatus est, vt ignem ponderaret: nihil aliud innuere voluit, nisi vt intellectus libra seu examine iguem illum inferni, qui vnicuique ad pondus & mensuram, pro scelerum videlicet meritis infligitur: quemq́ue omnes peccatores, qui ex animo ad DEVM conuerti renuunt, experientur, secum ponderaret. O quàm eximiam vtilitatem adfert homini hæc cogitatio. Profectò, si attentè secum ignem hunc peccatoribus præparatum reuolueret, fieri non posset, quin ad sui notitiam perueniret, & ad DEVM diligendum, vitamq́ue ex virtutis præscripto instituendam se disponeret, ne ad æterna tormenta patienda, deuolueretur. *Fel valet ad vngendos oculos in quibus fuer t albugo & sanabuntur.*

Iob. 7.

Quarta figura.

Psal. 118.

Quam existimatis esse horum Dauidis verborum sententiam, quando, ait, *Confige timore tuo carnes meas, à iud cijs enim tuis timui?* Ea est. O Domine quia semper formidaui & etiamnum formido iudicia tua, quibus peccatores ad æterna incendia quorum sæpè memini, condemnas: hoc timore omnia membra mea ita confige, vt nullam in partem moueri, diuinamq́ue maiestatem tuam offendere possint. Desumit autem Propheta, vti S. Basilius in homilijs

milijs ait: metaphoram hanc ab homine, qui patibulo seu cruci conclauatus est, quem claui ita affligunt, & firmum fixumque retinent, vt se vllam in partem commouere non audeat, ne nouos dolores, quos claui ei propter minimam etiam corporis motionem adferrent, tolerare cogatur. Ita etiam Dauid affigi cupiebat clauo tremendæ Dei iustitiæ, vt ita conclauatus, ab omni peccato se abstineret, ne dolores quos æterni ignes peccatoribus adferunt, experiri compelleretur. O Christiane time tu etiam metuenda hæc Dei iudicia, memorare frequenter, tremendæ illius iustitiæ: hic enim timor, & recordatio hæc, tam arctè omnia membra & sensus tuos vinciet, vt Deũ offendere ausurus non sis: teque ita illuminabit, vt virtutes amplexaturus, vitiaque toto conatu vitaturus sis, *Fel valet ad vngendos oculos, in quibus fuerit albugo & sanabuntur.* S. Basilius. Tob. 6.

O auditores, nõ scitis dæmones semper ad exitium nostrum, paratissimos ac promptissimos esse? Huius rei solius recordatio nobis ad peccati fugam, & stabilitatem in obseruantia diuinorum mandatorum sufficiens esse deberet? Nostis enim, quando Taurus ferox, in spectaculis publicis, ad stadium solutus emittitur, omnes spectatores in tutum se recipere, vt ab illius furore, & elatis cornibus se tueantur: nec audent dimissis tutioribus locis in stadiũ ingredi, propter iræ ac ferocitatis tauri metum. Qui autem tauri ferociores & formidabiliores sunt dæmonibus, de quibus à Dauide dicitur. *Tauri pingues obsederunt me.* Quando hi mentes nostras per recordationem ingrediuntur, affirmare possumus, eos in Simile. Psal. 21.

Ratio 4. Præterea peccatum spoliat damnatum bono infinito; quod Deus est: idque æterno tempore, quia cõstituit eum inhabilem, vt ad Deum reuerti, & debito, ad quod per iustitiam obligatus est, satisfacere valeat. Cùm ergo debitum quo obstrictus tenetur, exoluere nequeat, manet in eo æterna obligatio, & ex cõsequenti necessè est, vt æterna quoq; sit pœna quã patiatur. *Sed sempiternus horror inhabitat.*

Ratio 5. Adhæc quantò maius est bonum, cui culpa nocet, tantò maius debet esse supplicium quod pro ea infligitur: at bono, cui culpa nocet, nullum maius & excellentius esse potest, quia Deus est, cui peccator eatenus per culpam nocet, quatenus sceleribus suis eam quodammodo in anima sua perimit, & præsentia illius se priuat. Ergo cùm bonum cui culpa nocet, sit æternum & omni alio bono maius & excellentius, æternum quoque & omnibus alijs maius debet esse supplicium, quod pro ea infligitur. *Sed sempiternus horror inhabitat.*

Ratio 6. S. August. Insuper homo conditus est ab omnipotenti manu Dei, vt summum & infinitũ bonum diligat S. Augustino teste, qui ait. *Deus fecit, hominem, vt summum bonum intelligeret, intelligẽdo amaret.* Ergo cùm natura sua ad æternũ bonum propendeat ad æternitatem quoque inclinatus est. Verùm quid egit damnatus, dum in hoc mundo vixit? Minimum & finitũ bonũ, summo & infinito anteposuit: dum illud amori & sequelę Dei, atq; glorię ipsius, qui est summum & infinitum bonum, ad quod natura inclinatus erat, prætulit: nam pro fragilibus, caducis ac momẽtaneis bonis adipiscendis, peccando & diuina mandata violando, summum

æternum-

æternumque bonum ſpernere non erubuit. Vt enim D. Auguſtin. ait *Peccatum eſt, ſpreto incõmutabili bono, rebus commutabilibus inhærere.* S. Auguſt. Cùm ergo in hanc ęternitatem, ad quam natura propendebat, peccauerit, iuſtè etiam debetur illi æterna pœna. *Sed ſempiternus horror inhabitat.*

Ratio 7. Præterea certiſſimum eſt damnatos in Inferno earundem rerum deſiderio flagrare, quibus in hac vita, ſumma cum voluptate fruiti fuêre. Et ex conſequenti, manere indeſinenter cum obſtinata voluntate ſua, in malis olim admiſſis, adeoq; Deum, punitorem ſuum, vehementer odiſſe, & illum blaſphemijs & maledictis imperere, iuxta illud Apocalypſ. *Mãducauerunt linguas ſuas præ dolore. & blaſphemauerunt Deum cæli, qui habet poteſtatem ſuper plagas.* Apoc. 16. Cũ ergo inceſſanter & perenniter maneant in voluntate pertinaces, proterui, blaſphemi, & rebelles Deo, iuſtè puniuntur æternis ſupplicijs. Nam, vti S. Hieronymus ait. S. Hierem. *Sicut pœnitentibus & veniam poſtulantibus Iudex debet miſericordiam præſtare, ita obſtinatis & cõtumacibus nullã debet veniam tribuere*: tales autem cùm ſint damnati: iuſtè quoque Deus nunquam illis culpam: & conſequenter nec pœnam remittit. *Sed ſempiternus horror inhabitat.*

Ratio 8. Adhæc peccatum in homine duo mala efficit: Primò conſtituit eum hoſtem & inimicum Dei, vt Deus per Eſaiam teſtatur. Eſa. 59. *Iniquitates veſtræ*, inquit, *diuiſerunt, inter me & vos.* Secundo, facit, vt nunquam ei poſſit reconciliari, ſine ope diuinæ gratiæ. Vnde Dauid. *Homo vadens & non rediens*, id eſt, homo quidem à Deo per peccatum recedit, ſed ſine gratię ipſius au- Pſal. 77.

 xilio

xilio ad eum reuerti nequit. Hāc gratiam, quæ teste Paulo Apostolo ad Ephesios, donum Dei est, non cogitur Deus homini conferre: sed pro voluntatis suæ beneplacito, eam largitur, vel nō largitur: Homo igitur peccando, exponit se manifesto periculo, nunquam adipiscendi hāc gratiam: quā si Deus ei non impertiretur, perpetuus illius hostis maneret. Iam verô damnatus ex hac vita, sine huius gratiæ consecutione discessit, manet ergo in perpetua Dei inimicitia. Perpetuo autem hosti, perenne debetur supplicium, Iustè igitur Deus æternis eū tormētis cruciat. *Sed sēpiternus horror inhabitat.*

Ratio 9. Insuper; ex magna vel parua alicuius rei efficiendæ obligatione, fit vt magnū vel paruum sit peccatū illius qui eā trāsgreditur: quia obligationes & trāsgressiones, inter se sunt proportionatæ Si obligatio parua est, paruū quoq; est peccatū; si magna, magnū; si maxima, grauissimū; si infinita, infinitū quoque est peccatū transgressoris. Nam quis dubitet, maius esse peccatum clerici, quam sæcularis, lasciuiæ & carnis vitijs dediti? quoniam maior est illius quàm huius ad castitatem obligatio. Et maius esse peccatum religiosi professi, quàm nouitij, si superiori immorigerus sit: eò quòd maior sit illius quàm huius ad obedientiam obligatio. Videtis ergo vt peccatum maius vel minus sit, id oriri ex maiori vel minori obligatione. Ex quo ita infero: Omnes Angeli & homines Deo seruire, eique in omnibus quæ iusserit, parere, obligati sunt. Atque hæc obligatio, non est certis finibus aut terminis circumscripta: si enim finita foret, posset inueniri aliquis adeo solicitus & perfectus in diuinis obsequijs

quijs, vt temporis longinquitate obligationi huic plenè ſatisfaceret: & ſatisfactione reddita, Deo deinceps obſtrictus non eſſet. Quod affirmare erroneum & hæreticum eſt: quia tanta eſt obligatio qua homines, angeli, & creaturæ omnes Deo obſtricti ſunt, vt in omnem æternitatem ea exolui nequeat. Vnde Chriſtus apud Lucam ait. *Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite ſerui inutiles ſumus.* Luc. 17. Obligatio igitur noſtra ad Deum eſt infinita. Quare non ſeruiendo ei totis viribus, & iuſſa illius non perficiendo, reos conſtituimus nos infiniti ſceleris, & conſequenter infiniti ſupplicij. Et quoniam damnati in Inferno propter ſcelera ſua inhabiles facti ſunt ad ſeruiendum Deo iuſſionibuſque illius, cui in immenſum obligati ſunt obtemperandum, idcirco iuſtè infinita tormenta patiuntur. *Sed ſempiternus horror inhabitat.*

Præterea quantò maior eſt perſona offenſa, Ratio 10. tantò maiorem punitionem meretur is qui offendit, quia grauior eſt culpa. Vt, qui colaphum infringit Regi, crimen admittit læſæ maieſtatis, & reus mortis efficitur: qui autem puero, vix pro iniuria reputatur. Similiter ſi ſubditum lædas, magnum eſt peccatum tuum, facis enim contra diuinum illud mandatum: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis.* Luca 3. Si officialem Regis maius: ſi aliquem ex familiaribus eius multò maius: ſi filium, maximũ: ſi ipſum denique Regem, ſummum. Ita, ſi clericum lædas magnum eſt ſcelus: ſi Abbatem maius: ſi Epiſcopum multo maius: ſi Patriarcham, maximum: ſi denique ſummum Pontificem, ſummum. Iam verò damnati, dum in præ-

ſenti vita degerent, DEVM omnibus his multo maiorem & excellentiorem læſerunt; quia ſceleribus ſuis eum quodammodo in ſemetipſis, quo ad futurum tempus, occiderunt. Ergo offenſa illorum grauiſſima eſt, quatenus in DEVM admiſſa fuit: & quoniam ille infinitus eſt, infinita quoque erit eorum offenſa, adeóque infinitis ſupplicijs vt minimum, *duratione*, (quemadmodum SS. Doctores loquuntur) iuſtè punienda. Rectè igitur ait S. Iob. *Sed ſempiternus horror inhabitat.*

Ratio 11. Adhæc, duo ſunt æterna, vnũ hominis, alterũ Dei. Æternũ hominis, eſt tota hæc præſens vita: æternũ Dei, eſt vita futura, ſemper durãs. Cũ ergo peccator, ſi de peccatis ſuis ante mortem non pœniteat, vitamq́; ſeriò corrigat, ſed vſq; ad vltimum ſpiritum in iniquitatibus ſuis hæreat, in ſuo æterno peccet: iuſtum eſt, vt is, (quo pœna proportione culpæ reſpondeat) in æterno Dei, id eſt, æterno tempore in futura vita puniatur: hoc enim idem eſt, ac ſi diceres: qui peccauit in æterno vitæ præſentis, puniri debet in æterno vitæ futuræ. *Sed ſempiternus horror inhabitat.*

Ratio 12. Addo rationem ex contrarijs deſumptam. Vitium & virtus ſunt contraria, ergo contrarios etiam producere debebunt effectus. *Contrariorum enim* (vti aiunt philoſophi) *cõtrariæ ſunt diſpoſitiones.* Si ergo præminm quo DEVS virtutem remuneratur, æternum eſt, æternum quoque debet eſſe ſupplicium, quo vitia caſtigantur: nam nota eſt omnibus propoſitio illa philoſophica. *Poſito vno contrariorum, ponitur & reliquum. Etſi reperitur vnum contrarium in natura, reperitur & reliquum.* Si extat nigrum, neceſsè

necesse est vt album quoque extet: si dulce, etiam amarum; si calidum, frigidum quoq; ipsius contrarium. Similiter si summa inuenitur fœlicitas, necessarium quoque est, vt summa inueniatur miseria: Et si fœlicitas vt summa sit, finem habere non debet: miseria etiam vt summa sit fine carere debebit; nam si fine aliquo terminaretur summa non esset. Ergo si in cęlis summa inuenitur fœlicitas, nullo vnquã fine terminanda: inuenietur quoq; in inferno summa miseria, nullis vnquã sæculis terminũ habitura. Et si æterna præmia, quæ bonis operib⁹ conferuntur, in cęlis existũt; necessariò quoq; perennia supplicia reprobis infligenda in inferno existent. Vt idcirco S. Iob rectè de illo dixerit. *Sed sempiternus horror inhabitat.* Iob 10.

Et vero quis est qui nesciat Dei magnitudinẽ non minus elucere debere in iustitia, quã in misericordia ipsius? Hoc autem non fieret si pœnæ inferni non essent perpetuæ; cùm è cõtrario, si perpetuæ forent, id maximè fieret. Quia quãtò maior & diuturnior est beatorum gloria & fœlicitas, tantò excellẽtius refulget Dei magnitudo in misericordia & redemptione illorum. Et quantò grauiora & diuturniora sunt supplicia reproborum, tantò clarius elucet Dei gloria & magnitudo in iustitia & damnatione illorum. Ratio 13.

Præterea quis est qui non videat, laudem Dei non fore perfectam & consummatam, si in omnem æternitatem, non æquè laudetur in supplicijs reproborum, quàm in fœlicitate iustorum? Idcirco diuinæ voluntatis est, vt quemadmodum perenniter misericordia sua in cęlis prædicatur, ita quoque æterno tempore iusti- Ratio 14.

re iustitia sua in inferno celebretur. Vt quemadmodum beati in cælis misericordiam suam, festiuo cantu atque tripudijs immortaliter extollunt: ita quoque damnati in ima inferni regione suspirijs, clamoribus, complorationibus & vlulatibus æternis per caliginosas illas cauernas resonantibus, iustitiam suam cõmendẽt. Notum est enim celebre illud philosophorum pronunciatum. *Opposita iuxta se posita, magis elucescunt.* Sic insignis albedo meliùs cognoscitur, si cum nigridine conferatur: sic harmoniæ musicæ excellentia, atq; in vocibus & cantu concordia, exactius percipitur, si cum alio discordi & dissono cantu cõponatur. Similiter dissonantia cantorum Infernalium iustitiam Dei collandantium, faciet, vt dulcior & suauior sit cælestium cantorũ symphonia, canticis suis misericordiam Dei perẽniter concelebrantium. Si ergo æterna in cælis est harmonia, necessarium est, vt æterna in inferno quoque dissonantia. Non auditis Dauidem id affirmantem? *Misericordiam*, inquit, *& iudicium cantabo tibi Domine.* Rectè igitur, ait S. Iob. *Sed sempiternus horror inhabitat.* Sed tempus est vt his rationibus aliquando finem imponam, si enim omnes percensere velim, dies me citius, quàm loquendi materia deficeret: finiam igitur, si vnam hanc tantum adiunxero.

Ratio decimaquinta. Magna accrescit mundo & cœlo pulchritudo atq; venustas, ex pœnarum Inferni æternitate, quæ deesset illis si æternæ non forent. Dicite, obsecro, quàm multi propter æternorum horũ suppliciorũ timorem peccata deserunt,

runt, vitam corrigunt, & ad Deum conuertuntur? Ex quo videtis quantus mundo accreſcat decor, quia implet illum hominibus pijs & probis. Quàm multi etiam, propter eorũdem tormentorum formidinem pręter peccata deſerta, & vitam in melius commutatam relictis terrenis, cœleſtia toto pectore inquirunt? mũdo & his quæ mundi ſunt ſpretis, ſolum Deum diligunt, cætera verò, quatenus ad Deum referuntur: & mortem obeuntes, ad cœleſtia regna demigrant? Ex quo liquidè cernitis, horũ ſuppliciorum ſalubrem metum, cœleſte regnum inſigni ornatu decorari: quia iuſtorum animabus illud implet, cœlitumque numerum adauget. Eximia igitur ratione S. Iob permotus, de ſeptima fellis proprietate ait. *Sed ſempiternus horror inhabitat.* O quàm amara eſt iſta fellis conditio, quòd nunquam cruciatus infœlicium damnatorum finem accipiant. Magna profecto eſt ſtultitia & veſania noſtra qui propter bona caduca, ad mala ſempiterna, propter fugaces carnis voluptates, ad manſura gehennæ incendia, propter huius ſæculi vanitates, quàm citiſsimè prætereuntes, ad væ Inferni nullis vnquam ſæculis finem habiturum, migrare nos pertimeſcimus. *Momentaneum*, ait S. Gregorius, *& leue eſt quod delectat, æternum quod cruciat.* Non aduertitis quam ob cauſam diues ille epulo hodierni Euangelij, ad Infernum ſempiternæ miſeriæ regionem tranſierit? non aliam ob cauſam, quàm quòd fuerit in veſtitu, immoderatus & vanus: *Induebatur purpura & byſſo*, crapulæ, ciborum luxui, carniſque voluptatibus deditus: *Epulabatur*

que-

quotidie splendide. Auarus & immisericors in pauperes adeò vt mendico & fame laboranti Lazaro, micas etiam de mensa sua decidentes negauerit. *Quas nemo illi dabat.* Has ob causas, atque vitia hęc momentanea, quibus breui admodum tempore gauisus fuit : defunctus è vestigio ad tartaream regioné, æterna ibi supplicia immenso tempore toleraturus, descendit. *Mortuus est diues, & sepultus est in Inferno.*

IV.

O Quàm pręclarum in re proposita, mysterium, auditores, suppeditat nobis benedictio illa magni Patriarchæ Iacob, quando Iosephi filijs, Manassi & Ephraim, quemadmodum in sacra Genesi legimus, benedixit. Etenim postquam Ioseph filios suos ad Patrem senem, iamque morti appropinquantem vt ab eo benedictionem consequerentur adduxisset, Manassem primogenitum ad dexteram illius & Ephraim secundò genitum ad sinistram illius collocauit, vt dextra manu maiori, & sinistra minori benediceret, eò quòd ei hoc ita rationi consentaneum esse videretur. At Patriarcha Iacob contra fecit, cui quamuis extrinsecus oculi calligarent, attamen intrinsecus erat nimis quàm oculatus. Nam benedicturus eis, brachia complicãs manus in crucis modum composuit, quo factum est, vt is qui ad dexteram constitutus erat, sinistræ; & qui ad sinistram constitutus erat, dexteræ assisteret. Quod Ioseph intuens, secumque reputans aliter fieri oportere, dextram manum Patris, tẽtabat à capite Ephraim in caput Manasse primoge-

Eleganti figura docet, eos qui in hac vita voluptatibus & gaudijs affluunt in altera cruciandos esse & contra.

mogeniti transferre: dicens ad Patrem. *Non ita conuenit pater, quia hic eſt primogenitus, pone dexteram tuam ſuper caput eius.* Sed perſtitit Iacob in ſententia, & manum dexteram ſupra caput Ephraim minoris filij, & manum ſiniſtram ſupra caput Manaſſe filij natu maioris firmiter retinens ait. *Scio fili mi, ſcio, & iſte quidem erit in populos & multiplicabitur, ſed frater eius minor, maior erit illi, & ſemen illius creſcet in gentes.* Adeò vt nulla diligentia, nec vllis precibus Ioſeph valuerit patrem à ſententia deducere, atq; efficere, vt is qui ad ſiniſtrã patris conſiſtebat, dexteram, & qui ad dexteram conſiſtebat, ſiniſtram teneret. O inſigne myſterium, quod confundit omnes qui in hoc mundo bonis terrenis affluentes fœlices ſe eſſe reputant: & conſolatur eos, qui in præſenti vita miſerijs & afflictionibus abundant. Attendite diligenter ad ſacræ huius hiſtoriæ ſacramenta.

Magnus Patriarcha Iacob, Dei, & Ioſeph filius eius, mũdi: quem ille fecit & procreauit, figuram gerit. Manaſſes maior natu filius, hominem peccatorem: Ephraim, minor, iuſtum deſignat. Quorum ille, maior natu eſt, quia poſt primi hominis lapſum homo prius eſt peccator, quàm iuſtus: quoniam in peccatis concipitur. Manus dextra proſperitatem: ſiniſtra aduerſitatem denotat. Cæterùm quid facit Ioſephus, id eſt, mundus? dextram manuum peccatori, ſiniſtram iuſto imponit: quia illum, qui in hac vita, diuitijs, honoribus, commodis, voluptatibus, & gaudijs terrenis affluit, fœlicem, atque ad dexteram Dei conſtitutum eſſe reputat. Contra verò, eum qui in egeſtate,

afflictionibus & ærumnis vitam transigit, infœlicem, atque ad sinistram Dei collocatum esse censet: existimatque eum qui in præsenti vita bonis abundat, in futura etiam abundaturum: & qui malis in hoc mundo premitur, in futuro etiam sæculo malis omnibus oppressũ iri. Sed errore ingenti ducitur: Deus enim aliud fert iudicium. Ille manus commutat, & facit, vt is qui in hac vita ad dexteram prosperitatis & voluptatum consistit, in altera, ad sinistram aduersitatis & miseriarum collocetur: & qui in hac vita sinistram afflictionum, & ærumnarum tenet, in altera ad dexteram prosperitatis & gaudiorum cõstituatur: huic benedictionem dextera manu impertitur; quia eum cœlestis gloriæ consortem efficit: alteri verò maledictionem sinistra imprecatur, quia ad infernum, sempiternæ miseriæ regioné ablegat. Vnde S. Iob. *Ducunt in bonis dies suos & in puncto ad inferna descendunt.* Et S. Ioannes in Apocal. *Quantum glorificauit se, & in delitijs fuit: tantum date illi tormentum, & luctum.* O infœlices igitur eos, qui à mundo beati esse censentur: quia ad æterna gehennæ incendia festinant. O ter quaterque beatos, qui ab hoc mundo nihili reputantur: quia æternis in futura vita gaudijs perfruentur. Quod ne quispiam in dubium vocare possit, proponitur nobis huius rei luculentum in hodierno Euãgelio exemplum in diuite Epulone.

Exemplo epulonis & Lazari id ostenditur.

Illum enim ad dexteram prosperitatis constitutum, & à mundo fœlicé reputatum fuisse, testatur Euangelium his verbis. *Erat quidem diues, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè.* Quid amplius deside-

rare

rare poterat. Maxima quæ homo in hac vita concupiſcere poteſt bona, ſunt hæc. Longo tẽpore viuere, diuitijs abundare, iuuenem, ſanum, florentem & honoratum eſſe, multorum obſequijs ſtipari, ſplendidè veſtiri, opiparis quotidie conuiuijs ſe oblectare. At hæc omnia fuerunt in diuite hoc Epulone. Quòd longo tempore in fœlicitate ac rerum omnium proſperitate vixerit, innuitur hoc verbo *Erat*. Quòd opibus abũdauerit, docetur altero verbo *diues*. Quòd ſplendidis ac Regijs veſtimentis vſus fuerit: oſtenditur iſtis verbis. *Induebatur purpura & byſſo*. Quòd indies lautis ferculis corpus ſaginauerit, ex ſequentibus patet cùm dicitur. *Et epulabatur quotidie ſplendidè*. Ex his autem cætera ſequuntur, quòd iuuenis & ſanus fuerit: non enim potuiſſet ſtomachus aliquis infirmæ digeſtionis, quali plerumque ſenes, propter natiui caloris defectum prædicti ſunt, quotidiè tantam ciborum varietatem & copiam digerere: & tamen, *epulabatur quotidie ſplendidè*. Quòd magni æſtimatus, multiſque ſeruorum ad nutum paratorum obſequijs ſtipatus fuerit, ex eo liquet, quòd nemo ex ſeruis qui Dominum ſuum auarum & in pauperes crudelem atque immiſericordem eſſe nouerant, pauperi Lazaro, compaſſus fuerit, vel alimentorum quippiam ſuppeditauerit: iuxta illud. *Et nemo illi dabat*. Quid autem poteſt homo in mundo hoc amplius ſperare? SI DEVS illum conſtituiſſet inſtrumentum in quo vniuerſam liberalitatem ſuam in præſenti vita declararet, plus ei conferrè nequiuiſſet: quia nec homo plus aliquid in hac vita deſiderare poteſt. Nunquid non auditores, hic ad dexte-

ram prosperitatis verè vobis à Deo constitutus fuisse videtur?

Porrò intuemini & alium in hac vita ad sinistram aduersitatis positum. *Erat*, inquit. S. Scriptura, *quidam mendicus, qui iacebat ad ianuam diuitis, vlceribus plenus, qui cupiebat saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis & nemo illi dabat?* Et quæ maior miseria quàm hæc; Etenim longo tempore vixit. *Erat.* At vixit in miseria & mendicitate, *mendicus*. Iam verò quis est qui ignoret, vitám lõgam illi ingratam & iniucundam esse, qui certus est se semper infœlicem esse victurum? Ad mẽdicitatem accedebat, infirmitas adeò grauis, vt assiduò decumberet. *Iacebat.* Quin & lectus & habitatio deerat. *Ad ianuam.* Adde quòd nudus & vlceribus deformatus fuerit. *Vlceribus plenus.* Insuper & vehementi fame propemodum necabatur, nec impetrare poterat, vt vel de micis à mensa diuitis cadentibus, famem expleret. *Cupiebat saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis.* Denique, quòd omnes miserias superabat, nemo erat, qui ei vel minimum cõpateretur. *Et nemo illi dabat.* Ecquæ autem maior calamitas, quàm in medio miseriarum versari, & neminem inuenire, qui commiserationis affectu tangatur? O infœlicitatem summam, mundanæ fœlicitati directè oppositam. O quanta inter Epulonem & Lazarum est diuersitas, imò contrarietas.

Luc. 16.

Ille vixit longo tempore fœlix, hic miser, ille diues, hic pauper, ille sanus, hic infirmus; ille multorum obsequijs honoratus, hic ab omnibus derelictus, ille purpura, hic vlceribus circumdatus, ille ad mensam accumbens, hic in nu-

in nuda humo iacens, ille in aula domus, hic ante fores; ille omnibus delitijs & voluptatibus affluens, hic etiam micis de mensa cadentibus egens; ille seruorum nutus Domini obseruantium multitudine cinctus, hic in summis miserijs, omni ope carens, nec vel vnum inueniens, à quo inter tot calamitates aliquã acciperet consolationem.

O magnam epulonis fœlicitatem. O summã Lazari miseriam. Sed hic nobis subsistendum non est. Vidistis enim hactenus illum quidem ad dexteram, hunc verò ad sinistram constitutum, restat vt intueamini fortunę ac sortis immutationem, Deumq; manus commutantem, & illum quidem à dextera prosperitatis ad sinistram aduersitatis transferentem. *Mortuus est*, inquiunt sacræ literæ, *diues, & sepultus est in inferno*: quid verò ibi pœnarum sustulerit, testatur illa vox: *Crucior in hac flamma.* Hunc verò à sinistra aduersitatis & miseriæ, ad dexteram prosperitatis collocantem. *Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ* Huius autem diuersitatis & repentinæ mutationis à summa fœlicitate & rerum affluentia ad summam miseriam & egestatem: & contra, causam reddit Abraham Patriarcha dicens: *Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* Quemadmodum autem Ioseph, nec precibus, nec manibus efficere potuit, vt manum patris dexteram à capite minoris filij, ad caput primogeniti: & manum sinistram à capite maioris natu filij, ad caput minoris transferret: Ita nullis nec precibus, nec operibus fieri poterit, vt is

qui in altera vita ad dexteram ſupernę fœlicitatis conſtitutus eſt, ad ſiniſtram inferni pergat, vel qui ad ſiniſtram inferni collocatus eſt, ad dexteram cęleſtis Paradiſi tranſmigret. Audite Abrahamum Patriarcham id affirmãtem. *Et in omnibus his, inter vos & nos, chaos magnum firmatum eſt, vt hi, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poßint, neque inde huc tranſmeare.* Cur autem hoc? Quia in Inferno, *ſempiternus horror inhabitat.*

V.

Qualis inter conſolatum & afflictum in præſenti & futura vita ſit differentia. Eleganti ſimilitudine id oſtendit.

NVnquid exploratum vobis eſt, auditores quæ ſit differentia in vita & morte inter diuitem & pauperem? conſolatum & afflictũ? in delitijs, & miſerijs ætatem tranſigentem? Eadem planè, quæ inter ſuperbum Falconem, & humilem Gallinam. Dum Falco in viuis eſt magni æſtimatur, delicatè nutritur, magna in eo educando cura & diligentia adhibetur: principum & nobilium aulas inhabitat, manibuſque eorum ad oſtentationem circumgeſtatur. O inſignem auis huius excellentiam. Et nihilominus capiti eius inſertus eſt pileolus, oculos eius obuelans; & pedibus illigati funiculi quibus retineatur. Et quamuis Dominus ei nõnunquam recreationis cauſa libertatem auolandi, prædamque captandi permittit, attamen nouit remedium, quo illum ad ſe reuocet, nimirum demonſtrando illi eſcam, ſeu carnes quibus libenter veſcitur.

Gallina vero è contrario, dum in vita eſt, parui æſtimatur, nec magna cum accuratione nutritur, ſed huc illucque curſitans, victũ pedibus & ore quærit: benè ſecum agi putat, ſi de

micis,

micis, mēſq; Domini ſuperfluētibus reficiatur. Nō in aulis loco ſublimi, ſed in villis loco humili conſtituitur: nec manibus circumgeſtatur, ſed ſi propius accedat, repellitur. O humilitatem & abiectionem huius vilis animantis! Nihilominus eadē ſoluta ac libera obambulat, nullis funiculis conſtricta aut impedita, nec oculis vllo velamine obductis. Hæ ſunt Falconis & Gallinæ dum vita fruūtur conditiones. At longè aliæ ſunt in morte, his ferè oppoſitę: quia tunc ſortem commutant. Nam ille mortuus actutum ex aula remouetur, & in fimetū, aut locum alium immundiſſimum abijcitur, vt vermium eſca & cibus fiat: hęc verò in morte à villa & humili loco, ad culinas magnatum trāsfertur, & à famulis in argētea lance principū virorū aulis, ad menſæ delitias infertur.

O elegantē ſimilitudinem &, diſcrepantiā, quæ eſt inter diuitem & egenum; conſolatum & afflictum, in delitijs & in miſerijs viuētem, pulchrè adumbrantem. Ille enim ſimilis eſt Falconi ſuperbo, hic autem Gallinæ abiectæ. Ille in pallatijs & domibus nobilium commoratur, multorum miniſterijs vtitur, lautis cibarijs paſcitur, mūdo rebúſq; illius ad placitū fruitur & oblectatur: hic autē in terra degit, in caſis atque tugurijs abiectiſſimis, afflictus, mœſtus, omni carens auxilio, omniū rerū inopia laborans, nec vnquā famelicū ventrem ſicco pane, plenè ſatiare valens, ſed huc illucq; curſitās vt partē aliquā panis quæ diuitis alicuius menſæ ſuper fuerit, quærat. Ille pileolum in capite habet oculos obuelantem: id eſt propriā malitiā ſeu ignorantiā, ambos oculos animæ illius intellectū videlicet ac volūtatē,

vt non cognoſcant nec diligat Deũ, excœcãtẽ. Nimis enim clarũ & apertũ eſt, tales homines plurimũ Dei & regni cęleſtis obliuiſci, nõ æterna, ſed caduca bona quærere: non Deum, ſed laſciuiam & carnis vitia diligere. Ijdem mille peccatorum funiculis, pedibus affectionũ ipſorũ adhærentibus cõſtricti ſunt. Et quãuis dæmon, qui taliũ hominum verus Dominus eſt, aliquando permittat eis libertatem, prædam rerum ſpiritualium captãdi, hoc eſt, miſſas & conciones audiẽdi, confitendi, & cõmunicandi, attamen habet cibum quo poſſit illos ad ſe, & ad peccatum, quotieſcunque libet, reuocare; nimirum, carnis, ſenſuum, aliarumque mundi vanitatum oblectationes. At pauper & afflictus hoc pileolo malitiæ & ignorantiæ, oculos animæ obuelante caret: nam induci nequit, vt DEVM non amet, cæleſtia, plus quàm terrena non diligat, ęterna caducis non præferat. Nullis etiam peccatorum vinculis, pedes affectuum eius illigantibus impeditur. Cibo ſpirituali præterea nutritur, nec diabolus vllam habet voluptatem, aut cibum, quem ei obijcere, cuiuſque dulcedine illum ad ſe trahere valeat. Quid vobis videtur, auditores, de his conditionibus, vtriuſque ſtatus hominis in præſenti vita, planè inter ſe contrarijs? Aduertite nunc, quomodo ſortes ſuas in morte commutent.

Diues ille commoditatibus & conſolatiũculis terrenis affluens, voluptatibuſque carnis immerſus, poſteaquam mortem obierit, omnibus bonis, quibus in hac vita frui ſolitus erat, ſpoliatur, atque extra domum in locum fœtidiſſimum & immũdiſſimum, id eſt, in infernum

fernum proijcitur, vt mortis ac dæmonum cibus fiat, iuxta illud. *Et mors depascet eos.* Pauper autem, multis in hac vita afflictionibus & ærumnis exagitatus, post animam in morte redditam, ab Angelis Dei ministris à terra tollitur, & ad fœlicissimam Paradisi aulam, ante conspectum Dei illic regnantis transfertur. Cuius in hodierno Euangelio luculentum nobis exemplum proponitur. *Psal. 48.*

Illic enim videtis Falconem superbum in hac vita, sumptuosas aulas inhabitantem, benè pastum, multorumque ministerijs vtētem. *Erat quidam diues, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidiè splendidè.* Videtis præterea humilem gallinum in terra iacentem, & micas de mensa cadentes, quibus satiaretur, quærentem: *Erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam diuitis, & cupiebat saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis.* Cernitis posthæc quam diuersa fuerit sors eorum in morte. Ille enim in immunditias internæ damnatorum regionis coniectus fuit: *Mortuus est diues, & sepultus est in inferno:* vt esset dæmonum, gehennæ ac tormentorum cibus: *Quia crucior in hac flamma.* hic autem ab Angelis summi Regis ministris in Paradisum, vt ibi sempiterna gloria & honore coronaretur, delatus fuit. *Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Hic igitur ad sempiternæ gloriæ gaudijs perfruendum, iste ad æterna gehennæ incendia, miseriasque nunquam desituras patiendum, transijt. *Sed sempiternus horror inhabitat.* Tecum igitur, ô Christiane diligenter expende, quòd propter mundi & carnis voluptates, *Luc. 21.* *Ibid.* *Ibid.* *Ibid.*

quàm citissimè transeuntes, ad æternum inferni væ nullis vnquam sæculis finiédum pergitur: *Momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat.* Quamobrem *fer: repone tibi.*

Audiant mundi huius amatores, vanitatumque illius sectatores, quid S. Iob de ijs qui terrenis voluptatibus & gaudijs implicati sunt, dicat. *Ad modicum*, inquit, *eleuati sunt, & non sustinent, & humiliabuntur, & auferentur, & sicut summitates spicarum conterentur.* Quibus verbis declarat, quid habeant in præsenti vita, & quid in altera consecuturi sunt. Quid in præsenti vita habeant, docet his verbis. *Ad modicum eleuati sunt, & non sustinent.* Quid autem in futura consecuturi sint ostendit verbis sequentibus. *Humiliabuntur, & auferentur, & sicut summitates spicarum conterentur* In hac vita terreni homines & carnales, quando appetitionum suarum effectum consequuntur, animo ad tantam lætitiam efferuntur; vt semetipsos vix capere valeant. Veniamus ad vsum.

Qui in hac gaudet & honoratus est, in altera miser & infœlix erit. Iob. 24.

Quotidiana experientia cernimus hominem superbum, quando desideratum honorem & expetitas dignitates obtinet, extolli in maximam animi lætitiam, eamque forinsecus in vultu & actionibus declarare. Hominem lasciuum, si effrænatarum libidinum suarum, & voluptatum concupitarum compos fiat, in summum mentis iubilum erigi. Hominem auarum, si magnum pecuniæ aceruum nãciscatur, insolita cordis exultatione sustolli. Similiter iracundum & vindictæ cupidum, si de inimicis se vltus, & humano sanguine exaturatus fuerit, Et gulosum, si conuiuijs & delicatis epulis intersit. Et hypocritam, si laudibus ornetur,

ornetur, & pro sancto ab omnibus habeatur. Atque vt paucis absoluam, ita videmus omnes alios peccatores, quando prauorum appetituum, & inaniũ desideriorum suorum adimpletionem consequũtur, insolito gaudio efferri. Adhoc illorum gaudium breue est: modicoq; tempore, si ad æternitatem conferatur, perdurat, imò statim in fumum abit. *Momentaneum est quod delectat.* Quamobrem S. Iob breuitatem: qua in præsenti, hisce gaudijs fruuntur, secum considerans, rectè ait. *Ad modicum eleuati sunt, & non sustinent.* Cui sententiæ consonat dictum illud Dauidis citharædi. *Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani. Et transiui & ecce non erat, & quæsiui eum & non est inuentus locus eius.* Et illud S. Iacobi. *Quæ est enim vita nostra? vapor est ad modicũ apparens, & deinceps exterminabitur.* Cæterum parum esset incommodi, si tantum breuissimo tempore hæc gaudia transirent; verùm accedit & illud, quod maximum est, quòd nimirum propter fugaces & transitorias hasce vanitates, sequantur illos æterna supplicia. Idcirco S. Iob addit, *Humiliabuntur, & auferentur, & sicut summitates spicarum conterentur.* Quibus verbis tria damna quæ inuoluent ipsos in altera vita demonstrantur. Primum est, quod humiliandi sint. *Humiliabuntur.* Secundum, quòd tollẽdi sint. *Et auferentur.* Tertium, quòd sicut spicarum summitates confringendi sint. *Et sicut summitates spicarum conterentur.* Primum damnum respicit locum: secundum respicit suppliciorum diuersitatem: tertium respicit eorundem qualitatem. *Humiliabuntur,* hoc est primum damnum respectu loci; quòd adeò

Psal. 36.

Iacob. 4

Iob. 24.

adeò humiliandi ſint, vt nequeant in locum magis demiſſum ac profundum deſcendere: quia detrahentur vſque ad centrum terræ, in quo eſt Infernus. Hinc de peccatore legimus.
Eſa.14. *Ad infernum detraheris, in profundum laci. Et auferentur* hoc eſt ſecundum damnum reſpectu diuerſitatis tormentorum; quòd ex vno tormento tollendi, & in aliud conijciendi ſint, ex igne in glaciem: & contra ex glacie in ignem vti ſupra diximus. *Et ſicut ſummitates ſpicarum conterentur*: hoc eſt tertium damnum reſpectu qualitatis tormentorum, quòd ab illis conterendi ſint, non aliter atque ſpicæ in horreo ab ictibus & flagellis. Cæterum aduertite, quòd non dicat, ſicut ſpicæ, ſed ſicut ſummitates ſpicarum: quia magna eſt differentia inter ſpicas & earum ſummitates. Quia in ſpicis ſunt quædam thecæ, ſiue folliculi, in quibus quamdiu in agro nondum demeſſæ conſiſtunt, grana, quaſi carcere quodam incluſa retinentur, attamen ita coniuncta & tam eleganti ordine diſpoſita, vt aſpectu mirabile ſit. Poſteaquam verò ex agris demeſſæ & in horrea conuectæ fuerint, granum, etiam violenter excuſſum, purum nihilominus & pulchrum foras prodit, atque in granarium, ibi ad vſum conſeruandum, infertur. Summitates vero ſpicarum, dum in agris conſiſtunt, à ſe inuicem nullo ordine ſunt diuiſæ, & tangentem aculeis ſuis pungũti demeſſę verò & in horrea illatę, dum granum excutitur, illæ rumpuntur & conteruntur, nec alteri vſui deſeruiunt, quam vt in ignem aut fimetum aliquod immundum proijciantur.

O præclarum ſymbolum, bonorum & ma-

lorum differentiam oſtendens. Spicæ, bonos, ſummitates vero ſpicarum, malos figurant. Nã probi & iuſti homines, quamuis dum in terris viuunt, non aliter atq; granum in thecis, mũdi huius carcere incluſi maneant, quia præſentem vitam pro carcere habent: attamen inter ſeſe, & cum omnibus hominibus per pacem & charitatem coniuncti, & eleganti ordine diſpoſiti ſunt: Et dum ex hoc mundo tolluntur, grauibus quidem infirmitatibus & doloribus flagellantur, & concutiuntur, ſed mundi & puri exeunt, atque ab Angelis in cœleſte granarium, æterno tempore illic conſeruandi inferuntur. At improbi & peccatores ſummitatibus ſpicarum ſimiles ſunt, quia dum in agro mundi huius inter viuos degunt, non exiſtimant ſe in carcere, ſed libertate viuere. Sunt inter ſe diuiſi, quia nulla inter eos pax & concordia viget. *Non eſt pax impijs, dicit Dominus.* Sine ordine ſunt, quia viuunt extra ordinem diuinorum mandatorum, & in appetitionibus ac deſiderijs ſuis inordinati ſunt. Pungũt, quia flocci faciunt offendere & irritare proximum. Dum verò è mundo tolluntur, à flagellis & concuſsionibus infirmitatũ rumpuntur, ac conteruntur per impatiẽtiam & animi deſperationem: nec ad aliud vtiles ſunt, quàm vt in immundam Inferni voraginem & ardẽtiſſima gehennæ incendia proijciantur. Huius diuerſitatis exemplum ſuppeditat nobis Chriſtus in hodierno Euangelio.

Mendicus Lazarus erat, dum viueret, veluti granum in ſpica, in paſsionibus ſuis temperatus, & in diuinorum mandatorum obſeruantia ordinatus. At in morte veluti granum, flagellis

gellis infirmitatum & miseriarum: excussus, mundior & purgatior exijt, & ab Angelis in granarium cœlestis Paradisi, vt ibi simul cum
Luc.21 electis omnibus perenniter cõseruaretur, delatus fuit. Audite Euangelium. *Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* At diues epulo, erat, dum viueret, instar summitatum spicarum, ab alijs diuisus, propter superbiam. *Induebatur purpura & bysso.* Inordinatus in victu, quia quotidianis epulis & commessationibus indulgebat. *Epulabatur quotidiè splendidè* Pungẽs, quia in pauperes durus & crudelis, vtpote, qui pauperem Lazarum fame enecari passus est, qua crudelitate non modò illum pupugit, sed etiam quodammodo peremit: iuxta illud. *Si non pauisti, occidisti.* Et tamen. *Nemo illi* quicquam *dabat.* In morte autem concussus quidem flagris infirmitatum, sed propter desperationem prorsus confractus, & inutilis redditus, ideoque in immundam inferni foueam, & æternos ignes, in quibus, sine sui consumptione perenniter ardeat, coniectus fuit. Vultis eum videre abiectum in hanc foueam? Audite Euangeli-
Iob.24. um. *Mortuus est diues, & sepultus est in Inferno.* Vultis & clamorem eius in sempiternis hisce incendijs percipere? *Crucior in hac flamma.* Rectè igitur S. Iob de mundanis, carnalibus, & impijs hominibus loquens, non inquit *sicut spicæ*, sed ait, *Sicut summitates spicarum conterentur.* O Christiane vide an spica sis, an verò summitas spicæ: iustus, an peccator. Si iustus es. cum Lazaro in cœleste granarium inferêris. Si peccator, cum Epulone in profundos
Iob.10. inferni hiatus præcipitaberis; vbi, *sempiternus horror*

horror inhabitat. Vt autem vitam corrigere & ſpica, id eſt, iuſtus effici atque in Paradiſo collocari valeas, *Fel repone tibi.*

Porrò accipite quid Moyſes, de reprobis, propter ſcelera ſua ad infernum deſcendentibus loquens, dicat: *Submerſi ſunt*, ait, *quaſi plũbum in aquis vehementibus.* Tormenta Inferni, figuratè nominat aquas vehementes, *In aquis vehementibus.* Quia quemadmodum ſæua maris tempeſtas, eos, qui in mare corruerint, ſubito inuoluit, & abſorbet ſine vlla ſpe euaſionis. Ita etiam inferni ſupplicia, furibundo mari ſimilia, reprobos, qui in ea præcipitantur, in ictu oculi abſorbent, ſine vlla ſpe ſalutis. Addit quòd peccatores inſtar plumbi in aquas ſuppliciorum infernalium demergendi ſint. *Submerſi ſunt quaſi plumbum.* O præclaram metaphoram.

Exod. 15.

Peccatores plumbo aſſimilantur & quare.

Plumbum eſt metallum, cæteris omnibus magis tingens & maculãs. Ita etiam peccatores malo ſuo exemplo, omnes ſecum conuerſantes, tingunt & commaculant, Plumbum eſt grauiſſimum, ideoque è ſuperiori loco ad inferiorem proiectum in momento ad centrum delabitur. Ita etiam homines improbi, propter grauitatem, qua ex hoc mundo peccatis onuſti diſcedentes, præditi ſunt, in momento ad centrum & ad profunda inferni delabuntur, iuxta illud *Et in puncto ad inferna deſcendunt.* Rectè igitur ait Moyſes. *Quaſi plumbum in aquis vehementibus.* Accipite & aliam huius ſimilitudinis rationem. Plinius in hiſtoria ſua naturali dicit, plumbum ab argento aqua bulliente hoc pacto ſeparari. Aſſumitur terra illa mineralis, plumbum & argẽtum ſimul mixtum

Iob. 21.
Exod. 15.

tum continens, & conijcitur in amplissimum cacabum aquæ bulliẽtis, vbi posteaquam percocta fuerit, pars grauior & vilior fundum petit, & hęc est plumbum nigrum atq; deforme: pars verô leuior & nobilior ad superiora conscendit, in summitate natans: atq; hæc est argentum splendens ac speciosum. O insigne symbolum iusti & peccatoris.

Humanum genus, auditores, est instar terræ mineralis, complectens in se duo hominum genera, peccatorem & iustum, iuxta illud S. Iob. *Ecce me, sicut te, fecit DEVS, & de eodem luto ego quoque formatus sum.* Peccator est plũbum, iustus verò argentum. *Argentum electum,* inquit sapiens, *lingua iusti.* Dum in terris viuimus, permixtus est peccator cum iusto, reprobus cum electo, zizania cum tritico. Verùm quid facit Deus, supremus artifex, vt vnũ ab altero separet? In hora mortis, conijcit eos in lectum veluti in amplum quendam cacabũ, ibique facit eos bullire, grauibus infirmitatibus, & febribus ardentibus: animam exhalantes igne ardentium febrium, aliarumque infirmitatum, plenè excocti sunt. Tum verò argentum rutilans & splendens, id est, iustus in sublime ascendit, & tam altè sustollitur, vt ad Dei conspectum vsque perueniat. Nam Salomone attestante, *qui operatur iustitiam ipse exaltabitur.* At plumbum nigrum ac deforme, id est, peccator, fundum petit, nam vsq; ad imam damnatorum regionem delabitur. Ad hoc igitur Moyses alludens, rectè ait de reprobis. *Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus* id est, bullientibus infirmitate ac morte.

En præstò est nobis in hodierno Euangelio, plum-

Iob. 33.
Prou. 10.
Eccles. 20.
Exod. 15.

plumbum nigrũ ac deforme, diues epulo, qui mortuus è vestigio fundum petijt, & in ima vsque tartareæ regionis domicilia lapsus est. *Mortuus est diues, & sepultus est in inferno.* Et *Luc. 21.* argentum lucidum ac purum, mendicus Lazarus, qui mortuus superiora petijt, & tam sublimiter ascendit, vt ad cælum vsq; pertigerit. *Ibid.* *Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Hic ascẽdit, vt Deo perenniter frueretur; ille descendit, vt sempiterna diaboli societate vteretur in Inferno, quem *sempiternus horror inhabitat.*

O Christiane; considera tecum diligenter; *Momentaneum esse quod delectat, æternum quod cruciat,* Ideoque, *fel repone tibi.*

VI.

Homo iustus in morte ad cælum peccator ad infernum migrat.

AVscultate, quid Ecclesiasticus; de hac inter iustum & improbum diuersitate dicat. *Vbi,* inquit, *ceciderit lignum siue ad austrum, siue ad aquilonem ibi erit,* Hìc per lignum, non dubium est, quin homo intelligendus sit. Per austrum, qui calidus est, intelligitur Paradisus, quem summus calor charitatis afflat. *Eccl. 11.* *Dominus ab austro veniet.* *Hab. 3.* Per aquilonẽ verò horridum & frigidum, Infernus omnia destruens & consumens. *Hierem. 1.* *Ab aquilone pandetur omne malum.* Notate. Deus in morte, infirmitatis & dolorum securi, amputat arborem siue lignũ, id est, hominem. Qui bonus & iustus est, cadit in austrum cælestis Paradisi, vt illic æterno tempore quiescat: qui malus & peccator est *Eccles. 11.* cadit in Aquilionem inferni, vt eum perenniter incolat: ideoque verissimum est illud, *vbi ceciderit lignum siue ad austrum siue ad aquilonẽ*

ibi erit. At cur quæso sacræ literæ, de hominis ad austrum, vel aquilonem casu loquentes, eũ appellant lignum, & non potius ferrum, lapidem vel aliud quid, quod ad casum promptum & facilè sit. Id auditores, eam ob rem faciunt, vt innuant nobis insigne quoddã mysterium, dignum quod à nobis attentè examinetur & perpendatur. Attendite. Quemadmodũ ex arboris, dum adhuc terræ inhæret, & radicibus suis nititur, inclinatione cognosci potest, quã in partem, si amputetur casura sit. Ita quoque ex hominis viuentis inclinatione animaduerti potest, quem in locum posteaquam in morte amputatus & è mundo sublatus fuerit, migraturus sit. Auetisne, fratres mei, intelligere quo quisque post animam redditam, an ad infernum an verò ad cœlũ perrecturus sit? Modus non est difficilis. Agricolam seu arborum cæsorem imitamini, & facilimè id cognoscetis. Ille quando arborem amputaturus est, statim nouit discernere, quam in partẽ prolapsura sit, nec vnquam fallitur. Nam si ad austrũ videat illam propendere, certò nouit versus istam partem illam esse casuram: sin autem ad Aquilonem, & illuc eam casuram esse clarè intelligit. Ita & vos cùm videritis hominem probum ac religiosum, virtutum ac bonorum operũ exercitijs insistentem, & verum Christianum moribus exprimentem, non dubium est, quin ad austrum propendeat: ideoque certi esse potestis, illum, quando ex hac vita amputatus & sublatus fuerit, ad austrum, id est, in Paradisum casurum esse. Contra verò cùm videritis, hominem improbum, malè agentẽ, iuxta sensuum & carnis appetitiones vitam institu-

Qui ad infernum qui verò ad cælum migrent vnde poßit cognosci, elegãti ostendit similitudine.

instituentem, nemini ambiguum esse potest quòd ad Aquilonem inclinatus sit: ideoq; securè affirmare valetis, eum, quando securi infirmitatis à Deo amputatus fuerit, ad Aquilonem, id est, in Infernum casurum esse. O præclaram regulam, qua discerni possunt electi à reprobis, ij qui ad cælum scandunt, ab ijs qui ad infernum migrant.

O Christiane si vitijs immersus es, si sceleratas actiones moliris, si prauis cupiditatibus, desiderijs, & cogitationibus æstuas, procul dubio ad infernum propendes, adeoque certus esse potes, si inclinationem hanc non corrigas, quòd aliquando sine vlla hæsitatione in Infernum prolapsurus sis. At si virtuti studes, bonis cogitationibus inhæres, præclaras actiones machinaris, dubium non est, quin ad cælum propendeas. Quarè si ita permanseris, securus esse potes, te aliquando ad superna conscēsurum Aduertis igitur ô Christiane, quàm singulari cum mysterio, sacræ literæ, de casu hominis loquentes eum potiùs lignum appellant, quàm aliud aliquid, quod ad lapsum facilè & pronum est: eò quòd, quando amputatur, quamcunque in partem propendet, in eam cadat. Verumenimuero parum esset, si tantummodo ad austrum vel aquilonem, in cælū puta, vel infernum prolaberetur, nisi etiam longo tempore illic ei manēdum foret: quòd maximè nobis considerandum & metuendum est; nimirum, quòd eo in loco, in quem quisque ceciderit æterno tempore vnicuique permanēndum sit. Quia, *vbi ceciderit lignum, siue ad austrum, siue ad aquilonem, ibi erit.* Ecce auditores, vt longè non abeam ad eorum quę dixi Eccles. 11.

confirmationem, offerunt se nobis in hodierno Euangelio duo ligna in morte cadentia, quo antea propendebant: Lazarus & epulo: atque eo in loco in quem quodque cecedit, perenniter manentia. Epulo ad Aquilonem inclinatus erat: sic enim de illo scriptum est. *Erat quidam diues, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidiè splendidè.* O magnam ad Aquilonem propensionem. Ideoq; mortuus ad Aquilonem inferni prolapsus est. An nō videtis illum huc corruisse? *Mortuus est diues,* inquit S. Scriptura, *& sepultus in inferno.* At Lazarus, propter calamitates, quas pro amore Dei patientissimè tolerabat, ad austrum inclinatus erat. *Erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam diuitis, vlceribus plenus.* Ideoque per mortem è mundo sublatus, cecidit, imo ascendit in austrum cælestis regni, vti dicente Euangelista. *Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Vtrique autem sempiterno tempore eo in loco, in quem corruerunt, permanendum est. Nam in hodierno Euangelio Abraham ita loquens introducitur. *In omnibus his, inter vos & nos magnum chaos firmatum est, vt hi qui volunt hinc transire non possint neq; inde huc transmeare.* Verissimum igitur est. *Vbi ceciderit lignum, siue ad austrum siue ad aquilonem, ibi erit.* Intelligis hinc, ô Christiane, quàm malum & noxium sit peccatum, quod facit nos propendere ad infernum, & denique in illum prolabi, ad sustinendos horrores & tormenta illa sempiterna, quæ nullo vnquam fine clauduntur. *Sed sempiternus horror inhabitat.*

Luc. 21. [margin, beside "quidam diues"]
Luc. 21. [margin, beside "Lazarus, qui iacebat"]
Eccles. 11. [margin, beside "inde huc transmeare"]

VII.

VErùm quid dico peccatum efficere; vt ad *Iob.10.*
infernum propendeamus, imò verò aio
illud eſſe ianuam & os inferni. Sic enim Chri-
ſtus apud Matthæum de peccato loquens ait,
Lata eſt porta, quæ ducit ad perditionem, & mul- *Peccatũ eſt*
ti ſunt, qui intrant per eam. Nã ex eo quòd pluri- *os ſiue portá*
mi peccatum ſectantur, fit quòd multi corru- *inferni.*
ant in perditionem. Idem ipſe alio in loco ait. *Matt. 7.*
Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: per
has portas peccata intelligens. Quamobrem,
ô christiane, quando in peccato viuis, ſupra os
& portã inferni conſtitutus es. Et quẽadmodũ
ille, qui in oſtio domus conſiſtit, primo ſtatim
pedis paſſu domum ingredi poteſt; ita etiã tibi *Matt.16.*
vnicus tantũ pedis paſſus deeſt, ad diaboli do-
miciliũ ſubeundũ. Quis autem eſt ille paſſus?
Mors. O te miſerũ & infelicẽ, qui tam ingẽti
in periculo verſaris, & non tibi proſpicis.

In hoc periculo Regius propheta Dauid ſe
conſtitutum eſſe aduertit, cùm peccato ſe cõ-
ſtringendum dediſſet: hinc enim eſt, quod to-
tus tremebundus ait ad Dominum, opem illi-
us in hiſce periculis implorans. *Pericula infer-*
ni inuenerunt me. Tribulationem *& dolorem in-*
ueni, & nomen Domini inuocaui. O Domine libe- *Pſal.114.*
ra animam meam, miſericors Dominus & iuſtus,
Ad inferni portam ſe conſtitutum eſſe decla-
rat cũ ait. *Pericula inferni inuenerũt me.* Timo-
rẽ & dolorẽ animi ex metu in infernũ corruẽ-
di conceptum oſtendit his verbis. *tribulatio-*
onem & dolorem inueni. Auxillium deniq; diui-
num ſequentibus verbis implorat: dicens *Et*
nomen domini inuocaui. O Domine libera animã
meam, miſericors dominus & iuſtus. Cuius timo-

ris à Dauide concepti causam, vt melius intelligatis, proponam vobis similitudinem quandam terribilem, eam pulchrè ostendentem.

Similitudine eleganti ostẽdit peccatoris periculũ.

Si in agro quopiam esset profunda vorago vastæ magnitudinis, serpentibus & venenatis draconibus, apertis faucibus quemlibet intrò cadentem deuorare paratis referta, & quidam supra os voraginis huius consisteret, vnico tantùm subtili filo, ab alio retento, sustentatus: quo vel dirupto, vel è manibus tenentis elapso aut dimisso, ille mox in fauces crudelium & venenatorum draconum corrueret: Quis obsecro metus, quis dolor, quæ cordis angustia hominem hunc occuparet? quàm lachrymabili voce, omnium transeuntium aut inspectantium opem inuocaret? quas non lachrymas profunderet? quos non gemitus & suspiria emitteret? vt eum, à quo sustentatur, permoueret, ne manu aperta, filum elabi pateretur? quas non preces ei offeret, vt è tantis periculis ab eo eximeretur? Totum hoc vobis considerandum & expendendum relinquo. At si hunc videres genio suo liberaliter indulgentem, iocantem, ridentem, de opibus, honoribus, voluptatibus solicitum, nulla interim de periculis in quibus versatur, euadendis cogitatione suscepta, an non hominem mentis inopem esse censeres? Et si auxilio oblato, eum hoc refutantem & spernentem cerneres, nonne multò amentiorem esse iudicares. Si denique omnibus quibus posset modis eum à quo sustentatur, & in cuius potestate atque arbitrio vita & mors ipsius consistit, offendentem & varijs iniurijs ad filum dimittendum prouocantem conspiceres, nonne stul-

ne stultissimum & omni ratione priuatum esse reputares? Certè non modò amentissimũ existimares, sed etiam ira in illum exardesceres. O peccator, cur aduersus temetipsum non indignaris, qui in hac mentis inopia constitutus es. Audi, time, & obstupesce. Tu consistis supra os & portam profundissimæ voraginis inferni, quæ est peccatũ. Serpentes horribiles & dracones tremendi, dæmones sunt, qui in ea degentes, faucibus apertis casum tuum præstolantur, vt te statim deuorent atque absorbeant. Audi Sapientem, *Etenim cum illis superuenit sæua bestiarum ira, morsibus peruersorum colubrorum exterminabuntur.* Sap. 16. Filum infirmum & fragile, quod te sustinet, ne intrò corruas, est vita præsens, omni filo fragilior, quia hoc multis annis sine corruptione adseruari potest, vita autem indesinenter tendit ad corruptonem. Animaduerte an non filo fragilior sit vita nostra. Ea enim ab immodico cibo, ab aëre corrupto, ab hominis peste infecti anhelitu confringitur.

Hoc filum, id est, fragilem hanc vitam, omnipotentis Dei manus sustentat: quæ nisi, S. Gregorio Papa teste, nos sustineret, sicut de nihilo conditi fuimus ita in nihilum reuerteremur. In ipsius potestate vita & mors nostra consistit: arbitrij ipsius est, velle sustentare, vel permittere vt in inferni voraginem labaris. Vnde Salomon. *Tu Domine vitæ & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis & reducis.* Sap. 16. Et tamen cùm in tanto discrimine verseris, nec vel vnius diei aut horæ securitatem tibi possis promittere, nihil metuis, nullam sentis animi molestiam, nullis precibus

diuinum pro liberatione auxilium imploras: quin potius rides, iocaris, voluptatibus, diuitijs, & honoribus intentus es, genioque tuo liberaliter indulges. Opem quam tibi sancti cum Christo regnantes suis intercessionibus, & Christus ipse internis inspirationibus, externisque concionatorum & patrum spiritualium admonitionibus, quibus tib. denunciant illum te ab hisce periculis eximere promptissimum esse, modò illius auxilium suppliciter inuoces: quòd denique sanctissima Ecclesiæ Sacramenta, ad tui liberationé tibi offerunt, tu stultissimus, repudias, admonitiones contemnis, & ad cordis aures admittere detrectas. Imò quod peius est. Scelerata vita tua DEVM cuius manu sustentaris, irritas, eamq; magis ac magis grauioribus indies iniurijs ad manum aperiendam filumque dimittendum prouocas, vt in horrendam inferni voraginē prolabaris, ibique tortuosorum serpentum ac venena spirantium draconum, dæmonum videlicet, cibus & esca fias. Eheu nunquamne illud futurum tibi persuades? Imo verò certissimè id fiet, die quadam tibi incognita, teque minimum cogitante, & imparato, nisi vitam correxeris. O cæli, ô terra, ô elementa, ó bestiæ, ô plantæ, ô lapides, ô saxa, ô creaturæ insensatæ, obstupescite de tanta peccatoris vesania & cæcitatem illius atque amentiam amentissimam deplorate. Non ita faciebat Regius propheta Dauid. Sed agnoscebat quanto in periculo versaretur, indeque maximo timore concepto, opem quærebat, DEVM à quo in vita retinebatur non offendebat, sed suppliciter orabat pro sui liberatione, ipsiusque miseri-

misericordiam deposcens, totus mæstus ac lachrymabundus aiebat. *Pericula inferni inuenerunt me, tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui. O Domine libera animam meam, misericors Dominus & iustus.* O peccator si Dauidē peccando imitatus es, eundem quoque in timore, dolore, emendatione, diuinique auxilij imploratione imitare. Psal.114.

Non conspicis in Euangelio hodierno, huius periculi manifestum exemplum, quendam videlicet supra os inferni consistentē, & mox filo è manibus Dei dimisso, in Infernum vt esca dæmonum fieret, corruentem? *Mortuus est diues, & sepultus est in Inferno.* Et quomodo hoc spectans & intelligens, non metuis, ne & tibi idē singulis momētis contingat? Quare, ô peccator, diligenter tecū expende, vt in infernū corruas, nihil aliud superesse, nisi vt fragile filum præsentis vitæ, quod te sustinet, dirūpatur: nā eo confracto, mox simul cū diuite Epulone sociaberis in illa voragine, quā *sempiternus horror inhabitat.* Vt autem ab hoc periculo eximaris, plurimum proderit idem periculum sæpè animo reuoluere, atq; ante oculos mentis constituere, sic enim fiet, vt salubri timore concepto, mores seriò corrigas vitā in melius cōmutare, adeoq; imminēs salutis tuæ discrimen euadere valeas. Itaq; *fel repone tibi.* Cæterum, auditores, quoniam ab hoc timore, & concionandi labore, me lassitudine quadam confectum sentio: subsistam aliquantisper ante hanc inferni ianuam, vt viribus ante illius ingressum paululū reparatis, eam deinde ingredi, & alia plurimū metuenda vobis edicere, tormentorumque quæ damnati ibidem Luc.21 Iob.10.

patiuntur, æternitatem ostendere valeam.

QVARTA PARS

I.

Æternitas pœnarum eleganti figura demonstratur.

Psal. 28:

REgius Propheta Dauid de peccatoribus loquens, vt suppliciorum quæ isti in Inferno patiuntur, æternitatem demonstraret, in hæc verba consideratione dignissima prorupit. *Deus meus pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti.*

Nam rotæ rectissimè assimulantur peccatores in inferno cõstituti. Sicut enim rotæ, quoniam circularis figuræ est, nec principum, neque finis assignari potest, adeo vt formica etiamsi anno integro. aut centum millibus annorum, si tamdiu vita illi prorogaretur, eam perambularet, nunquam terminum illius inuentura sit. Ita etiam supplicijs improborum in ima illa sempiternæ miseriæ regione, nullus potest finis attribui. Et sicuti rota, quamuis formata & axi conclauata sit, attamen si à vento agitetur. assiduò circumagitur, quemadmodum in rotis molendinorum fieri cernimus: ita quoque peccatores, in inferno firmati; ibiq; veluti ad axem suum conclauati, vento iræ atq; furoris Dei impulsi assiduò circũaguntur, de tormento in tormentum: ab igne ad conglaciatas aquas, & cõtra ab aquis ad ignẽ. Ac proinde Propheta Dauid huc respiciẽs, rectè ait. *Pone illos sicut rotam ante faciem vẽti.*

Simile.

Sequitur. *Et sicut stipulam ante faciem venti,* (nam verba illa, *Ante faciem venti*, tam ad rotam, quàm ad stipulam iuxta veram constructionem referenda sunt:) quibus indicatur nobis damnatorum in inferno misera conditio.

Quia

Quia quemadmodum ſtipula nihil aliud eſt, niſi calamus frumenti, qui poſt demeſſam ſpicam, quam continet, in terra manet, aridus, ſiccus, ſine fructu, fragilis, atque adeò infirmus, vt flatibus ventorum reſiſtere nequeat, ſed modò in hanc, modò in aliam partem inclinet, ſitum quidem mutans, ſed non locum. Ita quoque peccatores, nihil aliud ſunt niſi ſtipulæ, quia ex hac vita ſublati, manent perpetuò, in tenebroſa illa inferni terra defixi. Aridi & ſicci ſunt: quia deficit illis humor diuinæ gratiæ: ſine fructu ſunt, quia nullos fructus bonorum operum proferunt: fragiles & infirmi ſunt, quia ſolus corporum ipſorum, (quando illa receperint) contactus, maximum eis dolorem & cruciatum adferet: moti à vento, diuerſas in partes inclinant, quia à ſęuo irę & tremendæ iuſtitiæ Dei vento agitati, modò in hoc, modò in aliud tormentum propendent. Et quamuis ſæpè ſitum, ex vno ſupplicio in aliud tranſlati, mutent, attamen nunquam mutant locum, quia nullo vnquam tempore ex illa teterrima regione poterunt emergere. Inſigni igitur ratione permotus ait Propheta Dauid. *Et ſicut ſtipulam ante faciem venti.* O peccatores, expendite diligenter, quòd tormenta veſtra inſtar rotæ futura ſint: id eſt, ſine fine, quia nullo vnquam termino claudentur. Conſiderate præterea, quòd ſtipulæ aſſimilandi ſitis: quia perenniter in illa ſempiternæ miſeriæ terra infixi eritis, modò vnum modò aliud tormentum, ſine vlla ſpe liberationis patiendo. Nam illic *ſempiternus horror inhabitat*, *Pſal. 82.* *Iob. 21.*

O qualis cruciatus eſt, quòd atrociſſima hæc tormenta, nnnquam finem habitura ſint.

O Chri-

O Christiani, si febris continua, diuturni carceres: membrorum dolores, corporis tormenta, animi mœrores, quando in præsenti vita, ea cum celeritate, qua vellemus, finem non accipiunt, tantoperè nos cruciant, vt etiam sæpe ad desperationem nos inducant: quantæ obsecro, afflictiones, quantarum angustiarum, quantæ desperationis, materiam suppeditabunt, damnatis, dolores isti infernales? tormenta illa perpetua? cruciatus illi sempiterni? carceres illi perennes, qui nullis vnquã sæculis terminabuntur? O fratres, dicam maius aliquid.

Exigua pœna, si æterno tempore sustinenda sit, intolerabilis est.

Si vobis sustinenda esset minima præsentis vitæ pœna & certi essetis, eam nullo vnquam tẽpore finem habituram, vtique vos omnibus huius mundi hominibus miseriores & infœliciores esse censeretis: Deum blasphemaretis, & ab omni spe atque solatio destituti, lachrymis, totis diebus noctibusque vos traderetis. Vt, si vobis toto huius vitæ tempore tolerandus esset pulex in calceo, formica in collo, musca in aure, calceus angustior in pede; quid non faceretis vt ab hoc fastidio, ab hoc tædio eximeremini? Et tamen hæc nihil sunt ad ignem. Si autem ista vobis intolerabilia videntur: quid erit pati horrenda & tremenda illa infernæ regionis incendia? Quomodo ea sempiterno tempore valebitis sustinere? Verùm quid de febribus, carceribus, doloribus, muscis, formicis, pulicibus, dico, ea homini intolerabilia videri & desperationem inducere, si longiori tempore perdurent: Imo illa etiam quæ nullum dolorem coniunctum habent, sed plurimum delectant, si diu durent,

fastidio

fastidio sunt, & animos nostros exeduntac desperabundis similes constituunt.

Simile

Dicite mihi, auditores. Si cuipiam ex sentētia iudicis in eum lata, decem annis continuis, in lecto molli & delicato, in domo sua manendum foret: nonne huic, etiamsi parentes, filios, amicos, semper coram se haberet, & quotidie symphonias & cantus musicorum audiret: intolerabilis futura esset, illa tot annorum pœnitentia? nonne quo illam redimeret; quoduis potius damnum, quosuis labores & molestias pati mallet? Si ergo id quod delectat, propter diuturnitatem temporis, homini molestiam & desperationem parit: Qualis quæso, angustia, qualis desperatio miserum peccatorem occupabit, condemnatum summi Iudicis sententia, non ad lectum mollem, sed ad flammas sulphureas? non decem, centum, mille, aut centum millibus annorum, sed in sempiternum, sine vlla spe in omnē æuiternitatem liberationis: vbi non gaudeat dulcissimorum & carissimorum parentum, filiorum, amicorum præsentia, sed dæmonum, iuratissimorum hostium suorum perpetua societate: nec vllum suauem organorum musicorum, aut cantuum melodiam, sed nunquam desituros clamores, stridores, & gemitus infœlicium damnatorum secum in tormentis existentium, percipiat. O desperationem, ô tormentum. *Sed sempiternus horror inhabitat.*

Iob.10.

Addo & hoc, nisi esset coniuncta hisce pœnis ęternitas, non magnum terrorem atq; formidinem incuterent inferni supplicia. Nullū est enim malū adeò graue ac molestum, quod tolerabile non sit, si finem habeat. Sed æternitas, illa

tas, illa

tas illa potiſsimum eſt, quæ miſeris inferni habitatoribus deſperationem & ſummam anguſtiam adfert. Non audis? *In inferno nulla eſt redemptio.*

In inferno nulla eſt redemptio.

Manifeſtum eſt in omnibus malis, aliquod ſupereſſe remedium, ſeu aliquam ſpem liberationis, prçterquàm in pœnis inferni. Si opes amittas, alias potes acquirere: ſi famam eximiorum factorum editione, maiorem potes nanciſci: ſi filios, alios potes procreare: ſi ſanitatem, medicinis eam potes reſtituere: ſi libertatem, multis modis eam potes redimere. Et vt paucis cõcludam, quid obſecro eſt, ex omnibus huius mundi rebus quod amiſſum non poſsis recuperare? Num vita? Et illam in vniuerſali corporum reſurrectione, recipies. Sola anima eſt, quæ ſi ſemel ad Infernum deuoluatur, nulla contentione, nec vlla temporis diuturnitate, inde eximi, aut liberari poteſt. In omnibus igitur rebus remedium eſt, prçterquam in vna hac, quòd damnati nunquã ex inferni pœnis egreſſuri ſint.

Viſne, ô Chriſtiane, apertiùs tibi demonſtrari, qualis ſit hæc æternitas & quid per eam intelligendum ſit: Attende & contremiſce.

Aeternitas pænarum varijs ſimilitudinibus oſtenditur.

Quantocunque tempore damnati in inferno in pœnis quas ſuſtinent, torqueantur, non tamen ab ijs vel minimam drachmam tollunt, ſeu diminuunt: quia ſemper ad vnam eandemque pœnam, ad quam primo die ingreſsionis tenebantur, obligati manent, eò quod debitũ, quo diuinæ iuſtitiæ obſtricti ſunt, in nullo diſſoluant, ſeu imminuant. Eſt igitur æternitas inſtar arboris fœcundiſſimæ, à qua ſi ramos, quot vis, amputes, noui ſemper renaſcuntur.

Si vnum

Si vnum, duos, tres, decem, viginti abſcindas, totidem alij & multò plures pullulant. Ita etiam quamuis è damnatorum pœnis, centum, mille annos auferas, alij centum, mille, renaſcuntur. Si decem, triginta, centum millia tollas, totidem alij ſuperſunt. Si milliones, imò centena aliquot millia millionum, ſubtrahas, alij totidem reſtant. Adeò vt quotcunque annos demas, de hac tamen pœnarum æternitate nihil minuatur. *Sed ſempiternus horror inhabitat.*

Præterea æternitas iſta ſimilis eſt Hydræ Lerneæ, quæ multorum capitum à Poëtis, fuiſſe fingitur, quorum aliquot exciſis, totidem continuo renaſcebantur. Ita quoque, etiamſi æternitati pœnarum inferni, caput vnum, id eſt mille annos amputes, aliud ſtatim renaſcitur, id eſt, alij mille anni ſuperſunt: ſi itidem aliud auferas, alij totidem anni reſtabunt; ita vt etiamſi millenos & millenos annos quoties vis demas, alij tamen mille & mille anni in locum eorum ſucceſſuri, nec vel minima ex parte, pœnarum æternitas minuenda ſit. *Sed* *Iob.10.* *ſempiternus horror inhabitat.* Illuſtrabo rem eleganti ſimilitudine, vt ab omnibus intelligi valeat.

Si quis propter debitum mille ducatorum carceri mancipatus eſſet, & poſt aliquanti téporis euolutionem ducentos creditori ſolueret dicens: accipe ducentos hoſce ducatos ad ſummæ quam tibi debeo, vlteriorem numerationem: Et ille reſponderet, mille tibi numerandi ſunt. Incarceratus autem poſt breue tempus illi alios quadringentos numeraret: ille vero iterum reſponderet. Mille ducatorũ *Simile.*

ſummam

ſummam debes. Incarceratus deinde paucis
diebus euolutis alios iterum quadringentos
ei numerans diceret. Dimitte me ex hoc car-
cere, quia debitum omne, quo tibi obſtrictus
ſum diſſolui. Et creditor reſponderet mille
ducati adhuc tibi ſoluendi ſunt. Ille verò:
Quomodo mille? ducentos primum, deinde
quadringentos & nunc iterum quadringentos
tibi numeraui, hi autem ſimul iuncti, mille
ducatorum ſummam conficiunt, hoc eſt debi-
tum meum, non maius: an fortè nummi dati,
ad ſolutionem mihi non cedent? Et is iterum
regereret: non exibis vnquam de hoc carcere,
quia etiamnum mille ducatorum debitor es.
Ille autem paulo poſt, alios mille ducatos ei
numeraret; & hic denuo reſponderet, mille
ducatorum debitor mihi manes: ſicque inter
ſeſe continuarent, ille ſoluendo, & millia
millibus, vſque ad decem, viginti, centum
millia adijciendo: hic vero ſemper idem re-
ſponſum reddendo, ipſum mille ducatorum
debito obſtrictum manere: dicite mihi, audi-
tores an non hoc debitum illius æternum fo-
ret, nec vnquam finiretur, quia quantamuis e-
tiam ſummam numeret, nunquam tamen vel
minimus quatrinus de priori debito decede-
ret? nunquid non is omni ſpe deſtitueretur,
hoſce carceres euadendi? nunquid non maxi-
mam ei deſperationem adferret, ſemper ſol-
uere, & nunquam debitum vel in minimo im-
minuere? In hoc ſtatu, atq; in hac deſperatione
omnes qui obſcuris inferni carceribus incluſi
ſunt, verſantur. Debitum illorum, quo diuinæ
iuſtitiæ obſtricti ſunt, eſt pœna æterna: patiã-
tur quantum volent: pœnas, quantaſcunq; co-

gitare

gitare possunt, luant, attamen semper eiusdem æternæ pœnæ debitores manebunt, sine vlla diminutione. Maxima sanè est hæc damnatorum miseria.

O Christiane, si ab Angelo ad Infernum ducereris, non ibi permansurus, sed miserorum supplicia tantummodo lustraturus: & Cainum his verbis aggredereris. Quale fuit debitum tuum quando primum huc descendisti? Is vtique responderet. Debitum meum erat pœna æterna. Et si interrogando pergeres. Nunc verò quantum debes. Is iterum responderet, Pœnam æternam. Si tu subiungeres. Et quomodo fieri potest vt eandem æternam pœnã, quam debebas cùm primum huc ingredereris, modò post elapsos plusquam sex mille & cẽtenos aliquot annos debeas? Ergône cùm pœnam tot millium annorum dissolueris, idem quod prius debitum, eademque obligatio tibi manet? Responderet ille. Prorsus ita se res habet: in eodem adhuc termino sum, quasi nunc primum pati inciperem. Imò post centum & millena annorum millia, in eodem termino, & eodem æternæ pœnæ debito permanebo: quasi tunc primum supplicia mea ordirentur: quia hoc in loco pœnæ nullam sentiunt diminutionem. Sic si Pilatum & Iudam, qui ante mille & quingentos annos ad eandem damnatorum regionem descenderunt, interroges, eodemne adhuc debito obstricti sint, quo fuerunt, cùm infera loca ingrederentur? Respondebunt. Eodem se adhuc debito teneri, atque debitum hoc etiam post centena, & millies millena annorum millia, idem mansurum. Aduertitis igitur, quomodo, quantasuis etiam

pœnas luant; attamen eodem ſemper debito obſtricti teneantur, id eſt, ad eaſdem æternas pœnas ita obligati maneant, quaſi nihil vnquã pœnarum luiſſent. Hoc autem inde fit: quia DEVS eorum tormenta, ad ſolutionem, & debiti ſatisfactionem non reputat: quòd extra ſtatum merendi, debitique ſatisfaciendi, conſtituti ſint. Ideoque nullo vnquam tempore ex hac miſeriæ regione egredientur: teſte. S. Gregorio Papa, cum ait. *Quiſquis ad toleranda inferni mala deſcendit, nequaquã ad lucẽ vlterius redibit.* Vnde igitur, ô peccator, tantus tibi animus, tantaque audacia, vt in peccato vel vna hora auſis permanere cum harum pœnarum æternitatem tecum reuoluis? Sancte DEVS! ſi tibi in ignibus inferni vnico tãtũ anno, vel vnica duntaxat die manendum foret, in perpetuo timore & ſine peccato viuere deberes. Quantò magis id tibi faciendum eſt, cùm ibi in omnem æternitatem ſine vlla ſpe liberationis manſurus ſis? Torquet auditores, æternitas iſta reproborum animos multò magis, quam pœnæ & tormenta quæ ſuſtinent. Audite, tremite, & obſtupeſcite,

S. Greg.

II.

Magis cruciat damnatos pœnarum æternitas quã ipſa tormẽta.

AIunt ſacri Doctores æternitatem hanc ſecum expendentes: (& veriſſimum eſt:) ſi mons aliquis adeò vaſtus reperiretur, qui totam terram magnitudine adæquaret, & formica, quotidie ex eo modicum quid tolleret, damnatiſque diceretur: quando formica hæc maximum hunc montem indies aliquid tollendo, totum aſportauerit atq; conſumpſerit: tum eos ex obſcura illa miſeriæ regione liberandos

randos esse, ad hoc nuncium, magna perfunderentur consolatione, & insolitum perciperent animo refrigerium.

Addunt illi: si auis quædam semel in die vnam è magno mari guttam ore hauriret, & damnatis diceretur. Postquam auicula hęc totum mare quotidie guttulam bibendo exhauserit, tum supplicia eorum finem habitura, magnam inde animi lætitiam & voluptatem sentirent. Dicam adhuc amplius. *Simile.*

Si Angelicorum spirituum aliquis, è cælo ad infernum descenderet, damnatosque hoc pacto alloqueretur: Lætum vobis adfero nuncium. Præcepit mihi DEVS, vt singulis centū millibus annorum, semel in terram descēdam, & vnam aquæ guttulam inde tollam: & quādo omnia eiusdem terrę maria, lacus, flumina, fontes, puteos, atque vt summatim dicam, aquas omnes quæ in terra sunt exhausero, & siccauero, tum cruciatus vestri finem accipient, & hinc ad alium locum mitiorem transferemini; ad nuntij seu vocis huius sonitum, totus infernus, insolito gaudio compleretur, & exultaret. Verùm improbi illi nunquam merebuntur obtinere talem gratiam, eò quòd supplicia & miseriæ illorum cùm sint æternę, nullo vnquam fine claudendæ sint. Addo maius aliquid. *Simile.*

Si damnati certiores redderentur: tot centenis annorum millibus eos in inferno mansuros esse, quot grana milij in toto illo spatio, quod à terra ad cælum vsque porrigitur, iacere possunt: aliquam inde haurirent consolationem, quod æterna ipsorum pœna in hanc, quam respectu prioris, nihili æstimant, com- *Simile.*

mutata esset. Cur autem ex his nūcijs adeò insolitum perciperent gaudium & animi refrigerium, nisi quia pœnas suas fine aliquo terminandas esse scirent; & quamuis terrenis aliquot millibus ac millionibus annorum, in istis pœnis manerent, aliqua nihilominus tēporis parte eas imminutas esse, atque ad finem decurrere aduerterent: At æterno tempore cruciari, sine vlla pœnarum quoad tempus imminutione, id verò omnem desperationem supergreditur. O munde stulte ac stolide, qui hoc nostro tempore, voluptatibus & delitijs sæculi præsentis breuissimo tempore euanescentibus, addictissimus es, & nunquam æterna illa supplicia, quæ nullis sæculis finiēda erūt, ad memoriam reuocas. O stultitiam sanguineis lachrymis deflendam. Audi ô peccator, quid Dantes poëta Italus, inferni portis inscriptum esse testetur, & contremisce. Ait enim.

Dantes.

Per me si và alla città dolente,
Per me si và all'eterno dolore,
Per me si và alla perduta gente
Lasciate ogni speranza, ò voi ch' entrate.

Id est: Per me ad ciuitatem lachrymosam pergitur: per me ad sempiternos dolores trāsitur: per me ad amissam gentem itur, ô vos quicunque hoc ingredimini, omnem spem aliquando exeundi deponite.

Rectè igitur S. Iob, hanc æternitatem secū considerās, de vltima fellis huius proprietate ait. *Sed sempiternus horror inhabitat.*

III,

O Auditores, animaduertite sacram scripturam, dum infernum hunc, sem-

piternæ

piternæ miseriæ chaos, habitationem immũdam, locum horrendum, è quo nullo vnquam tempore patet egressus, secum expenderet, nõ potuisse illum explicare siue ostendere, vno duntaxat nomine: ac proinde multis nominibus solo auditu horrorem incutiẽtibus illum descripsisse. Etenim nominat illum Abyssum, Caminum, Carcerem, Desertum, Fornacem, Gehennam, Lacum, Miseriam, Stagnum, Tenebras, Terram, Tartarum, Infernum, Diaboli domicilium. Salomon appellat illum Abyssum. *Profundum abyssi quis demensus est*. Zacharias, caminum. *Ponam duces Iuda sicut caminum ignis in lignis*. Esaias, carcerem. *Congregabuntur congregatione vnius fascis in lacum, & claudentur ibi in carcere*. Salomon desertum; *Fumigabunda constat deserta terra in testimonium nequitiæ*. Ezechiel, fornacem; *Omnes isti, vt es, stagnum, ferrum & plumbum in medio fornacis*. Christus, gehennam; *Timete eum qui potestatem habet mittere in gehennam*. Dauid, lacum. *Saluasti me à descendentibus in lacum*. Iob, miseriam. *Ad terram miseriæ* Ioannes, stagnum. *Pars illorum erit in stagno ardenti*. Dauid, tenebras. *Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua*.

Infernus decem habet nomina in sacris literis quæ declarantur.

Eccles. 1. *Zach. 12.* *Esai. 24.* *Sap. 10.* *Isa. 22.* *Luc. 12.* *Iob. 10* *Apoc. 21.* *Psal. 87.* *Ezech. 31.* *2. Pet. 2.* *Baruch 3.* *Amos 2.*

Ezechiel terram. *Deductus est ad terram vltimam*. S. Petrus tartarum, *Detractos in tartarum, tradidit cruciandos*. Baruch, infernum. *Deputatus es cũ descendentibus in infernum*. Amos, Diaboli domum. *Bibebant vinum damnatorum in domo Dei sui*. Declaremus omnia hæc nomina singulatim, vt horrendum & terribilem hunc locum melius cognoscamus.

Nominatur Abyssus. *Eccles. 1.*

Appellatur Abyssus, id est, sine basi & fundo, quia est miseriarum pelagus adeo immensum, vt nec fundum, nec littora habeat. Non auditis? *Profundum abyssi quis dimensus est?*

Caminus.

Nominatur Caminus, quia illic incessanter sine fomentis lignorum ardet ignis, diuinæ iustitiæ instrumentum: qui vim & efficaciam habet dæmones & reproborum animas acerrimè cruciandi: quorum etiam corpora post iudicium in omnem æternitatem torquebit. *Et mittent eos in caminum ignis ardētis.*

Matt. 13 *Carcer.*

Vocatur Carcer, quia peccatores eò descendentes omni libertate spoliantur, & in sempiterno illo igne & conglatiatis aquis tam validè vinciuntur, & concatenantur, vt ex illis tormentis nunquam possint emergere *Vinctis eius non aperuit carcerem.* O desperationem.

Esa. 14. *Desertum.* *Mal. 1.*

Appellatur Desertum, quia in horrida & arida illa terra, nihil aliud colligi ac meti poterit, præter horrores, angustias & mortes cōtinuas: Eā incolunt bestiæ crudelissimæ, serpentes nocentissimi, & dracones veneratissimi, id est, dæmones. *Hæreditates eius in dracones deserti.* O locum horribilem.

Fornax. *Ezech. 21.*

Nominatur Fornax, quia in eo reprobi vndiq; circūdati & pleni erunt igne, intus & foris, instar metalli in fornace liquati: quod omnino iubeū & ardēs est, propter ignem à quo int⁹ & foris penetratur: & instar ferri, in fornace fabrili, igniti, Audite Deū per prophetā peccatorib⁹ id cōminātē. *Congregabo*, inquit, *vos cōgregatione argenti & æris; stagni, & ferri, & plumbi in medio fornacis, & succendam ignem ad conflandum.* Nunquid vidistis aliquando, audito-

ditores, materiam illam, è qua vitra fiunt, in fornace liquefactam? Huic similes mihi videntur esse damnati omnes in ardentissima illa inferni fornace. Nam quemadmodum materia illa rubra & inflammata est ab igne, quo ambitur: nec tamen consumitur, aut substantiam suam deperdit: Ita etiam reproborũ corpora in igne inferni referta erunt igne intus & foris, quia is penetrabit carnem & ossa eorum, nec tamen consumet illos, aut necem adferet. Rectè igitur locus in quo cruciantur fornax appellatur.

Vocatur Gehenna, quod interpretatur: *Vallis tristitiæ.* Quia reprobi in inferno sunt & erunt semper, pleni maximo dolore atque tristitia, propterea quòd in sepulchris illis ardẽtibus constituendi sint, non aliter atque in cacabo ad bulliendum: velut cibus ad mortis ac dæmonum pastum destinatus, quem si deuorare nequibunt, dentibus certè & vnguibus miserandum in modum discerpent. Gehenna.

Et mors depascet eos. Morsibus peruersorum colubrorum, id est dæmonum, *exterminabuntur.* Psal.48. Sap.16.

Dicitur Lacus: quia est cloaca quædam, seu sentina vniuersi terrarum orbis, in quam omnes illius immunditiæ & sordes confluunt: nec non omnium rerum nocentissimarũ congregatio. *Pluet*, inquit propheta Dauid, *super peccatores laqueos: ignis, sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Hæc autem est aliqua tantum pars earum rerum, quæ laci huius fœtorem nocentissimum & pestilentissimum causabunt. Cum ait, *pluet*, pœnarum multitudinem demonstrat, quæ non aliter ac pluuiarum Lacus. Psal.10.

rum guttæ illos inundabunt. Cùm dicit, *Laqueos*, ostēdit vincula & catenas, quibus adeò arctè in his pœnis vincti iacent, vt nulla eis spes superesse possit, illa supplicia vnquam euadendi. Cùm inquit, *Ignis*, vnum è maximis eorum tormentis indicat, cùm ait: *sulphur*, ingentem inferni fœtorem manifestat, cùm dicit: *spiritus procellarum* demonstrat, quòd ab acerbissimis hisce tormentis non aliter absorbeantur & contegantur, quàm ab vndis, ventorum flatibus agitatis. Cùm denique concludit. *Pars calicis eorum*, ostēdit omnia illa quæ dixerat, non esse totum ipsorum supplicium, sed aliquam duntaxat partem: eò quòd ibi & alia tormenta sint, laci huius immunditiam efficientia. O lacum deformem, tetrum, immundum, fœtentem, dolorosum.

Miseria. Appellatur Miseria, per antonomasiam seu excellentiam, quia nulla est, fuit, & erit miseria quę cum inferni miseria conferri possit. Est enim miseria insanabilis, malum irremediabile, damnum ineuitabile. *Adducam super eos mala, de quibus exire non poterunt.* Audite S. Gregorium in illa S. Matthæi verba, *Filij autem regni eycientur in tenebras exteriores*, harum miseriarum multitudinem quandam recensentem. *In inferno*, ait, *est frigus intolerabile, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, fœtor insupportabilis, tenebræ palpabiles, flagella terribilia, horrida visio dæmonum, confusio peccatorum, desperatio bonorum omnium. Erit enim inferis mors sine morte, defectus sine defectu, quia mors semper incipit & desinere nescit.*

Ierem. 6.

S. Gregor.

Stagnum. Nominatur stagnum: quia tormenta illa erunt, semper firma & stabilia, sine aliqua diminu-

minutione. Rectè autem vocatur stagnum & non flumen : quia vti nostis, inter flumen & stagnum est hæc differentia, illud modò cresscit, modò præterlabitur; nonnunquam verò prorsus siccatur: illud verò nunquam siccatur, nec vnquam fluit, sed sæpenumerò & facilè crescit. Flumini similes sunt pœnæ, quibus DEVS homines in hoc mũdo castigat: nam aliquando augentur, nonnunquam defluunt, atque deficiunt, sæpè etiam omnino recedunt. At pœnæ quibus DEVS in reprobos in altero sæculo animaduertit, stagno similes sunt: quia nunquam deficiunt aut minuuntur, sed semper eædem sunt, imò potiùs augentur. Ideoque non flumini, sed stagno sulphureis flammis referto assimilantur. *Missi sunt in stagnum ignis & sulphuris.*

Dicitur Terra miseriæ, quia nemo illic est, qui vel minima fruatur consolatione, sed omnes sunt afflicti, atque ingentibus miserijs cumulati. *Apoc. 20.* *Terra miseriæ.*

Terra illa subterranea, plena est æternis & inconsolabilibus fletibus & comploratio- nibus, vmbra mortis cooperta, tota ignorantiæ & obliuioni sepulta. *A facie maledictionis luxit terra. Obscurent eos tenebræ & vmbra mortis. Obliuioni tradita est memoria eorum,* O terram infœlicem. *Hierem. 23. Iob. 3. Eccles. 9.*

Appellatur Tenebræ, propter ingentem illius obscuritatem: partim quia locus est subterraneus, centro terræ vicinus, nullas habens fenestras, per quas lumen possit ingredi: partim quia ignis ille non lucem & splendorem ex se diffundit, vti noster, sed fumum densum, palpabilem, & sulphureum, maximam obscuri- *Tenebræ.*

ritatem efficientem. *Illis superposita est grauis nox, & imago tenebrarum, quæ superuentura est.* O horribiles tenebras, quibus reprobi inuoluti tenentur.

Tartarus. Nominatur Tartarus, propter ingentẽ strepitum & tumultum, qui inibi est. Vox enim tartarus, descendit à Græco verbo ταράττω, id est conturbo. Nam ibi quisque tumultuabitur ac vociferabitur, aduersum semetipsum, proximos, & cognatos suos Quisque illic maledicet corpori suo, quod iam propter illius mollem tractationẽ in hæc tormenta incidit: Ibi socius contra socium, amicus contra amicum, exclamabit. Pater filio, & filius, contra Patri maledicet, Mater filiæ, & filia matri malè precabitur. Maritus vxorem, & vxor maritum conuitijs adorietur, frater contra sororẽ & soror contra fratrem insurget, horrendasq; voces in illũ iaciet. Audi horũ omniũ veritatẽ è sacris literis. *Vir fratri suo non parcet: vnusquisque carnem brachij sui vorabit. Manasses Ephraim, Ephraim Manassem, simul ipsi contra Iudam. De patre impio querentur filij, quoniam propter ipsum sunt in opprobrio. Irruet populus, & vir ad virum, & vnusquisque ad proximum suum tumultuabitur: puer contra senem, & ignobilis contra nobilem, apprehendet enim vir fratrem suum & domesticum patris sui,* O tumultum, ô strepitum, ô indignationem, ô choleram, ô perturbationem! omnes enim qui locum hunc incolent, rabie atque furore perciti, blasphemias & maledicta eructabunt.

Esaiæ 9.

Ecclesi.41.

Esa.3.

Infernus. Vocatur Infernus, propter humilitatem ac profunditatem suam; est enim locus adeò demissus, vt centro terræ, quàm maximè, vicinus

sit. O

sit. O miseros peccatores, qui tunc omnium creaturarum infimi erunt. Neque id immeritò: quia enim in hac vita, sceleribus suis, cæteris creaturis se substrauerunt, iustè in altera vita, à iustissimo DEO, loco infimo sub omnibus alijs creaturis, circa centrum terræ, vltra quod non datur descensus vlterior, constituentur. Et *in profundis inferni conuiuæ eius.* *Veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci.* Pro.9. Esa.14. O locum profundissimum omnem profunditatem superantem.

Dicitur denique diaboli domus, quia ille fuit primus qui peccauit, & primus auctor peccati, qui tentatione sua, peccatum introduxit in mundum: & illi propriè & ante alios omnes pœna æterna & ignis inferni præparatus fuit: iuxta dictum illud diuinæ sapientiæ. *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius.* Est igitur locus ille propria dæmonum habitatio. Ac proinde rectè appellatur, domus dæmonum. *Facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi.* Quid tibi, ô Christiane videtur de loco hoc immundo, horribili, tremendo, cui tot nomina, solo auditu, hominibus terrorem adferentia, à sacris literis imponuntur? Quid amplius de conditionibus ac proprietatibus eius dici posset? Cur ergo non sæpè cogitatione, ad loci huius inspectionem & contemplationem pergimus, vt sic illum euadere liceat? cur *fel nobis non reponimus?* præsertim cùm nihil tantoperè ad infernalium pœnarum fugam conferat, quàm attenta ipsarum consideratio. Attendite.

Domus diaboli. Matt.25. Apoc.18.

IV. Al-

IV.

ALbertus Magnus de proprietatibus rerũ naturalium loquens dicit, Fulmen è cælo delapſum eam habere proprietatem, vt ſi hominem quem ferit ac perimit apertis oculis inueniat, illos claudat: ſi autem clauſis eum oculis occupet, eoſdem aperiat. O Chriſtiane, fulmen hoc è cælo deſcendens, eſt mors quæ à diuina voluntate procedit. Hæc ſi nos inueniat oculis mentis per contemplationem & conſiderationem horribilium inferni pœnarum apertis, in morte illos eatenus claudit, quatenus prohibet, ne intueamur, guſtemus, & experiamur, inferni tormenta, eò, quòd ex ipſarum conſideratione, peccata vitare, vitamque corrigere ſtuduerimus, & morte obita ad cælum mox euolemus. At ſi inueniat nos oculis per hanc meditationem non apertis, in morte nobis eos reſerabit, & cũ ingenti anguſtia & dolore animi, intueri faciet tormenta hæc, dæmoneſque horum ſupplicorum adminiſtros: Neque ſolum intueri, ſed etiam ſummo cum cruciatu experiemur. Quapropter, ô Chriſtiani, dum hac vita vtimur, retineamus oculos mentis apertos, & ſæpè nobiſcum expendamus acerbiſſima inferni ſupplicia, & teterrimorum dæmoniorũ horribiles aſpectus, ne ad imam illam ſempiternæ miſeriæ regionem, ad ea non modò videnda, ſed etiam experienda deſcendere opus ſit. O quàm eleganter oſtendunt nobis detrimentum hoc ſacræ literæ in hiſtoria Ionæ. Attendite.

Cùm Ionas à facie Domini fugam iniens, nauem conſcendiſſet, ingens in mari tempe-

ſtas exorta eſt, ita vt nauis à ventis furentibus, & vndis intumeſcentibus vehementer quaſſaretur. Interim verò dum nautæ exterriti, & de ſalute ſua dubij diuinam opem implorant, ad nauis reſtaurationem incumbunt, merces & onera in mare conijciunt. Ionas in ſentinã nauis deſcenderat, ibiq́; graui ſomno ſepultus, ſine vllo timore iacebat, nec de nauis, neque de nauigantium periculis quicquam ſollicitus. Quo cùm nauclerus deſcendiſſet, & eum ſomno indulgentem cerneret, excitatum ita increpuit: *Quid tu ſapore deprimeris? Surge & inuoca Dominum, ſi fortè recogitet DEVS de nobis & non pereamus.* Poſt hæc cùm ad DEVM & mare iratum placandum ſortes iacerent, quis eorum in mare mittendus eſſet, ſors cecidit ſupra Ionam, qui ſtatim in mare coniectus, & à piſce deglutitus fuit cæteris ſaluis ad littus peruenientibus. Ex quo cernitis omnia hæc damna eueniſſe Ionę ſomnolento & imprudenti: non cæteris vigilantibus, atque ad diſcrimen auertendum, diuinamq́ue opem inuocandam, attentis. O præclaram figuram iuſtorum & peccatorum: proborum & improborum differentiam oſtendentem. Audite.

Recordatio infernalium pœnarum quam vtilis ſit, figuris aliquot ſacræ ſcripturæ oſtenditur.

Figura prima.

Ion. 1.

Ionas fugitiuus, qui fugam idcirco arripiebat, ne faceret, quod Dominus imperauerat, peccatorem figurat, qui diuinam voluntatem perficere, abnuit. Nautæ, maris tempeſtaté formidantes bonorum figuram gerunt, qui virtutum exercitijs inſiſtunt & diuinam iuſtitiam metuunt. Nauis eſt ſancta Eccleſia. Mare turbatum & procelloſum eſt Infernus, qui à vento iræ & iuſtitiæ DEI agitatus, extremam homini-

hominibus pernitiem minatur. Quid ergo faciunt boni christiani? Industrium nautarum more vigilātes & attenti sunt ad salutem suā. Ex eo enim quod vident Dominum magnum aliquod exitium minari, ingentemque tempestatem in sacris literis & per sacros Doctores & prædicatores, inferni pœnas denunciantes, ciere: in metu ac tremore continuo versantur, vigilant, merces abijciunt, id est, facultates suas ad DEI obsequia, & in vsus pauperum dispensant: precibus assiduis DEI opem implorant, per pœnitentiam, sanctissimorūque sacramentorum vsum salutem suam curare student, ne in aquis pœnarum inferni submergantur. At peccator, qui vti Ionas à Deo fugit & sanctissimis iussionibus atque mandatis eius parere detrectat, quamuis à sacris literis, à Doctoribus à prædicatoribus Inferni pœnas quæ turbulentissimæ procellæ similes sunt, auribus suis intonari, magnumque aliquod exitium sibi prædici audiat, non terretur, non exanimatur, non metuit: sed periculoso quodam somni veterno pressus, nihil de imminenti exitio cogitat. Imò etiamsi à Prælatis, à Confessarijs, à Concionatoribus, qui sunt veluti naucleri & directores animæ ipsius, excitetur, & admoneatur, ne huic rei indormiat, sed potiùs diuinam opem imploret, DEVM & sanctos eius pro scelerum indulgentia impetranda, assiduis precibus pulset: attamen nihil iuuat. Verùm quid euenit illi in hac periculosa dormitatione perseueranti? Cadit supra illum ex inopinato sors, quando mors eum adoritur: tum verò, vti Ionas, in mare, quod antea nihili pendit, & de quo nullam

lam cogitationem suscipere voluit, id est, in aquas pœnarum infernalium demergitur, & à pisce id est à morte æterna, efferisq; dæmonibus deuoratur. Quamobrem, ô Christiane, caue ne Ionã imiteris, si salus tua tibi cara est: sed potiùs nautarum vestigijs insiste: esto vigilans, & attentè considera periculum tuum, ne à mari infernalium pœnarum absorbearis: abijce merces, id est substantiam & facultates tuas in eleemosynis largis faciendis pauperibus, & necessitatem patientibus adiuuandis, virginibus egenis maritandis, hospitalibus dotandis, vinctis liberandis, religiosis exulantibus, aut egestate laborantibus sustentandis impende: Deum benignissimum & clementissimum suppliciter ora, vt tibi scelerum veniam dare, gratiamque & opem impartiri velit, quò salutem consequi, & profundissimos inferni gurgites euadere valeas. O te beatum, ô fœlicem, si ita egeris: quia *fel valet ad vngendos oculos in quibus fuerit albugo & sanabuntur*. Idcirco, *fel repone tibi*. Tob. 6.

Dubium non est, auditores, si peccator fel hoc crebrò ad memoriam reduceret, ambos animæ ipsius oculos, intellectum & voluntatem in bono infirmos & cœcos, facillimè sanitatem & lucem consecuturos esse. Intellectus enim peccatoris infirmus & cæcus est. quia non cognoscit bonum quod sequi, & malum quod fugere debet. Voluntas infirma & cœca est, quia Deum & vera bona non diligit, sed mũdum & bona caduca, per quæ ad Infernum ducitur, vt illic amarissimo hoc felle, ęterno tempore nutriatur. Vt autẽ hos oculos

sanare

ſanare & illuminare valeat, quidnam ei faciendum? Imponat oculis ſuis fel, id eſt, ſæpè recordetur pœnarum inferni, oderit eas vehementer, ſed multò magis oderit peccatum, earum cauſam: ſic enim ſanitatem & lucem recuperabit. Quia *fel valet ad vngendos oculos, in quibus fuerit albugo & ſanabuntur.* Hæc eſt earum quas initio huius noſtri ſermonis propoſui, partium vltima; quam ne omninò præterijſſe videar, diſſeram paululum de hoc felle, quomodo illud oculis mentis & animæ, per frequentem memoriam imponendum ſit.

Tob. 6.

V.

O Fideles, ſi Daniel Propheta, pœnã quam Nabuchodonoſor rex, propter immoderatam animi elationem paſſurus erat, eam videlicet, quòd ſeptem annis continuis cum beſtijs moraturus, per agros & deſerta loca oberraturus, eorumque cibis vſurus, quin & pluuijs & rore cœli tingendus eſſet: ſecum expendens, adeò territus & obſtupefactus fuit, vt hora integra attonito ſimilis ſteterit, nullũ formare valens verbum, vti quarto cap. Prophetiæ illius legimus; qualis obſecro terror, qualis metus, qualis afflictio noſtra eſſe debebit, reuoluendo pœnas, quas damnati in ima illa ſempiternæ miſeriæ regione patiuntur, quæ tantò Nabuchodonoſoris pœnis acerbiores, & grauiores ſunt, quantò nocentior eſt ignis verus igne picto? Illius enim pœna erat ſub dio in incertum oberrare, horum verò in obſcuriſſimis inferni tenebris, perenniter verſari. Illius pluuia & rore tingi: horum flammis ardentibus perfundi & contegi. Illius cum beſtijs viuere & herbas depaſci: horum

Secunda figura.
Dan. 4.

rum cum dæmonibus aſsiduò viuere, & tormentis nutriri. Illius pœna ſeptem duntaxat annis duratura erat: horum verò in omnẽ ſæculorum æternitatem durabit. Si ergo Propheta pœnam illius regis exiguam ſecum reuoluens, integra hora ſtetit attonitus, cur nos damnatorum ſupplicia, in immenſum his grauiora & acerbiora, cum animis noſtris reuoluentes, non ſemper attoniti conſiſtimus? O quantum prodeſſet nobis aſsidua harum pœnarum memoria, ad peccata odienda & fugienda, quæ nos atrocibus hiſce tormentis inuoluunt: & virtutes amandas & complectendas, quæ ab illis nos eximunt, cæleſtique Paradiſo reſtituunt. *Fel valet ad vngendos oculos, in quibus fuerit albugo & ſanabuntur.* *Tob.6.*

Cur putatis Angelum his verbis Eſdram fuiſſe allocutum, *Pondera mihi ignis pondus, aut menſura mihi flatum venti, aut reuoca mihi diem qui præteriјt*: niſi vt harum pœnarum memoriam ei ad animum reuocaret? Nam extra omnem ambiguitatem eſt, auditores, iſta ad literam non poſſe intelligi. Quis enim vnquam ignem ponderare, ventum menſurare, aut diẽ præteritum reuocare voluit? Nemo prorſus. Angelus ergo parabolicè & non literaliter verba ſua voluit intelligi. Alloquebatur autẽ Eſdrãtãquã peccatoris perſonam ſuſtinẽtem. Quamobrem, (vt à poſteriori ordiar) quando eum monuit, vt diem præteritum reuocaret, ita intelligendus eſt ac ſi eum adhortatus fuiſſet, vt beneficiorum præteritorum quæ DEVS ei contulit, & malarum actionum quæ perpetraſſet, recordaretur: & illa ad memoriam tanquam præſentia, reuocaret, ſibiq; ante ocu-

Tertia figura.
4.Eſd.4.

los mentis constitueret. *Reuoca mihi diem, qui præterijt.* Quando monuit, vt flatum venti mensuraret, ita accipiendus est, quasi eum cõmonefecisset, vt secum diligenter vitæ expẽderet præsentis breuitatem, quæ nihil aliud

Iob. 7.

est quam flatus venti, dicente S. Iob. *Memento mei, Deus, quia ventus est vita mea.* Vel vt attẽtè consideraret mortem, quæ nihil aliud est quã modici flatus exhalatio, & breue suspirium? Quando denique hortatus est, vt ignem ponderaret: nihil aliud innuere voluit, nisi vt intellectus libra seu examine ignem illum inferni, qui vnicuique ad pondus & mensuram, pro scelerum videlicet meritis infligitur: quemque omnes peccatores, qui ex animo ad DEVM conuerti renuunt, experientur, secum ponderaret. O quàm eximiam vtilitatem adfert homini hæc cogitatio. Profectò, si attentè secum ignem hunc peccatoribus præparatum reuolueret, fieri non posset, quin ad sui notitiam perueniret, & ad DEVM diligendum, vitamque ex virtutis præscripto instituendam se disponeret, ne ad æterna tormenta patienda, deuolueretur. *Fel valet ad vngendos oculos in quibus fuerit albugo, & sanabuntur.*

Quarta figura.

Psal. 118.

Quam existimatis esse horum Dauidis verborum sententiam, quando, ait, *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui?* Ea est. O Domine quia semper formidaui & etiamnum formido iudicia tua, quibus peccatores ad æterna incendia quorum sæpè memini, condemnas: hoc timore omnia membra mea ita confige, vt nullam in partem moueri, diuinamque maiestatem tuam offendere possint. Desumit autem Propheta, vti S. Basilius in ho-

milijs ait: metaphoram hanc ab homine, qui patibulo seu cruci conclauatus est, quem claui ita affligunt, & firmum fixumque retinent, vt se vllam in partem commouere non audeat, ne nouos dolores, quos claui ei propter minimam etiam corporis motionem adferrent, tolerare cogatur. Ita etiam Dauid affigi cupiebat clauo tremendæ Dei iustitiæ, vt ita conclauatus, ab omni peccato se abstineret, ne dolores quos æterni ignes peccatoribus adferunt, experiri compelleretur. O Christiane time tu etiam metuenda hæc Dei iudicia, memorare frequenter, tremendæ illius iustitiæ: hic enim timor, & recordatio hæc, tam arctè omnia membra & sensus tuos vinciet, vt Deũ offendere ausurus non sis: teque ita illuminabit, vt virtutes amplexaturus, vitiaque toto conatu vitaturus sis, *Fel valet ad vngendos oculos, in quibus fuerit albugo & sanabuntur.*

S. Basilius.

Eob. 6.

O auditores, nõ scitis dæmones semper ad exitium nostrum, paratissimos ac promptissimos esse? Huius rei solius recordatio nobis ad peccati fugam, & stabilitatem in obseruantia diuinorum mandatorum sufficiens esse deberet? Nostis enim, quando Taurus ferox, in spectaculis publicis, ad stadium solutus emittitur, omnes spectatores in tutum se recipere, vt ab illius furore, & elatis cornibus se tueantur: nec audent dimissis tutioribus locis in stadiũ ingredi, propter iræ ac ferocitatis tauri metum. Qui autem tauri ferociores & formidabiliores sunt dæmonibus, de quibus à Dauide dicitur. *Tauri pingues obsederunt me.* Quando hi mentes nostras per recordationem ingrediuntur, affirmare possumus, eos in

Simile.

Psal. 21.

ſtadium ſolutos emitti, quia vehementer nos perterrefaciunt & exanimant. Ideoque metu & timore hoc impulſi ad ſanctæ pœnitentæ virtutum, & bonorum operum tutamen confugimus, nec foras audemus egredi, ne illis præda fiamus. O quàm multi ſunt, qui formidantes ne à ferocibus hiſce Tauris malè tractentur, relictis vitijs, virtutes & bona opera complectuntur, adeoque ad ea quæ ſibi proficua vel nociua ſunt cognoſcenda, illuminantur. Verùm eſt igitur quod Angelus ad Tobiam ait *Fel valet ad vngendos oculos, in quibus fuerit albugo, & ſanabuntur.* O quantoperè laborat Dęmon vt hunc metum, atque hãc pœnarum inferni memoriam ex animis noſtris tollat. Nouit enim, quantæ vtilitatis illa ſit hominib⁹, & quàm innumeros per eã amittat.

Tob. 6.

Quare vt eam impediat, obijcit hominibus indeſinenter, voluptates & gaudia præſentis vitæ, quibus à ſalubri hac memoria abſtrahantur. Illuſtrabo id eleganti figura ad propoſitum faciente. Attendite.

Voluptates faciunt vt inferni obliuiſcamur.

Cur exiſtimatis Eſaiam Prophetam inferni tormenta, nominare *Tophet*, hoc eſt, *Gehẽna & Vallis ſtultorum.* Non aliam ob cauſam quàm quia infernus magnam habet conſenſionem ſiue correſpondentiam cũ loco illo qui dicitur Tophet, in quo Ammonitæ filios ſuos ſacrificabant; Quod vt intelligatur, notandum eſt illos coluiſſe Idolum quoddam cupreum, vaſtæ magnitudinis, interius excauatum, cui filios & filias ſuas in Valle, quæ nuncupabatur Tophet, ſacraficabant: prout legimus apud Prophetã Ieremiam: *Aedificauerunt excelſa Tophet, vt incenderent filios ſuos, & filias*

Ierem. 7.

lias suas igni. Id autem hoc ordine fiebat. Accendebant ignem in circuitu Idoli, & metallo benè calido & ignito, filios & filias sacrificio destinatas, per foramen quoddam, in ipsum idolum conijciebant. O DEVS quos gemitus, quos clamores edebant infœlices istæ victimæ, cùm ab igniti huius idoli calore comburerentur, & consumerentur. Proinde parentes & cæteri, qui impio & crudeli huic sacrificio intererant, ne infantum gemitibus mouerentur, aut eorum commiseratione tangerentur, instrumentis musicis adeo concrepabant, vt infantum gemitus & voces vix perciperētur.

Cum ergo animaduerteret Esaias infernum cum loco hoc maximam habere similitudiné, appellauit eum Tophet; licet minora in hoc, qnàm in illo, sint tormenta. Vultisne similitudinem hanc inter Infernum & Tophet, vbi tam crudele, & impium sacrificium peragebatur cernere? In Tophet sacrificabantur filij paruuli vsu rationis nondum præditi, qui exiguam rem magno coëmissent, pro pomo gēmam commutassent, & æque ad ignem quàm ad aquam manus extendissent. Ita in inferno torquentur peccatores, qui similes sunt infantibus ignaris, quia nolunt scire leges & præcepta Dei, ne ad illorum obseruantiam teneantur: pro pomo, id est, pro parua delectatione mundana, semetipsos spoliant prætiosa gemma cælestis paradisi, & manus appetituum suorum absque vllo timore ad ignem libidinis & concupiscentiæ applicant. Paruuli illi conijciebantur in idolum ignitum. *Hi* autem in ignem inferni cum Idolo, id est, diabolo sociantur. Illi cum adurerentur, gemiti- *Simile.*

 bus

bus & clamoribus omnia complebant, verùm à circumstantibus non audiebantur propter organorum musicorum & tubarum strepitũ. Et hi ardentissimis gehennæ incendijs, dum torquentur, vehementer quidem plorant, vociferantur, & strident, at à nobis, qui (instinctu diaboli & sensualitatis nostræ) in cantibus, iocis, & voluptatibus mundi & carnis occupamur, nõ modò auribus, sed ne cogitatione quidem percipiuntur. Vnde S. Augustinus. *Ibi, ait, sunt gemitus, & suspiria, & non est, qui misereatur, ibi est dolor, planctus, & clamor & non est qui audiat.* Ex eo autem quòd nimium intenti sumus rebus hisce mundanis, quę fructuosam & vtilem hanc memoriam impediunt, fit, quòd illis qui in ima inferni regione æternis ignibus cruciantur non compatimur: quòd nullum in nobis dolorem sentimus, quando à concionatoribus & alijs tormenta reproborum percenseri audimus, quòd nihili ea pendimus, quòd nõ iudicamus digna esse quæ timeantur, quòd denique læti & securi vitam in peccatis traducimus? O Musicam diabolicam! O voluptates mortiferas! O gaudia nocentissima! O quàm ingens est stultitia nostra! ô Christiani Desinamus tandem obsecro, desinamus canere, & nos totos impendere rebus mundanis & carnalibus, quas suggerit diabolus & sensualitas nostra: expẽdamus diligenter gemitus & tormenta inferni, sic enim perueuiemus in notitiã illorũ quæ sequĩ & quæ fugere debeamus, ne ijsdem tormentis inuoluamur. *Fel valet ad vngendos oculos in quibus fuerit albugo & sanabuntur.* O auditores, *Pœnæ saltem nos terreant, si præmia non* inui-

August. ser. de inferno.

Tob. 2.

inuitant,vt resipiscamus à peccatis. Vti S. Augustinus monet. Nescio certè quomodo fieri possit,vt has inferni pœnas considerando, non versemur in continuo timore: & delectationes sensuum mundiq; huius voluptates prorsus non abominemur,vni tantum cogitationi salutis animæ, & cœlestis gloriæ, inhærentes.

Plures descendunt ad inferos quã ascendunt ad cœlos.

Simile.

Dicite quæso fratres, si in spaciosissimo quodam campo, congregata esset, infinita multitudo hominum, qui vel per angelicam, vel per diuinam reuelationem certiores redderentur,casurum è cælo fulmen, quod vnum aliquem ex vniuersa illa multitudine perimeret:nesciretur tamẽ quisnam ille esset: nonne tota illa multitudo hominum timore concuteretur; Nonne quisque sibi timeret à noxio hoc fulmine?Nonne quisque ad DEVM preces funderet,vt à cœlesti & mortifera hac sagitta præseruari mereretur? Num aliquis in tanta multitudine toto illo tempore vel somnum capere, vel cibum potumue sumere posset?Amplius dico,si reuelatio diuina & infallibilis dictitaret ,fulmen hoc non solum perditurum vnũ, sed quartam partem illorum, nonne multò maior timor & horror esset in omnibus & singulis?Maiora adhuc dico,si reuelatio cœlestis & ineuitabilis doceret fulmẽ hoc,non vnum solum, vel quartam partem illorum, sed omnes penè internecione deleturum,paucis exceptis,nonne multò adhuc maior & iustior esset tremor ac pauor in omnibus?Nonne cuiuslibet eorum membra tremerent,cor palpitaret,sanguis congelaretur?Nũ aliquis eorum interea cibum,potum,vel som-

num caperet? Nonne vnusquisque orationes ac preces feruentissimas ad Deum, Christum, Mariam, & Sanctos funderet, quò ab ictu lethalis huius sagittæ præseruaretur? Si autem quispiam ex illa multitudine videretur inambulare, iocari, ludere, ridere, saltare, crapulis & ebrietatibus indulgere, milleque alijs vanitatibus mũdi se implicare, nonne amẽtissimus esse iudicaretur? Ita certè. Audite nũc & obstupescite de maxima nostra stultitia, qui cũ nobis omnibus multò maius periculum imminere certa reuelatione didicerimus, attamen sine omni timore viuimus, & concupiscẽtijs vanitatibusq; seculi huius intẽti sumus.

O fratres, fratres. Nobis imminet fulmen & sagitta summè lethalis, & extimescenda, id est, Iustitia Dei, qua punit peccatores æterna morte. Nouimus ex sacris literis quæ sunt reuelationes diuinæ & infallibiles, adfuturum aliquando diem, quis autem ille sit ignoramus, qui sempiternam mortem dabit non vni duntaxat, vel quartæ parti, sed multò maximæ parti hominum? Certissimum, id est, quia prędictum à Spiritu sancto, qui non mentitur, per os Esdræ. *Futurum*, inquit, *sæculum fecit Altißimus propter paucos. Multi quidem creati sunt, pauci autem saluantur*. Idem & Christus filius Dei & summa veritas apud S. Matthæum affirmat. *Multi*, inquit, *sunt vocati, pauci vero electi.*, id est, multi sunt vocati ad aquas sacri Baptismatis, & gaudia cœlestis paradisi, sed pauci sunt electi, qui eò conscensuri sint. Si pauci ad cœlum migrant; si pauci saluantur; si pauci sunt electi; ergo multi ad infernũ descẽdunt, multi damnantur, multi reprobi sunt, & ad-

Esd. 7.

Matt. 20.

& adiudicantur æternæ morti. Itaque veriſſi-
mum eſt, fulmen diuinæ iuſtitię maiorem par-
tem hominum proſtraturum, & illis in arden-
tiſſimo inferni igne mortem ſempiternam il-
laturum eſſe. Id ergo cùm certò nouerimus,
cur non perpetuo in timore ac tremore ver-
ſamur? Cur non aſſiduè nobis palpitat cor?
membra tremunt? Sanguis congelatur? O Be-
nedicte DEVS, quomodo in tantis periculis
ſomno, crapulis, iocis, concupiſcentijs, mun-
diq́ue vanitatibus indulgere audemus. Cur nō
continuis precibus inſiſtimus, & geniculati
DEVM & ſanctos pro horrendi fulminis hu-
ius auerſione oramus? Sed eheu quid video? O
nos fatuos & ſtultiſſimos, qui in tanto pericu-
lo conſtituti, omnibus vanitatum generibus,
nihiloſecius nos immergimus: hic otio &
ſomno, ille iocis & tripudijs, alius cantibus &
ſymphonijs, alius ſaltationibus & choreis, aliꝰ
crapulis & ebrietatibus, aliꝰ mēdacijs & deri-
ſionibꝰ, alius laſciuijs & ſenſualitatibus, alius
fraudibus & deceptionibꝰ, aliꝰ pōpis & faſtui,
milleq; alijs vitijs, voluptatibus & vanitatibꝰ
carnalibus. O fratres ſi extimeſcimus fulmen,
de cœlo delapſū, cur non magis timemus ignē
illum æternum, à diuina iuſtitia proceden-
tem. Nam illud in momento præterit: hic ve-
rò nunquam deſinit affligere & cruciare pec-
catores, illud poſt mortem illatam, relinquit
homini ſpem futuræ vitæ, & ſupernæ gloriæ;
in hoc verò (ô nos infœlices!) certitudo eſt
æternæ mortis & perpetuæ pœnæ. Sed quo
maiorem vobis timorem inijciam, atque iu-
ſtitiæ diuinæ, pœnarumq́ue inferni terrore
compleam, vt malis actionibus dimiſſis bo-

nas amplectamini: vanitatibus, & vitijs desertis, virtutum exercitijs insistatis; vt sic à cœlesti fulmine, & igne inferni præseruemini: alio quodam exemplo demonstrabo, & ante, oculos ponam, quid vobis euenturum sit, si Deum offenderitis, illiusque sanctissima præcepta transgressi fueritis.

VI.

Exemplum quo docetur ignem inferni supra modũ damnatos cruciare.

FIngite animo in lata aliqua platea ingentem fornacem, igne maximo succensam, qui sine fine ardeat, & in eo constitutum hominem viuum, nudum, infirmum, ac debilem: qui non statim moriatur, neque suffocetur, quemadmodum illis qui iudicum sententia viui concremantur, fieri cõsueuit; sed semper in igne viuus persistat, sine vlla spe euasionis: dicite quæso quàm copiosas lachrymas ille profunderet? Quantis clamoribus, vociferationibus, gemitibus aëra compleret? O Christiane si tu in camino hoc constituendus esses, quæ non vota Deo, Sanctisque faceres? quid non pollicereris ei qui te ab ardentissimo hoc igne liberaret? quæ non dona & præmia largireris pro supplicij huius euasione? O quàm libens eam pœnam, pro omni alia commutares? In eius comparatione, videretur tibi dulcis extrema paupertas, perpetuus carcer, condemnatio ad triremes, captiuitas perpetua, & omnes aliæ grauissimæ afflictiones & oppressiones. Sed, ô peccator verissimum est, te, dum in peccatis viuis, ad fornacem igneam hac multò terribiliorem, plenam igne ardentissimo & fœtidissimo, omnis alterius ignis, etiam validissimè succensi, incendia, lõgè superantem, condemnatum esse? O te infœlicẽ,

fornax

fornax ista infernus est, Non audis Christum dicentem de peccatoribus apud S. Matthæũ: *Mittet eos in caminum ignis ardentis, ibi erit fletus & stridor dentium*. In medio huius incendij ô te miserum, nudus, infirmus & semper viuens, sine vllo interitu & consumptione tui-ipsius permanebis. Infirmus, addo, quia omnes reprobi resurgent in corporibus debilibus & infirmis: atque ista infirmitas immensi doloris materiam illis suppeditabit. Audi. *Mat.1[?]*

Aiunt sacri Doctores corpora damnatorum post iudicium futura esse adeò sensitiua, vt etiam ex minimo tormento maximum cruciatum sensuri sint. Tunc enim corporibus eorum grauiorem dolorem adferet solus contactus, quàm vel nunc percussio & flagellatio grauissima: imò (verissimum est quod dico) erunt adeò sensibilia, vt leuissimus etiam contactus vnius capilli maiorem illis dolorem & cruciatum allaturus sit, quàm si in hoc mundo viui igne cremarentur. Vnde S. Iob de damnato loquens ait. *Omnis dolor irruet super eum.* *Iob.20.*
Idque experientia nos docet. Nam in hac vita sunt quædam corpora infirma, adeoque sensitiua (vti podagricorum) quæ solo ex contactu adeo ingentes experiuntur dolores, vt elata voce exclament ac vociferentur: imò si linteis tenuibus, mollibus, & delicatis quæ sanis magnam delectationem & recreationem suppeditarent, loca eorum affecta contingas, grauissimo eos dolore afficeres: sed quid dico si contingas, imo si fingas tantum te illos aut linteamina quibus inuoluti iacent, velle contingere, ita exclamãt, quasi graui vulnere sauciati forent. Quid mirum igitur quòd corpora damnatorum quæ multò magis sensibilia, *Simile.*

& infirma sunt corporibus podagricorum, ex solo minimæ etiam partis contactu maximum dolorem sensura sint? Cæterùm infœlices illi non attingentur in vno tantum capillo, vel in minima parte, sed in toto corpore; non ab vna manu, neq; à linteis mollibus; sed ab igne & gelu, dæmonibus, & cæteris damnatorum corporibus, quibus in tormentis, propter sceleris communionem colligati erũt. Nam teste

Bern. in med.

S. Bernardo, *qui socij fuerunt in vitijs, socij erunt in pœnis: Vna namq; pœna illos implicat, quos vnus amor in crimine ligat*: Et S. Gregorio in mora-

Greg. 4. moral.

libus vbi ait: *Pares cum paribus in tormentis similibus sociantur: vt superbi cum superbis, luxuriosi cum luxuriosis, auari, cum auaris, fallaces cum fallacibus, inuidi cum inuidis, infideles cum infidelibus ardeant*. Atque hinc fiet vt cùm propter summos, quos patientur dolores, modò in hanc, modò in aliam partem, se conuerterint, membra eorum inter se validè collidantur. Aderunt præterea dęmones, qui miserandum in modum illos dilaniabunt. Audite eun-

S. Bern. in serm.

dem S. Bernardum in sermonibus. *Ibi clamabit dæmon ad dæmonem, percute, dilacera, interfice, velociter spolia, detrahe, cito prædare, infer prunas, & ebullientibus impone lebetibus.* Nos igitur miseri peccatores ad hunc ignem atque ardentissima hæc incendia, æterno tempore toleranda condemnati sumus, & tamen Deum non timemus, nostrósque errores non corrigimus, nec (ô nos stolidos & imprudentes) audimus dictum illud S. Gregorij nono mora-

D. Greg. 9 moral.

lium: *Tunc edax flamma comburet, quos nulla carnalis delectatio polluit*. Eheu comprehendere nequeo, quomodo fieri posşit, vt considerã-

do hunc

do nunc ingentem ardorem, hoc incendium dolore plenissimum, acerbissimum hoc martyrium; non quæramus loca deserta, inculta, & ab hominum consortio remota, quæ toto tempore vitæ incolamus, radicibus herbarũ, & potu aquæ frigidæ, naturam sustentando, ieiunijs, vigilijs, disciplinis, alijsque afflictionibus corpus atterendo, & peccata amaris lachrymis expiando. O Christiane si viuus conijcereris in ardentem illam fornacem, de qua paulò ante dixi, duæ tibi superessent consolationes: vna, quod certus esses breui tempore dolores illos finiendos. Altera, quòd post verum de sceleribus admissis, dolorem & pœnitentiam conceptam, aliam meliorem, & beatiorem vitam in futuro sæculo sperare possis. At si in illum infernæ regionis ardentissimum ignem conijceris, quæ tibi superesse potest consolatio, cùm certus sis supplicia hæc nunquam finienda, & ad supernam beatitudinem nullum tibi aditum patere? Cæterum adferam & aliud exemplum ad propositum nostrum apprimè faciens. Si cum carissimis amicis & consanguineis tuis iucluderetis (vti inclusus fuit S. Eustachius cum vxore & duobus filijs à crudelissimo Imperatore Adriano, quemadmodum in historia Ecclesiastica legimus:) tauro æneo, sub quo flagrantissimus ignis accensus esset, vt vna cum illis comburerêris, quàm incredibilis dolor te occuparet, quando cerneres, te ignito huic metallo, ita inclusum, vt nullam in partem te valeas conuertere, & illos tecum quos in vita carissimos & amicissimos habueras? Quantus præterea illos dolor, propter tui conspectum inuaderet; *Exemplum.*

qualis

qualis ſtridor, vociferatio, vlulatus & clamor per ventrem, nares, os & aures excauati illius æneí tauri reſonaret? Hoc tibi cogitandum relinquo. Hinc collige quis dolor eorum, qui in inferno conſtituti ſunt, futurus ſit, qui in loco multò ardétiori & inflammatiori, quàm Taurus ille ſit, ita concluſi ſunt, vt nullam in partem ſe poſſint commouere. Quorum præterea plurimi in ijſdem tormentis & igne vxores, filios, affines & amicos ſecum vident cruciari. Hæc te ſors manet ô peccator, niſi vitam in melius commutaueris. Addo & hoc, vt intelligas, mitiores tibi videri omnes maximas huius mundi calamitates, quàm ignem temporaneum, quantò magis ſempiterna gehennæ incendia. Dic mihi obſecro, ſi tibi à Domino tuo, vel ab eo, ad quem auctoritas tibi imperandi pertinet, propter graue aliquod ſcelus diceretur, vel perſta in igne ardẽti vnius horæ ſpatio, vel vade ad triremes, vt ibi aliorum ſis mancipiũ & longiſſima crudeliſsimaq; captiuitate multis annis opprimaris. Nonne citiùs eligeres captiuitaté diuturnam, quàm ignem breuiſſimum? Imò certus ſum, nullã eſſe pœnam, nec vlla incommoda & moleſtias tam graues, quas non libentiùs ſuſtineres, quàm ignis incẽdia non dico vna hora, ſed medio quadrante vnius horæ. Heu quid futurum eſt de te, ô Chriſtiane ſi peccator fueris, qui non per ſemi quadrantem, vnius horæ, nec per vnam duntaxat horam, ſed ſemper & perpetuò, in ardentiſſimo & fœtidiſſimo igne Inferni, manſurus es. Cur ergo non deſeris omnes huius mundi voluptates? Cur non mauis omnem potius laborem, miſeriam, & calamitatem

huius

huius vitæ perpeti, vt euites hunc ignem? cur bonas actiones moliris, virtutum exercitia non complecteris, in Dei obsequijs non perseueras, carnem tuam ieiunijs, & abstinentijs non maceras, omnesque voluptates & delicias, quas mundus promittit, non contemnis, quò possis effugere æternum hoc incendium? O Christiane quomodo fieri potest, vt in continuo timore ac tremore non verseris, dum tecum expendis ignem hunc tam magnum, incendium hoc tam calamitosum, fornacem hāc tam ardentem, locum hūc tam inflammatum? Amplectere quæso consilium meum, considera sæpius intolerabiles hos inferni ignes; nam isti illuminabunt oculos animæ tuæ, mentem & affectum: mentem, vt cognoscendo malum fugias, & bonum amplectaris: affectum, vt virtutem ames, & vitium odio prosequaris. *Fel valet ad vngendos oculos, in quibus fuerit albugo & sanabuntur.* Tob. 6.

VII.

MAgnæ profectò sunt pœnæ Inferni, & tamen illas flocci pendimus, dum ita vitam instituimus quasi non essent. Exiguę & vix alicuius momēti sunt mundi huius diuitiæ & voluptates, quas tamen magni æstimamus, dū totis viribus eas consectamur. Vnde autem oritur hic noster error? Vultis vt dicā? Attēdite.

Ea quæ mūdi sunt nobis videtur magna & pœnæ inferni parua, cùm tamen contrario modo se habeat.

Noster hic error inde proficiscitur, quòd interim dum in hac vita sumus, pœnæ inferni cum sint reuera maximę, nobis leues & exiguę esse videantur, ac proinde illas nihili æstimemus: Opes verò ac voluptates mundi, cùm reuera exiguæ & nullius momenti sint, nobis magnæ esse videantur, ideoq; magno in pre-

Exemplum.

tio illas habeamus. Sed infœlices nos, si propter scelera nostra ad imam inferni regionem aliquãdo descenderimus, contrarium verum esse dãno nostro experiemur, illas videlicet, maximas, has minimas esse: tumque, sed tardè nimis errorem nostrum agnoscemus. Declaro rem exemplo: Dicite mihi obsecro, quando rem aliquam à lõgè aspicitis, licet magna sit, nonnè parua esse videtur? Et quando eam, è vicino intuemini, nonne etiamsi parua sit, magna tamen apparet? Ita planè se res habet. Audite modò. Dum in hoc mundo viuimus, opes ac cætera, quæ illius sunt, è proximo aspicimus, ac proinde magnas esse summaque in existimatione habendas censemus. Sed pœnas inferni, à longè intuemur, & idcirco exiguas & minoris momenti illas esse iudicamus. Ex hoc autem errore nostro fit, vt toto cum affectu illas amplectamur: has autem contemnamus. Imò vt illis potiamur, has non curamus, & subire non detrectamus. Sed ô infœlices nos peccatores, quando ad ima illa inferni domicilia descenderimus, omnia contraria nobis euenient, Pœnæ namque inferni, quas tum è vicino intuebimur & sentiemus, maximæ & immensæ nobis esse videbuntur, vt reuerà sunt; Ea verò quæ mundi sunt, quæ tum è longinquo aspiciemus, minima, nulliusque reputationis & momenti, vti reuera sunt, esse censebimus. Id verò cruciatus nostros mirum in modum augebit, cùm viderimus nos propter res tam exiguas, & parui momenti, ad hæc tormenta tam grauia, immensa, & intolerabilia deuolutos esse. O expendamus ista diligenter cum animis nostris, & facilè mundum, & omnia

Exemplum.

& omnia quæ mundi sunt, tanquam nullius pretij contemnemus: contra verò pœnas inferni quę reuera magnę sunt vehementer formidabimus: atque ex huius veritatis cognitione illuminabuntur oculi mentis nostræ, ad mundi vanitates & multò magis inferni tormenta odio habenda. *Fel* namq; *valet ad vngẽdos oculos in quibus fuerit albugo & sanabuntur.* *Pœnæ huius mundi aliud sunt respecta pœna inferni.*

O Christiani, Captiuitates crudelissimæ, infirmitates, cæteraque mala quæ nobis in hac vita adeo grauia esse videntur, parua sunt, imò nulla sunt si cùm inferni malis conferantur. Attendite quæ dico, & diligenter ea vobiscum expendite. Si hic à Turcis in miserrimam captiuitatem abducimur, sumus tamen inter homines: at in inferno constituti, inter cacodæmones versabimur. Hinc vincimur cõpedibus, at illic catenis vndique circumdabimur. Hic si in seruitutem redigimur, fruimur nihilominus luce diei: ibi perpetuis in tenebris degimus. Hic in terra iacemus: ibi supra globos ignium. Hic in stabulis dormimus & habitamus, ibi in sempiterno illo fœtore omnibus huius mundi stabulis putentiore morabimur: Itaque captiuitas inferni multis modis superat omnem captiuitatem huius sæculi. Quare si plurimùm nos affligit esse captiuum & seruum in hoc mundo, quantò magis cruciabit, eadem in altero sæculo captiuitate premi? Conemur ergo bonorũ operum, & sanctarũ virtutum exercitijs hàc captiuitatem & seruitutẽ effugere, quàm maximè possimus.

Præterea si quando opprimimur hic febri, aliqua vehementiori, adeò æstuamus, vt nos intrinsecus ardere & palatum nostrum penè

aduri, existimemus: ideoque ad extinguẽdum tantum feruorem ad limpidos fontes, & ingentia pocula mero plena, ingenti desiderio suspiramus, ita vt etiam aquæ fluminum, fontium, & omnium cisternarum ad restinguendam sitim nobis sufficientes esse vix videantur. Quid faciemus ergo miseri, in ima illa sempiternæ miseriæ regione, in maximis illis caloribus, & ardoribus perpetuis? Quando ab immodico calore intus & extra nos amburi, palatumque siccari, & vehementissima siti æstuare sentiemus, sed facultas eam sitim restinguendi, nulla dabitur: concupiscemus quidem puteorum, fontium & torrentium aquas, attamen ne vnã quidẽ guttã impetrabimus, sicuti nec impetrauit diues ille epulo, cuius in hodierno Euangelio sit mentio. Adhæc si æstiuo tempore calores nobis adeò molesti sunt, vt auram, & loca frigida seu temperata inquiramus: & in lecto iacentes leuem culcitram, aut linteamen molle supra corpus pati nequeamus, eo quod illa nobis admodum grauia esse, libertatemque spiritus hauriendi intercludere videantur, ideoq; illa prorsus reijcimus & nudi somnũ capimus, modò in hanc, modo in aliã partem, recentem aurã captandã nos conuertendo. Quid faciemus in illo calore infernæ regionis vehementissimo? quomodo illum sustinere poterimus? præsertim cùm ibi nulla spiret aura, nullus adsit locus refrigerans: sed omnia calor & ignis flagrantissimus occupet, atque etiam (maioris pœnæ causa) glacies frigidissima. O Benedicte Deus si delicatus nullum perferre laborem, si in delitijs enutritus, Solis ardores sustinere nequit: si

viro

viro honorato inter infames versari, acerbissimum & morti simile est, quid erit nobis inter tot homines sceleratos & infames, in ardentissimo igne degere laborando indesinenter in asperrimis tormentis? O Christiani si hominis morientis commiseratione adeò vehementi tangimur, vt non possimus illum videre diu in agone constitutum, & laborátem, ideoque festinam & subitam illi mortem optemus, vt tantò citius pericula & angustias mortis effugiat. Cur nostrijpsorum non maior nos tangit miseratio, qui si in peccatis defuncti fuerimus, in tartarea illa regione infirmi iacebimus, non in molli lecto, sed in igne flagrantissimo & continuò permanebimus, in maxima, quæ imaginatione fingi possit agonia sine morte? *Erit*, inquit S. Gregorius, *miseris mors sine morte, defectus sine defectu, quia mors ibi semper incipit, & defectus deficere nescit.* O nos infœlices, desiderabimus tunc mortem; sed illa fugiet à nobis, imò vt semper in summa hæc agonia persistere valeamus, illa pascet nos, at non alio cibo, quàm tristitia, afflictione, & tormentis. Nam de reprobis qui in inferno cruciantur, scriptum est: *Et mors depascet eos.* O Christiani si tantoperè compatimur agonizantibus in hoc mundo quare non magis compatimur agonizantibus in altero sæculo: imo nobismetipsis, qui si ad imam illam inferni regionem descenderimus, maxima, quæ in mundo esse possit, laborabimus agonia? Hæc sepè nobiscum obsecro reuoluamus, vt oculi nostri illuminentur, vt vitia fugere, virtutes amplecti, illa odisse, has amare discamus Nam. *Fel valet ad vngendos oculos*

culos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur. Sic autẽ euadere poterimus aspera hæc martyria.

VIII.

Hoc quod damnati regant in inferno dat illis pœnam.

O Fratres perpendamus & hoc: quod omnia quæ subtus & supra, antè & post, ad dexteram & ad sinistram reproborum sunt, maximum illis cruciatum adferent. Supra se habent paradisum clausum, subtus abyssum inferni apertam; antè se suppliciorum æternitatem, post se memoriam bonorum amissorũ: à dextris dæmones à sinistris cæteros damnatos, circa se ignem; intus perpetuas angustias, exterius horrorem: Quapropter ne & nos ab eadem labyrintho & maximis illius tormentis inuoluamur, scelera nostra dignis pœnitẽtiæ operibus expiare studeamus.

Fratres mei si tantam pœnitentiam egerunt Niniuitæ, cum audirent à Iona propheta sibi ciuitatis excidium, & mortem temporaneam denunciari, vt cilicijs se induerint, capita cineribus consperserint, non homines modò, sed etiam animalia bruta ab omni cibo abstinere iusserint, quò DEVM sibi redderent propitiũ, quãtam nõ Christianos agere oporteret pœnitentiam ad ruinam animæ nostræ & noctem æternam effugiendam. Si Rex Achab idolorum cultor, homicida, & omnibus impietatis titulis insignitus, cùm ab Helia denuntiata illi fuisset domus ruina & mors temporanea, confestim regijs vestibus se spolians, carnem cilicio contexit, in sacco cubauit, ieiunijs & alijs carnis afflictionibus DEVM sibi propitiare studuit: Quid nobis Christianis faciendum erit, quibus propter scelera perpetrata grauis ruina, & mors certa atque secu-

ra; non

ra;non temporalis, sed æterna & perpetua in sacris literis denunciatur? Cur animo hæc repetentes non incumbimus ieiunijs & abstinētijs? cur mala totis viribus euitare, ad DEVM toto corde cônuerti, atque coram illo nos humiliare non satagimus: cur ei firmo cum proposito non pollicemur, vitium fugere, virtutem amplecti? malum relinquere, bono adhærere? vanitates mundi contemnere, & gaudijs cælestibus inhiare? Voluptatibus & caducis bonis omnibus mundi huius quæ nobis diuinæ offensæ, & ignis æterni subeundi causa sunt, nuncium mittere, & toto corde, atque affectu ad DEVM, veraque & sempiterna superna fœlicitatis bona anhelare? Addam & hoc priusquam finiam, quo videlicet demonstrem errorem, & iudicium malè sanum plurimorum in ijs quæ nocent amplectendis, & quæ iuuant refutandis. Dicite mihi, amabo vos fratres, si potentissimus aliquis Princeps, & summus mundi & hominum dominus nobis diceret: Ecce hic magni thesauri & diuitiæ vnius regni: reconditæ iacent, quas vobis dabo, si quid laboris & incommodi sustinueritis mei gratia. Et è contrario etiam diceret: Ecce hic grauissima tormenta & ignis flagrantissimus, paratus est: in quem vos conijciam, si nihil laboris aut molestiarum mei causa perferre, sed vestris potius concupiscentijs & mundi huius voluptatibus indulgere volueritis. Quid quæso eligeremus? cui parti adhæreremus? si posteriori, priorem recusando & refutando, nōne stultissimi essemus & omni prorsus iudicio destituti? Vtique. O Christiani, scio, & vos vnà mecum scitis, potentissimum quendam

Error mundi in eligendo vitio, & relinquenda virtute.

Principem & summum non modò terrę, sed etiam cæli & totius vniuersitatis dominum promittere immensos thesauros cælestis gloriæ, & diuitias superni regni in plurimis locis sacræ scripturæ, illis duntaxat, qui in præsenti vita, aduersa pati & benè agere student, non supra, sed multò infra vires: tormenta verò & ardentissima inferni incendia, ijs, qui molliter viuunt, ac vitijs & concupiscentijs indulgent. Et nihilominus video maximam partem nostrûm in magna dissolutione & vitiorum licentia ætatem transigere? Inde autem quid aliud iudicare possum nisi nos amentissimos, & omni prorsus iudicio orbatos esse, quãdo quidem adeò grauiter in electione harum duarũ partium impingimus? Sed, ô infœlicitatem nostram! quando è vita hac migrauerimus, sempiternis lachrymis & doloribus hunc nostrum errorem deplorabimus, & nos stultos, imprudentes, & iudicij expertes in electione nostra, fuisse confitebimur.

Num de veritate eorum quæ dico ambigitis? Audite querelas & lamenta eorum, qui in inferno sunt, quibus deplorant hunc suum in electione admissum errorem. *Errauimus,* Sap. 16. inquiunt *à via veritatis. Quid profuit nobis superbia nostra? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam vmbra, & nos malignitate nostra consumpti sumus.* Quod idem est ac si dicerent. Modò nos infœlices & miseri, cum summo cruciatu & dolore nostro errorem in electione, quam DEVS nobis permiserat, commissum cernimus. Errauimus relinquendo vera bona, & sectando falsa & apparentia, negligendo virtutes & in-

hærendo

hærendo vitijs. Quid profuit nobis arrogantia? quid honores? quid diuitiæ? de quibus maximoperè gloriabamur? omnia illa tanquam vmbra & somnus præterierunt. Inspirationes bonæ, & sanctæ admonitiones à nobis per vnam quidem aurem admittebantur, at per aliam elabebantur: voluptates & gaudia mundi, summo cum affectu à nobis quærebantur, & amplectebantur. Idcirco nunc iustè à malitia & malignitate nostra in æternis hisce tormẽtis absque vlla spe euasionis consumimur. *In malignitate nostra consumpti sumus.* O lachrymabiles & dolorosi quæstus. S. Pater Augustinus in sermonibus suis hunc locum declarãs affirmat, damnatos in inferno his vti querimonijs: *Quid profuit nobis superbia nostra? diuitiæ, honores, dignitates, luxuria, gulositas, & omnes delectationes carnales, quid profuerunt nobis? ecce omnia transierunt quasi somnia, quasi fumus & vmbra, & quasi non fuerunt & nos cruciatibus deputati sumus & supplicijs æternis,* Hæ erunt etiam, Auditores, lamentationes nostræ, si errauerimus in electione veri boni; si relicta virtute, vitium sectati fuerimus. Et simul cum illis agnoscemus, quàm parum nobis profuerit elatio nostra; quàm parui pretij fuerint honores nostri, diuitiæ nostræ, voluptates nostræ, (somnia, fumus & vmbræ verorum bonorum) quæ adeò velociter transierũt quasi non fuissent, quando propter illa supplicijs æternis deputabimur. Hæc diligenter quæso nobiscum reuoluamus, vt illuminentur oculi mentis nostræ, ad cognoscenda vera bona, fictaque & falsa fugienda. *Fel*, enim, S. August.

valet ad vngendos oculos, in quibus fuerit albugo
Tob.6. *& sanabuntur.* O fratres si possemus aures ad infernũ arrigere, audiremꝰ procul dubio clamores, vociferationes, vlulatus magnos & inconsolabiles eorum, qui in his electionibus errarunt: illorum videlicet qui maximis olim dignitatibus in mundo floruerunt, Alexãdrorum, Cæsarum, Octauianorum, aliorumq; Monarcharum, qui se fœlicissimos arbitrabãtur. Isti si loqui possent, his verbis nos alloquerẽtur. Vtinam nobis qui in hoc mundo fortunatissimi fuimus, nunc autem miserrimi & infœlicissimi sumus, facultas redeundi ad mundum concederetur, nihili æstimaremus deinceps ciuitates, prouincias, regna atque dominia: dominium nostrum esset paupertas & miseriæ: syluæ, solitudines, & loca deserta essent habitationes & domicilia nostra: non ampliùs armis ferreis atque splendentibus tegeremur, ad dimicandum contra homines: sed cinere, cappa grisea & cilicio ad debellandos dæmones humani generis hostes: non lancea aut gladio nos armaremus, sed baculus quo flumina transilire, canum insultus repellere, & emaceratum ac fatigatum corpus sustentare possemus, gladij & lanceæ vicem suppleret.

Non ampliùs circumdaremur magnis exercitibus, sed arboribus, fruticibus & lachrymis in solitudine: non indueremur deincepss purpura & bysso, sed sacco & cilicio; non frequẽtaremus spectacula aliaq; iocorum & voluptatum irritamenta: sed exercitaremus nos assiduò in disciplinis & mortificationibus: nec videremur ampliùs ridere sed semper flere. O quã reputaremus nos fœlices & beatos, si no-

bis

bis cōcederetur, pretiosū illud benè agēdi tēpus, quod vos modò inutiliter traducitis: minimá illius partem otiosè non transigeremus, sed potiùs omnes dies, noctes, & horas seruitio Dei & saluti animarū nostrarū cōsecraremus. Sed nos miseri nūquā impetrabimus prętiosum hunc thesaurū tēporis, nec vnquā perficere poterimus, quod modò summa cum animi anxietate & dolore desideramus.

Quamobrem ô christiani quoniā nobis tēpus, quod illis negatum est, adhuc conceditur, expendamus illud vtiliter in operibus bonis, in sanctis exercitijs & virtutū christianarum actionibus; memoria nobiscū repetētes, quòd, *Post tempus, non erit tempus*, id est, Post tempus præsentis vitæ nihil aliud tēporis ad benè agendum, nobis concedendum sit. Proinde *dum tempus est operemur bonum*. Confugiamus ad dominum, feruentissimis precibus opem illius implorando & dicendo. O summe domine cæli & terræ: qui vt inferni portas obfirmares, è cælo in terram descendisti: & sub asperis flagellis, pungenti corona, ac duro sanctæ crucis ligno pretiosum sanguinem tuum, vt ignem æternum restingueres profudisti: adiuua nos efficaci gratia tua, vt auxilio tuo roborati, atque suffulti, vitia fugere, virtutes amplecti: malas actiones deserere, bonas vero totis viribus sectari; illa propter inferni supplicia odisse, has verò, propter superni regni gaudia diligere studeamus, vt sic æterna tecum beatitudine ac gloria potiamur, atque in omnem sæculorum æternitatem vnà cum sanctis omnibus, tecum viuamus & regnemus. Amen,

R. D. GABRIELIS FICHINO CANONICI REGVLARIS LATERAnensis.

CONCIO DE REGNO CAELESTI.

Habita in Domo Rauennatensi, dum eiusdem Congregationis Capitulum generale ibidem celebraretur. In Euangelium.

Accesit ad IESVM Mater filiorum Zebedæi &c. Dic vt duo filij mei sedeant, vnus ad dexteram, alius ad sinistram in regno tuo. Matth. 20

ANNO incarnationis Dominicæ. 1574.

PROOEMIVM.



GENEROSAE *Aquilæ instar infirma & terrena hæc pro nihilo ducens, in cœlos volatum intendere, atque oculos in aureum ac fulgentissimum summi Solis globum defigendo illud bonum vobis explicare statui, cuius cupiditate omne pectus ardet: ad quod omne cor suspirat, ad quod omnis spiritus anhelat, in quo desiderium omne conquiescit, verum illud bonum de quo omnis lingua loquitur: calamus omnis scribit; quo omnium cupiditates & voluntates satiantur: quo adepto nihil vltra intellectus concupiscit, nec voluntas desiderat: quod hominem implet: quod animas satiat: quod Angelorum & hominum sitim ac desideria explet. Huic me, quoad fieri potest animo coniungere aueo, vt deinceps nulla huius mundi dominia, nullas dignitates, nulla bona deinceps suspiciam & admirer. De* gloria

gloria inquam cœlestis regni hodie sermonem instituere animus est: & demonstrare, qualis illa sit: quid in illo Paradiso inueniatur ac possideatur: quomodo anima DEO societur, quomodo in DEVM subleuetur, quantisque bonis cùm hoc adepta fuerit, locupletetur. Quæ profectò, noua & admiranda materia est: non enim dicturus sum, qua ratione ac methodo beatitudo hæc acquirenda sit, de quo multi hactenus varia commentati fuere, sed quale illud bonum quod in cælis reperitur, quo perfruetur anima in vitæ huius termino, quod in patria intuebimur: quanta denique quæ DEVS diligentibus se reseruat: de quo paucissimi hactenus posteritati aliquid tradiderunt.

Hæc est illa gloria, illud regnum, quod mater filiorum Zebedæi, in hodierno Euangelio à Christo filijs suis postulauit, quamuis quid peteret, ignoraret Dic, ait, vt hi duo filij mei, sedeant, vnus ad dexteram, alius ad sinistram in regno tuo. Quibus verbis motus hodie de tam nobili & sublimi obiecto tractare statui.

Nunquam mortalium aliquis opus aliquod magis arduum molitus est: Id enim de quo loquor est sublime: de quo tracto, est occultum: quod explicare instituo, ab omnibus summoperè concupiscitur.

Itaque si vnquam beneuolos. attentos & dociles, alicui propter materiam vtilem occultam, & sublimem vos præbuistis, mihi etiam hodie tales vos exhibite: qui rem omnium vtilissimam, quia finis noster est; rem secretissimam, quia DEI lux est; qui lucem habitat inaccessibilem, rem denique maximè sublimem, quia summum illud bonum, quod omnem spem ac fidem superat tractare. vobisque in hoc sermone quantum fieri potest elucidare, decerno.

Aures igitur huic tam dignæ & sublimi materiæ attentissimas præbete, ecce enim ordior.

PARS

PARS PRIMA.

I.

Regina Saba repræsenta animam nostram.)
2.*Reg*.10.
2.*Paradip*.5.

Amæ magnitudo & excellentia magnorum virorum ac Principum, rerumq; inusitatarum & mirabilium, summam vim habet pelliciendi ad se animos & desideria humana: quæ non ante videntur posse quietem capere, quàm oculos & animum in ijs intuendis & considerandis pauerint. Id cernimus accidisse Reginę Saba: Quæ vti sacrę testantur literæ tertio Regum, & secundo Paralipomenon, rerum potiebatur in partibus mũdi Australibus: seque fœlicissimam in regno suo reputans, alia regna paruipendebat, non enim credebat fieri posse, vt in mundo, regni alicuius status fœlicior aut iucundior suo, reperiretur. Sed plurimum aberrauit. Eo enim tempore in partibus Orientis Iudaicum imperium administrabat magnus Rex Salomon: tam insolitæ sapientiæ atque prudentiæ vir, vt ore Dei prædicatus fuerit omnium, qui vnquam extiterunt in terrarum orbe sapientum maximus. Eius ciuitas Metropolitana erat Hierusalem, plena populo, diuitijs abundãs & auro, pacifica, fertilis, grata Deo & cœlo, ornata templo nobilissimo, & vt paucis absoluam, vrbs adeò fœlix, vt appellaretur Regina Prouinciarum. In hac sedem habebat, & summo cum splendore & glória regnabat Rex iste sapientissimus, qui stupori & admirationi erat omnibus circumiacentibus regnis. Verumenimuero tanti Regis fama intra Iu-

dex

deæ fines concluſa non permanſit, ſed pennis
auratis totum orbem peruolitans, nomen illi-
us ad extremas vſque partes Auſtri detulit, ibi-
que diuulgauit, ſapientiam illius tantam eſſe,
vt maior in mundo reperiri nequeat: regnum
præterea tam florens, vt nullum aliud ei vel in
recta adminiſtratione, vel rerum neceſſariarũ
prouiſione & abundantia comparari poſsit:
domum denique tam magnificam & rebus
omnibus inſtructam, vt nullius alterius Regis
palatiũ eſſe poſsit magnificentius, ſerui ſplẽ-
didius veſtiti, ſuiſque ſinguli officijs miro or-
dine deputati, cibi lautiores, menſę delicatio-
res, cubicula ornatiora, templum ſumptuoſi-
us, cæremoniæ in ſacrificijs Deo offerendis
deuotiores,

Celebris hæc Regis Salomonis fama, ad au-
res Reginæ Saba cùm perueniſſet, illa ſibi per-
ſuadere nõ poterat, vel minimam partem eo-
rum quæ auditione acceperat, verã eſſe. Sic e-
nim, audita ſecum repetens, aiebat intra ſe.
Fierine poteſt, vt regnum hoc de quo tã multa
narrari audio, alicubi extet, regnum, inquam,
meo, quo ad adminiſtrationem prudentius:
quoad infœlicitatem beatius: quoad volupta-
tem iucundius? Niſi videro non credo, nec vn-
quam induci potero vt credam. Quare decre-
tum mihi eſt hiſce oculis luſtrare an verum
ſit, quod aures narrando perceperunt.

Cùm itaque iter in Iudæam arripere decre-
uiſſet, accerſitis familiaribus atq; conſiliarijs
ſuis, ipſis animi ſui ſententiam aperuit, qui-
bus approbantibus, regni gubernationem al-
teri vſque ad reditum committens, itineri ſe
accinxit, & Camelis gemmarum pretioſarũ,

aro-

aromatum odoriferorum, atque auri purissimi (dona, quæ Regi offerret) ingentem vim secum deuehens, magno cum nobilium & aulicorum comitatu, regiaque cum magnificentia, in Iudæam ad Orientalem mundi plagam perrexit: & summa cum festinatione, per mõtuosa loca, colles amœnos, humiles & angustas valles, spatiosos campos, vmbrosas & dẽsas syluas, obequitans: aliquando verò flumina limpidissima & torrentes rapidos trãsfretans, demum longis itineribus emensis Hierosolymam appulit. Cuius aduentus fama per totam vrbem cùm peruasisset, in omnium ore versabatur, cũctis eam videre desiderantibus, & ad locum, quà transitura erat confestim accurrentibus. Aliqui tecta scandebant, nonnulli fenestras occupabant, alij in ianuis ædium suarum consistebant, nonnulli vias publicas obsidebant, vt illam intueri possent. Ipsa autem per portam Australem vrbis mænia subiens, recto itinere ad palatium Regis cum vniuerso comitatu suo adequitauit, ingentem virorum ad fœminarum multitudinem ad se intuendum congregatarem, fixisque oculis se inspectantium in plateis omni ex parte conspiciens. Proxima Regio palatio, sustulit oculos, & extrinsecam magnifici & admirandi huius ædificij structuram, intuita est. Vbi descendens ex equo, obuios habuit aliquot ex familiaribus Regis, quibus deducentibus, grãdus, quibus ad regiam ascẽdebatur, superauit, & in interiorem aulam ad Regem Salomonẽ, eum eximia maiestate in throno residentem, & magna aulicorum splendidissimè vestitorũ multitudine circumdatum, introducta fuit.

Qui mox

Qui mox vt eam conspexit, de throno surgés, obuiam ei processit, & insigni cum humanitate & comitate illam excepit: illa cum Regem vicissim salutasset, eumq; reuerenter veneratа fuisset, pretiosa & odorifera dona, aromatum, gemmarum & auri protulit. Posteaquam verò sedibus nobilissimis allatis, simul consederunt, illa incessanter vehementi cum admiratione venerandum Regis vultum intuita est: posthæc plurimas ei proposuit quæstiones, dubia atque ænigmata, partim ad prudentiam illius experiretur, partim vt instrueretur: quæ ille tanta cum sapientia dissoluit, vt & intellectum eius instrueret, & animum pacaret. Deinde cum surrexissent, simulque perambularent vniuersum palatium, vidit ingenti cum stupore structuram palatij intrinsecam, habitaculorum admirabilem ordinem, decorem, amplitudinem, & amœnitatem. Posthæc simul cum Rege cæterisque Principibus Regẽ cingentibus ad mensas, immenso sumptu & apparatu instructas, accumbẽs: cibis illius delicatissimis, ac vinis nobilissimis plurimum delectata fuit: ibique stupendum seruorum in ministerijs ordinem, eorumque ad obsequia promptitudinem ac celeritatem, vestimentorumque magnificentiam conspexit: dulcissimamque cantorum atque instrumentorũ musicorum symphoniam ad mensas adhibitam, quo non tantum ora sed etiam aures conuiuãtium oblectarentur & reficerentur, auditu percepit. Peracto prandio ad templum augustissimum simul cum Rege perrexit: hic autem nouo cum stupore, decorem & ornatum illi-

us contemplata eſt, deinde Sacerdotum & miniſtrorum altaris actiones inſpectans, pias eorum in diuinis laudibus & ſacrificiorum oblationibus cæremonias vidit. Quibus cognitis, viſis & auditis, tanta admiratione repleta fuit, vt ſenſibus deficientibus animo linque-
3.Reg.10. retur. *Et non erat ei vltra ſpiritus*, inquit S. Scriptura. Poſt aliquantulum verò temporis ad ſemetipſam reuerſa, ad Regem ſe cōuertit: breuique verborum compendio laudum eius encomia complectens, ait *Verus eſt ſermo, quem audiui in terra mea ſuper ſermonibus tuis, & ſuper ſapientia tua, & non credebam narrantibus mihi, donec ipſa rem & vidi oculis meis, & probaui, quòd media pars mihi nunciata non fuerit, viciſti famam ſermonibus tuis, maior eſt ſapientia tua & opera tua, quàm rumor quem audiui. Beati viri tui & ſerui tui, hi qui aſſiſtunt coram te omni tempore, & audiunt ſapientiam tuam.*

O præclarum encomium Regis Salomonis & Regni illius. Ecce qnomodo illa in Orientem veniens ſparſam famam reperit rei veritate minorem, Non ſine inſigni ratione, Auditores, Spiritus ſanctus duobus in locis Sacrarum literarum hanc hiſtoriam deſcribi voluit. In ea enim ſignatur nobis ſublime quoddam myſterium, ad quod attentas mihi quæſo aures præberi velim: ſubleuabo enim me, & vos mecum ab huius mundi humilitate, ad futuræ vitæ ſublimitatem; ab hac terræ vilitate, ad cæli dignitatem; ex perexiguo huius mundi regno, ad ampliſſimum cœleſte regnum. Aggrediamur ergo explanare ſublime illud myſterium, in hac ſacra hiſtoria reconditum.

Regina Auſtri ſignificat animam dum viuit

& induta

& induta est mortali hoc corpore, organis sensuum vti cernitis, eleganter instructo, & vt summatim dicam, repræsentat naturam & speciem humanam; quę non creatura vilis, sed nobilis; non domina multarum rerum, sed totius vniuersi est. Siquidem Igni præest, quo vtitur ad cibum, ad lumen, & ad calorem. Aëri dominatur, in quo respirat, & alta ædificia erigit. Aquæ principatur, quia leui nauigio eá transfretat, & totam decurrit, piscibusque in cibum vtitur. Terræ imperat, nam ex ea frugũ & fructuum, nec non auri, argenti, & gemmarum, ingentem copiam colligit. Animãtia sub dominatu suo tenet, quia pro libitu ea domat, ijsque ad onera ferenda, itinera peragenda, & ciborum delitias vtitur. Demum suijpsius regina & domina est (quo nullum maius est imperium) dum sensibus, & appetitionibus suis dominatur, dum videlicet ratio principatum tenens, carnem subigit, illiusque cupiditates refrænat, Vti eleganter Ethnicus ille Sapiens ait. *Si animo te rexeris Rex eris, si corpore seruus.* *Aristole.*
Et Philosophus primo Politicorum. *Vtile est corpus regi ab anima.* Quidni enim dignus omnium imperio sit, qui semetipsum probè moderari ac regere nouit? Verumenimuero vbi regnat humana hæc species, anima inquam, carnis veste circumamicta? In Austro.

Et quid Auster iste aliud, quàm præsens mundus? In Austro enim (vt nostis) spirant vẽti calidi, quibus cõcitantur vapores, vnde nubes & pluuiæ existũt, quæ aërem caligine obducunt, & serenam cæli faciem obscurant. Ita etiam in præsenti mundo flant venti calidi, id est, incensi amores carnis vehementes

affectus diuitiarum, inflammati appetitus ambitionum, qui densissimarum nubium ac pluuiarum ignorantiæ & cæcitatis, in aëre mentium nostrarum; causæ sunt, quibus tollitur eis serenitas cœlestium cõtemplationum. Ac proinde Glosa illud dictum S Ioannis. *Totus mundus in maligno positus est*: exponens ait. *In maligno*, id est, *in malo igne*: Hoc verò: totus mundus inflãmatus est igne ardenti, prophano, detestando, accendente & consumente omnia vera bona hominis. Intelligitis ergò cur humana species, id est, anima nostra, mortali corpore vestita, Austri, id est, mũdi huius Regina appelletur, eò quod illic omnibus imperet, & omnes creaturæ illi seruiant?

1. Ioan. 5.

Et quoniam in hoc mundo cómmodis affluit, vniuersis præest, omniumque creaturarũ vsu & obsequijs gaudet, fœlicem se reputat, instar Reginæ Saba, nec de alio regno fœliciori cogitat, secum ita ratiocinans. O quàm pulcher & formosus est hic mundus, cum ei quicquam deficit? Non potest sibi persuadere alubi regnum pulchrius, fœlicius, & florẽtius, huius mundi regno inueniri. Ideoque regnum illud inuestigantibus & expectantibus, non minus stultè quàm audacter respondet. Quid extra mundum quæritis? *Venite fruamur bonis, & vtamur creaturis*. O stolidam & insipientem conditionem nostram, qui nescimus alibi regnare Regem sapientissimum & fœlicissimum, qui ignoramus aliud superesse regnum, hoc nostro mundi regno longè præstantius, maius, & opulentius: imò tãtò maius, quantò maior est Oceanus aquæ gutta: & totus terrarum orbis minutissimo arenæ grano.

Sap. 2.

At v-

At vbinam situ est regnum hoc fœlicissimum? In Oriente, vbi nascitur omne bonū. Ciuitas illius regia est Hierusalem. Rex est Salomon.

Verum aduertite, me non loqui de nostro Oriente, vbi singulis diebus summo manè Sol iste visibilis oritur, & lucidam frontem suam attollens, montes excelsos corona cingit; & deinde occidens in tenebris nos relinquit Sed de Oriente cæli, vbi oritur & nunquam occidit Sol iustitiæ Christus Iesus. *Timentibus nomen eius, ortus est Sol iustitiæ.* Adhæc cum dico ciuitatem illius regiam, esse Ierusalem, non intelligo materialem illam Palestinæ vrbem, quę ad summam Christianorum ignominiam, vna cum Sepulchro Christi, in manibus ac potestate canum, id est, infidelium Turcarum est: Sed intelligo cælestem Paradisum, de quo S. Paulus ad Gal. scribēs ait. *Quæ sursum est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra.* In hac aio regnare Salomonem, non Dauidis filium, sed DEVM & Dominum Dauidis, Salomonis & omnium Regum. Salomō enim lingua Hebręa, nihil aliud sonat, quam Regem pacificū. Rex autem noster pacificus DEVS est. Ipse enim est *pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Deus pacis erit vobiscum.* Eius regnum in Oriente, totum cælum est. Nonne legistis sæpenumero in Euangelijs? *Simile est regnum cælorum. Simile est regnum cælorum.* Et meritò Cælum regnum dicitur: siquidē nihil est in huius mundi regnis, quod in cælo non reperiatur. Audite.

Mal. 5.

Galat. 4.

Ephes. 2
Phil. 4.

II.

IN regno quopiam ista considerantur. Ciuitas regia seu Metropolis: Prouinciæ: Confinia regni: Regium palatium: Sedes Regia:

Omnia quæ in regno aliquo sunt in

cælo reperiuntur. Habitatio aulicorum:Rex:Regina: Aula: Nobilitas regni: Officiales: Religiosi: Milites & subditi totius regni. Quæ omnia perfectè in supremo cœlesti regno reperiuntur. Attendite.

Ciuitas Metropolitana, Cælũ Empireũ est.

Prouinciæ, diuersitates Hierarchiarum cœlestium.

Confinia, æternitas.

Palatium regale, Paradisus.

Sedes regia, Throni.

Habitationes aulicorum, visiones beatorũ.

Rex, DEVS est.

Regina sponsa, Maria.

Serui Regis, Archangeli sunt.

Pedissequæ Reginæ, Beatæ Virgines.

Matronæ domesticæ seu collaterales, Sanctæ mulieres.

Nobilitas regni, Patriarchæ, & inter Angelos, Principatus.

Præfecti, Dominationes.

Consiliarij, Cherubini & Potestates.

Secretarij, Seraphini & Prophetæ.

Iudex supremus, Christus.

Inferiores iudices, Apostoli.

Notarij, Euangelistæ.

Prælati & Theologi, Sancti Doctores, & inter Angelos, Virtutes.

Sacellani Regij, Confessores.

Milites & exercitus, Sancti Martyres.

Subditi, omnes simul Beati.

O regnum fœlicissimum, in quo verus Salomon DEVS regnat, vbi societas adeò fœlix est, vt nulla ibi sit conuersatio nisi cum Angelicis spiritibus & beatorum animabus: vbi

Dominus tanta est liberalitate & humanitate, vt incolas secum velit regnare: vbi summa pax ciuium est: vbi odium, rancor & omnis passio exulat: vbi nulla regnat inuidia, nulla diuisio mei & tui, nulla denique adest vllius rei necessitas, quia omnium bonorum magna suppetit abundantia.

Hic cernitur DEVS sedens supra Cherubinos. *Qui sedet super Cherubin:* totus immensa luce circumdatus. *Habitat lucem inaccessibilem:* infinita cinctus multitudine aulicorum ipsi assistentium & ad nutum inseruientium. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Aulici illius induti sunt purpura & hiacintho. *Hiacinthus & purpura vestimentum eorum.* Serui omnes tam eleganti sunt specie, vt solis instar luceant. *Fulgebunt Iusti sicut Sol.* Sed quid dico? Reges, non serui sunt. *Regnabunt cum agno, & agnus Dei cum illis.* Imò omnes sunt filij DEI. *Dicetur illis, filij Dei viuentis* Ibi nullus moritur, sed semper viuitur, quia mors procul à finibus illis proscripta est. *Iusti autem in perpetuum viuent.* Ibi nullus exauditur planctus, nulla lamenta, nullus dolor. *Non erit amplius neque luctus, neque clamor nec vllus dolor.* Ab hoc denique regno timor omnis periculi & aduersitatis abest. *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.*

Psal. 98.
1. Tim. 6.
Dan. 7.
Ierm. 10.
Matt. 13.
Ose. 1.
Sap. 5.
Apoc 21.
Psal. 90.

Non potest, Auditores, quicquã desiderari, quod ibi non inueniatur. Si enim diuitias expetitis, ibi in cõparabiles sunt. *Gloria & diuitiæ in domo eius.* Si aurũ quæritis, ibi ingẽs illius copia est: *Illa ciuitas aurũ mundum.* Si honores ambitis, ibi maximi sunt. *Nimis honorati*

In cælo omnia sunt, quæ desiderari possunt.
Psal. 111.
Apocal. 21.
Psal 138.
Psal. 15.

sunt amici tui Deus. Si voluptates aucupamini, ibi infinitæ sunt. *Delectationes in dextera tua vsque in finem.* Si scientiam concupiscitis, ibi omnes sapientissimi sunt. *Scientiam sanctorum narrant populi.* Si libertas placet, ibi summa est.
Eccles. 44 *Quæ sursum est Hierusalem, libera est.* Si pacem
Gal. 4. diligitis, ibi pax secura & certa. *Sedebit populus*
Esa. 32. *meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ.* Si conuiuia & commessationes appetitis, nullæ in mundo sunt, quæ illis compa-
Psal. 16. rari possint. Hic enim sunt mensæ nobilissimæ & lautissimæ; quæ conuiuas plenè satiant. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Hic vina pre-
Psal. 35. tiosissima ex torrente voluptatum profluētia, quæ immodico gaudio omnes regni huius in-
Psal. 145. colas inebriant. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Si delectat vos cantus & symphonia, hic concinunt semper Angelici chori. *Cherubim & Seraphim non cessant clamare, Sanctus, Sanctus,*
Exod. 33. *Sanctus.* Si lectos in quibus post conuiuia requiescatis, exquiritis, hic ornatissimi & mollissimi inueniuntur. *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* Et vt vno verbo concludam. Si bona omnia, quæ sub hominis imaginationem cadere possūt desideratis, hic coadunata sunt. *Veni & ostendam tibi omne bonū.*

Videtis, Auditores, quomodo S. Scriptura innumeris tropis, figuris & metaphoris adūbret maiestatem & magnificentiam superni illius regni. Quid idcirco facit, quia nullus intellectus consequi, nec lingua vlla, etiam Angelica, satis superq; fœlicitatem, gloriam
S. Gregori. Papa. & excellentiam eius explicare valet. Testatur id S. Greg. inquiens. *Quæ autem lingua dicere,*

vel

vel quis intellectus capere sufficit, illa supernæ ciuitatis quãta sint gaudia. Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircũscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorreptionis perpetuæ munere lætari?

Cæterũ quamuis, in hoc Austro constituti, non possimus clãram & perfectam notitiam excellentiæ & magnitudinis superni illius Orientis cœlestis videlicet Paradisi, obtinere: nihilominus ex bonis quibus in hoc mundo fruimur, & pulchritudine rerum creatarum quas videmus, possumus haurire vmbram & coniecturam aliquam supernæ illius bonitatis & pulchritudinis, quæ sub aspectum nostrum non cadit.

III.

HAnc viam docet nos S. Paulus in Epistola, ad Romanos dicens: *Inuisibilia enim ipsius, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Eandem viam ostendit nobis Richardus de S. Victore, in libro de Trinitate vbi dicit res visibiles esse instar scalæ, qua ascendimus ad cognitionem inuisibilium. *Quotiescunque*, ait, *per visibilium ad inuisibilium speculationem assurgimus, quid aliud, quàm quandam scalam erigimus, per quàm ad èa, quæ supra nos sunt, mente ascendimus?* Per hanc viam deducam vos hodiè, vt aliquatenus fœlicitatem & magnificentiam cœlestis Paradisi intueri valeatis. Quid enim? An non bona, quibus in hoc mundo fruimur, via & scala optima sunt, qua ad cognitionem rerum quæ supra nos sunt, & oculis non subijciuntur, pertingere possimus?

Decẽ scalæ, quibus ad cognitionem pulchritudinis & excellentiæ cœlestis regni ascenditur.

Rom 1.

Scala prima.

Richardus de S. victore.

Etenim si bona hæc caduca & fragilia, adeò eximiam corporibus & sensibus nostr is, dum adhuc in terra, peccatis immersi degimus, voluptatem adferunt: res diuinæ & æternæ quãtam quæso iustis & spiritibus beatis in cælo voluptatẽ impartientur? Dic mihi Christiane? si palatiũ magni alicuius Principis ingredereris, & videres in cubiculis infimis ac terræ proximis seruos mensæ accumbẽtes, ac panè triticeo vescentes, vinumque pretiosum ac delicatum bibentes: nonne tecum sic ratiocinareris? Si tam bonus ac delicatus est panis, ac vinum quo vtuntur serui, in cubiculis inferioribus: qualis erit panis quo Domini in aulis superioribus vescuntur, & vinum quod bibũt? Audi modò. Vniuersum hoc, magno palatio simile est, cuius infimum cubiculum est mundus, superius verò cœlum seu Paradisus: bona deinde inferioris huius mundi respectu cælestium, sunt instar panis triticei, & vini è vinaceis expressi; cœlestia verò instar panis delicatissimi ex floribus farinæ confecti, & vini ex vuis sapidissimis eliquati. Hinc ergò ita tecum ratiocinare.

Simile.

Si bona huius mundi panis triticeus & vinum vinaciorum, adeò bona, præclara & excellentia nobis esse videntur, magnamque voluptatem adferunt corpori & appetitui nostro, qui seruus est, iuxta illud. *Supter te erit appetitus tuus*: imò ipsis etiam peccatoribus seruis peccati, dicente Apostolo. *Qui facit peccatum, seruus est peccati*; quantò magis bona cælestia multò his rariora & excellentiora esse debebunt, quibus in supernis mansionibus fruũtur beati, qui Domini & Reges sunt?

Gen. 4.

Iohan. 8.

Regna-

Regnabunt cum Agno, & Agnus Dei cum illis, multoque maiorem & puriorem delectationem illis ſuppeditabunt. O pulchram viam, ô inſignem ſcalam, quâ ſcandere poſſumus ad cognitionem excellentiæ cœleſtium bonorũ. Hanc viam inijt, & hanc ſcalam conſcendit Sanctus Pater Auguſtinus, quando ſumma cũ animi ſui dulcedine, ad ſummum & immortalem Regem in ſuperno regno, rerum potientem, ait: *Si tanta tribuis nobis in carcere, quid dabis in patria? Si tanta tribuis amicis & inimicis, quid eſt quod ſeruaſti ſolis amicis?* Quaſi diceret. O liberaliſsimè Domine, ſi huiuſcemodi bona & delectationes tribuis ſenſibus & corporibus noſtris, dum in hoc mundo velut in carcere degimus, quæ bona, quas delectationes poſtea nobis communicabis, quando vita hac defuncti, ad ſupernum illud regnum, veram patriam noſtram, tranſierimus? Et ſi talia peccatoribus largiris, qui inimici tui ſunt, qualia tandem reſeruas nobis in cœlo, quando amici tui erimus? Videtis igitur, quàm admirabilis ſcala ſit hæc, quâ pertingere poſſumus ad aliqualem cognitionem cæleſtium bonorum. *S. Auguſt.*

IV.

Scala ſecunda.

POſſumus per eandem ſcalam, ad pulchritudinem cœleſtis regni contuendam peruenire; nam ſi cœlorum qui capitibus noſtris imminent, & tot lucidiſsimis ſtellis, argentea luna, Sole ſplendidiſsimo decorati ſunt, pulchritudinem cõtemplemur; poterimus ex ea venuſtatem & magnificentiam regni beatorum,

torum, quod supra cælos est, colligere. Et vt ab exemplo palatij non digrediar.

Simile. Dic mihi si videres in palatio alicuius summi Principis testudines & arcus cubiculorum infimorum, quæ serui & ignobiliores aulæ inhabitant, varijs emblematibus & picturis exornatos, auro gemmisque lucidissimis distinctos; nonne attonitus & stupore plenus diceres. Si testudineati arcus infimorum habitaculorum, quæ serui & ignobile vulgus aulæ inhabitant, adeo picturati, pulchri & ornati sunt: quantò ornatiores; esse debebunt mansiones aulæ superiores in quibus ipsemet Princeps & eius Coniux, filij, pedissequæ, cubicularij alijque nobiliores aulæ habitant? O Christiane; pulchritudo illa inferior, quam cerneres, nonne tibi maximum in corde excitaret desiderium, statim conscendendi gradus, vt intueri posses superiorum habitaculorum pulchritudinem quam non vides? Vtique, Audi modo. Mundus hic, quemadmodum suprà dixi, est habitatio infima magnæ huius vniuersitatis machinæ: quam nos serui abiectissimi, cum alijs creaturis, multò etiam ignobilioribus & vilioribus, incolimus. Testudines illius sunt cæli, quos supra nos videmus. Aula & habitatio superior est cælum Empireum, & vt verbo absoluam: regnum illud Orientis, de quo mihi sermo, quod Deus vniuersalis Angelorum & omnium electorum suorum Dominus inhabitat. Ascende, igitur, ô Christiane, ex his ad pulchritudinem cælestis regni, sic tecũ ratiocinando: Si cæli, id est testudines, terreni huius domicilij, in quo nos viles & abiecti serui commoramur, adeò speciosi & ornati,

tot

tot lucidissimis stellarum gemmis distincti, lumine lunæ inargentati, splendore Solis, fulgentissimis radijs suis Terram, Aquam, Aërem & Cælum illustrantis & inaurantis, decorati sunt: Quantò venustiores & elegantiores esse debebũt aulæ & mansiones supernę his testudinibus supereminentes, quas Princeps Principum, DEVS, inhabitat? In quibus B. Virgo MARIA suum habet domicilium? Quas innumerabiles electi DEI filij: Angeli, DEI ministri: Virgines, Reginæ pedissequæ incolunt? O Christiane, inter puchritudinem cælorum, quos vides, & illos quos non vides, ea est differentia quæ inter lutum & aurum. Audi S. Chrysostomum in homilijs super Epistolam ad Romanos, hac de re sic scribentem. *Suspiciamus cælum* inquit, *quando nulla se interponit nubes, & clara est omnis corona eius: deinde pulchritudinem aspectus eius aliquantulum contemplantes, intelligamus postea statum illius gloriæ, tantò melius effectum, quantò luteis testis aurum est melius.* Quomodo igitur contemplantes & admirantes diu noctuque, cælorum qui supra nos sunt, venustatem & pulchritudinem, vehementissimo desiderio non flagramus, quàm citissimè ascendendi supra omnes cælos, ad supernas illas habitationes, quæ pulchritudine & venustate, his inferioribus longè præstant? Nam inferiores cæli, exhibendo nobis tantum decorem, tantam venustatẽ nos quasi tacita quadam locutione, ad æternum illum Paradisi decorẽ & speciem inuitant: cùm nos è contrario, oculos ad terram hanc vilem & mundum hunc immundum, intendamus. S. Chrysost.

O Christiane, si admiramur intuentes Solis splen-

ſplendorem, Lunę pulchritudinem, Stellarum firmamento infixarum venuſtatem, & colorũ cœleſtium decorem: qualis, obſecro, eſſet admiratio & ſtupor noſter, ſi intueri poſſemus ſupremum illud beatorum regnum, quod ſupra cælos eſt? Illic enim, chariſſimi, ſunt habitationes illæ pulcherrimæ rariſsimæque, quas ſumma cum animi affectione cupiebat videre Regius Propheta Dauid, qui ad ſolam illarum memoriam, cor ſibi liquefieri & animam deficere, præ nimia ſpiritus dulcedine, ſentiebat. Hinc enim eſt, quod nimio ſtupore correptus, & dulcedine plenus, ait: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria tua Domine.* O ſummam pulchritudinem: O magnitudinẽ admirabilem, quæ omnem omninò vincit admirationem. Aduertitis igitur, Auditores, quàm bellè pulchritudo cœlorum, quos in Auſtro huius mundi cernimus, ſcalæ loco nobis deſeruiat, qua ad cognitionem pulchritudinis & excellentiæ ſuperni regni Orientis, quod oculis corporeis videri nequit, ſcandere valeamus. Quin & aliam ſcalam vobis oſtendo, ex qua meliùs adhuc dignitatem & excellentiam iſtius regni cognoſcere poſsitis.

Pſal. 83.

V.

Scala tertia.

QVemadmodum ordo vniuerſi poſtulat, vt vnum elementum alio potius & pulchrius ſit, prout ſublimiori ſede locatum eſt: ſic enim aqua, claritate, puritate, dignitate terra præſtantior eſt: aër aqua: ignis aëre. Ita idem ordo requirit, vt cælum cœlo, claritate, puritate & dignitate præſtantius ſit, prout eminentio-

eminētiorem ſedem obtinuit. Quod vt ab omnibus intelligatur, notandum eſt, vndecim eſſe cælos, qui his nominibus ab Aſtrologis inſigniuntur: Cælum Lunæ; Mercurij, Veneris, Solis, Martis, Iouis, Saturni, Firmamentum, Primum mobile, cælum Cryſtallinum, & Empireum quod regnum beatorum eſt. Hic eſt ordo cælorum. Itaque ſecundum ordinem vniuerſi (qui exigit, vt cælum quò altiori loco collocatum eſt, eò maiori dotatum ſit pulchitudine) cælum Lunæ clarius, præſtantius & lucidius eſt igne, cælum Mercurij, Luna; cælum Veneris, Mercurio; cælum Solis, Venere; cælum Martis, Sole; cælum Iouis, Marte; cælum Saturni, Ioue; Firmamentum, Saturno; Primum mobile, Firmamento: Cryſtallinum; Primo mobili; & denique cœlum Empyreum, quod DEVS inhabitat, Chryſtallino, & ex conſequenti omnibus alijs.

Intellipitis igitur modò, qua ratione ex nobilitate, præſtantia & excellentia elementorum, cœlorumque inter ſe, facillimè colligere poſsimus, quam pulchrum, lucidum & reſplendens ſit cœlum Empyreum, quod omnibus elementis & cælis ſupereminet. O ſcalam præclaram, ad cognitionem pulchritudinis ſuperni regni nos euehentem. Addo & aliam, qua ad eiuſdem regni pulchritudinem & excellentiam contuendam poſsimus aſcendere. Attendite.

VI.

Philoſophus tertio libro de cælo, cui conſentit S. Pater Auguſtinus libro decimonono de Ciuitate Dei, aſſerit: Ordinem rerum huius vniuerſi, requirere, vt quælibet res pro gradu

Scala & via quarta.
S. Auguſt.
Ariſtoteles.

gradu nobiliori vel ignobiliori, locum etiam nobiliorem vel iguobiliorem fortiatur. Illa quæ maiori dignitate ac perfectione prædita est, postulat locum digniorem & perfectiorem; quæ verò minori, viliorem & inferiorem. Vnde idem Philosophus libro duodecimo de animalibus, ait: *Res nobiliores, locis nobilioribus natura constituere solet.* Et in omnibus scholis peruulgatum est illud axioma Philosophicum. *Locus debet proportionari locato.*

Aristotel.

Quo posito sic argumentor. DEVS est nobilissimus, perfectissimus & pulcherrimus omnium creaturarum, imò infinitis partibus eas superat: ergò & locum in quo habitet, requirit nobilissimum, perfectissimũ, pulcherrimum, ac infinitis partibus cætera loca superantem. DEVS autem sacris literis attestantibus, in cælo Empyreo habitat. *Cælum cæli Domino. Cælum mihi sedes est. Cum oratis, dicete: Pater noster qui es in cælis.* Et S. Stephanus vidit cælum apertum, ibique DEVM residentem; & à dextris eius Iesum filium consistentem. *Ecce video cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* S. Paulus etiam raptus fuit in hunc cælum, ibique DEVM & ineffabilem illius magnificentiam contemplatus est. *Raptus fui,* inquit ipse, *ad tertium cælum, & vidi arcana Dei quæ non licet homini loqui.* De quo cælo S. Pater Augustinus libro duodecimo super Genesin ad litteram differens, ait: *Tertium cælum illud est, quod profectò magnum subtiliterque præclarum est.* Vbi etiam addit. Primum cælum esse omne illud, quod supra terram & aquam est. Secundum, quod supra aërem, vsque ad Paradisum. Tertium, ipsum Para-

Psal. 113.
Esai. 66.
Matt. 6.
Act. 7.
2. Cor. 12.

Paradisum. Quod perinde est ac si dixisset: Primum cælum Aëreum esse: Secundum Aethereum: Tertium Empyreum. Ad hoc raptus fuit S. Paulus & DEVM ibi contemplatus est: aliaque tam eximia & rara: vt fas non sit ea referre homini viuenti, eò quòd ea comprehendere non sufficiat. Quin etiam Philosopi & gentiles Poëtæ asserunt, Deum habitare in cælis. Aristoteles primo de cælo, nonne expresè dicit: supremum siue extimum cælum *Aristotel.* esse locum Dei & rerum diuinarum? *Consueuimus*, inquit, *extremum, & quod sursum maximè est, vocare cælum, in quo & diuinum omne loca-* *Auerroës.* *tum est.* Quod commentator illius Auerroës ita exponit. *Cælum, in quo habitant spiritualia & diuina, est supremum cælum.* Qui etiam albi ait. *Cælum est locus Deorum & Angelorum.* Hesiodus, Homerus, & alij illustres Græcorum scriptores dixerunt: in cælo habitare numina & spiritus diuinos. Quod etiam Latini Poëtæ *Virgilius.* veteres in suis Poëmatibus cõfirmarunt. Vir- *Ouidius.* gilius gloria Mantuanorum, vocat Deos habitatores cæli 2. AEneidos. *Cælicolæ magnæ, &c.* Ouidius appellat Deos numina cælestia in lib. de Ponto, inquiens:

Crede mihi miseris cælestia numina parcunt.

Quinetiam antiqui illi Poëtæ non censebant DEVM esse, qui non habitaret in cælis. Vnde Iuuenalis. *Numen adest, si sit prudentia:* *Iuuenalis.* *sed nos te facimus fortuna Deum, Cæloque locamus.* Omnes hi fuêre Gentiles, & à vero Dei cultu alieni, & nihilminus veritate ac ratione conuicti, fassi fuerunt DEVM in cælis habitare. Nec vlla est natio sub cælo tam barbara, quæ postquam DEVM esse credidit, ipsum

etiam in supremò cælo non constituerit. Itaque secundum Aristotelis, S. Augustini, & omnium Sapientum regulam, quæ docet locum debere proportionari locato, fatendum est, cælum Empyreum, siue regnum beatorum, de quò in præsenti agimus, esse omnium cælorum totius vniuersi excellentissimum, perfectissimum, & nobilissimũ: eò quod DEVS omnes creaturas excellentia & perfectione in immensum vincens, illud inhabitet. O scalam diuinam ad notitiam pulchritudinis & excellentiæ superni regni nos prouehentem. Verùm accipite & aliam, quo ad eiusdem regni pulchritudinem contuendam scandere valeatis.

Scala & via quinta. Dicite quæso, si celeberrimi totius orbis Architecti cùm omnibus ditissimis & potentissimis huius mundi Principibus, conspirarent in fabricam pulchri & magnifici alicuius palatij, & ad hoc omnes vires atque industriam adhiberent: eo perfecto, nonne pulchrum futurum esset? Sed si ab Angelo, qui sapientior est omnibus Architectis & potentior cunctis Principibus, id fieret, nonne pulchrius? At si non ab vno Angelo, verùm ab omnibus simul hierarchijs cælestibus id construeretur, nonne multò pulchrius & elegantius? Si autẽ ipse DEVS, summus rerum omnium opifex, in cuius comparatione homines & Angeli sunt, quasi non essent, *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei*, id molieretur, nonne in immensum cætera ædificia superaret? Vtique. Hinc coniecturam facite, quàm pulchrum & admirabile sit cælum Empyreum, regnum beato-

Esai. 40.

beatorum, quod DEVS ipse pro palatio & habitatione sua, electorumque suorum, omni industria in id adhibita, condidit. Non audistis, *In principio creauit Deus cælum.* Ad diuinũ hoc palatium, ad habitationes has cælestes respexit Moyses, cùm diceret: *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israël.* Ex eò igitur quòd DEVS sibi illud in habitaculum & sedem diuinitatis suæ elegit, conijcere potestis, quàm venustum & excellens sit cælum illud Empyreum, alijs cælis supereminẽs, Regnũ videlicet supernæ beatitudinis. O scalã nobilem, quæ ad notitiam regni cælestis nos attollit. Addo & aliã, qua cognosci possit hui⁹ regni gloria & excellentia. Ascendite illam. *Genes.1.* *Num.24.*

VII.

ADuertendum est omnes res creatas, oculis nostris subiectas, esse quædã veluti signa & demonstrationes rerum admirabiliũ in cælis existentium & reconditarum. DEVS etenim, in mundi creatione, instar mercatoris se habuit; & fortassis ideò nos inuitat ad bonorum cælestium emptionẽ, dicens: *Venite & emite absque argento.* Nam quemadmodum mercator, qui in officina sua reconditas habet merces magni pretij, vt homines alliciat, signum aliquod è fenestris aut cancellis, eiusdem materiei, attamen impolitum & exigui valoris proponit: sufficit enim ipsi, vt aliquam rerum pretiosissimarum, quas apud se repositas habet, similitudinem referat, & signi loco sit, quo homines ad emptionem rerum, quas non vident, inuitentur. Idem fecit Deus: qui cùm in sublimi & ampla cælestis Paradisi officina *Scala & via sexta.* *Esa.55.* *Simil.*

recõditas haberet res pulcherrimas, eximias, & pretiosissimas, in vniuerso mundo indicia quædam seu signa constituit, & hominum aspectui proposuit: res videlicet quasdem eximias & pretiosas, quæ tamẽ si cum cælestibus conferantur, vilissimæ ac nullius pretij sunt: nam satis ei est, quòd aliquã illarũ referant similitudinẽ. Hoc autem idcirco egit, vt signis & indicijs his, animos & desideria nostra excitaret, ad earũ rerum, quæ supra nos sunt & ab oculis nostris absconduntur, emptionem. Conuerte oculos, ô Christiane, in quamcunq; tandem libet huius aspectabilis mundi partẽ, & inuenies plurima indicia, aspectu & admiratione dignissima.

Si oculos in cælum attollis, intueris venustatem & amplitudinem cælorum, splendorem Solis, claritatem Lunæ nitorem stellarum, aëris subtilitatem. Si ad terram demittis, aspicis innumera indicia, immensi stuporis materiam subministrantia. Vt miram varietatem plantarũ, arborũ, pratorũ viridiũ, diuersis floribus vestitorum, adeò vt pulchritudine ac venustate cælũ stellatũ videantur exprimere. Si postea oculos ex omni parte circumferas, alia pulcherrima & nobilissima se tibi offerẽt signa. Vti planities ruris, viriditas valliũ, colliũ amœnitas, altitudo montiũ, fontiũ diuersis ex partibus scaturrentiũ claritas, & amplitudo vastissima ingẽtis Oceani, infinita varietate rerũ circundati, quæ illum quasi corona, ex varijs rebus speciosissimis contexta, circũcingũt. Præter hæc vides innumera flumina, lacus, & stagna crystallina, per totum terrarũ orbẽ diffusa, quę sunt velut oculi terræ, & specula

cula cæli, in quibus firmamentũ cũ vniuersa specula stellarũ varietate cerni potest. Quid? Anne videtur pulcherrimũ esse indiciũ ingens argenti aurique copia, quæ ex terræ venis atque visceribus eruitur? Illa gemmarum pretiosarum, Saphyrorum, Topaziorum, Chysolitorum & Adamantum abundantia? Denique si elementa aspicis, nonne in illis vides multa eximia signa? In aëre auium, in aqua piscium, in terris animantium comperis miram varietatem ac multitudinem? Hinc ita infer: Si DEVS in hoc mundo, qui locus est extra beatas illas mansiones cælestis Paradisi, terra mortuorum, tot indicia & signa rerum eximiæ pulchritudinis & excellentiæ, quæ nos vehementer delectant, animumque & sensus nostros in summam rapiunt admirationem, constituit: quam eximia, præstantia & venusta esse debebunt illa, quæ in fœlicissima habitatione cælestis paradisi, in terra viuentium, de qua S. Iob ait: *Credo videre bona Domini in terra viuentium*, vbi nullus moritur, sed omnes æterno tempore viuunt, ab oculis nostris abscondit? O Christiani, si signa hæc & indicia, quæ sunt exigui momenti & nullius valoris, si cum regno beatorum conferantur, nobis videntur adeò rara, singularia, & admirabilia: quanta nos tenebit admiratio, cũ ex hac vita egressi ad cælũ migrauerimus, ibique illa quæ modò ab oculis nostris abscõduntur, inspexerimus? His signis, auditores, diuinus ille mercator voluit nos inuitare ad emptionem & acquisitionem bonorum cælestium, quæ electis in Paradiso reseruat: vt nimirum ea denario bonorum operum compa- *Psal. 26*

Matt.19. raremus. Nam Christus ait. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Satagite*, igitur iuxta S.
1.Pet.1. Petri Apostoli monitionem, *vt per bona opera vestra, certam faciatis vocationem vestram.* Amplius adhuc dico. Ex pretio quo serui & electi Dei merces illas cælestes coëmunt, optimè cognosci posse, qualesnam & quam prætiosæ illæ sint.

VIII.

Scala & via Septima. DIcite quæso: Quando mercator rem aliquam magno pretio, etiam carissimis amicis, cõsanguineis, & familiaribus suis, imò & amantissimo filio diuendit: quando præterea illi vicissim, spontaneo ac libenti animo eam tali pretio coëmunt, nonne certissimum id argumentum est, rem illam pretiosam, raram, & inæstimabilis valoris esse? Animaduertite nunc quo pretio DEVS voluerit carissimos amicos suos cœlestia hæc bona coëmere: quidque illi vt ea conquirerent, expenderint
Matth.5. Pretium quod DEVS exipit, hoc est. *Beati qui*
Luc.14. *lugent, quoniam ipsi consolabuntur, Beati qui perr*
Luc.9. *secutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum, Qui nõ baiulat crucem suam & venit post me, non est me dignus. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me.* Et in hodierno Euangelio non videtis quale pretium à duobus discipulis cognatis suis, has merces emere cupientibus, postulauerit? *Potestis* inquit *bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Quibus, verbis aliud nihil ab eis flagitat, quàm martyrium. Non cernitis præterea, quo pretio Sancti has merces conquisiuerint? Petrus & Andreas cruce. Paulus truncatione capitis.

Bartho-

Bartholomæus, cutis excoriatione: cæteri Apostoli sanguinis effusione. Stephanus lapidibus. Laurentius craticula. Catharina rota. Lucia igne, & alij innumerabiles sancti intolerandis martyrijs, ac crudelissimis mortis generibus. Et quæ vnquam huius mundi res ab aliquo his pretijs spontanea volũtate coëmpta fuit? Sancti Doctores, Cõfessores, Eremitæ, Anachoretæ, nonne compararunt sibi cælestes has merces persecutionibus? Carnis macerationibus? Ieiunijs & mortificationibus? abstinentijs seuerissimis? & plurimis alijs tribulationibus & afflictionibus? Vnde S. Gregorius. *Quis sanctus sine tribulatione coronatus est?* Et S. Paulus. *Si sustinemus & conregnabimus.* Sed maiora dico. Ipse Christus Dei Filius, Patri summè dilectus & charus, quod pretium pro his mercibus exuoluit? Nõ cernitis illum pro earum acquisitione, omnem sanguinem pro- S.Greg.
fudisse: & totum corpus flagellis, spinis, cla- 2.Tim.2.
uis & lanceæ subdidisse? Ex eo igitur quod DEVS electos sibi carissimos & amicissimos, imo & vnigenitum suum filium, sibi summè dilectum & charum, pro his bonis cælestibus, quæ tamen ei natura debebantur, tantum pretium voluit exoluere, iuxta illud. *Nõne sic oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriã suam;* facilè potestis coniecturare, quàm pulchra, rara, & admirabilia sint. Cognoscitis ergo Luc.24.
fratres, ex pretio quo Deus illa bona comparari voluit, quodque alij pro eorum emptione libenter expenderunt, quanta sit horum bonorum excellentia, quamque inæstimabile & admirabile supernum illud cælorum regnum. O quàm firmæ rectæque sunt hæ sca-

læ, quibus ad aliqualem notitiam bonorum cælestium ascenditur. Sed continere me nequeo, quin vlteriùs pergam, & alias rationes adducam, quibus maiestas, excellentia & perfectio regni huius aliquatenus adumbretur. Quod vt fiat, inter regnum cæleste & alia huius mundi regna collationem instituam. Quæso, auditores, benignè attenteque audite.

I X.

Scala & via octaua.

Tria sunt regna in mundo.

TRia sunt in tota hac mundi vniuersitate regna principalia, Infernus, Mundus & Cælum. Primum (vt ab infimo ordiar) sub terra est, Alterum supra terram, Tertium supra cælos. Primum penitus tenebrosum est: Alterum luce & tenebris sibi inuicé succedentibus distinctum: Tertium totum est lux. Primum est tetra quædam specus, plena tormentis & cruciatibus: Alterum vallis lachrymarum & miseriarum: Tertium collis amœnissimus omnium gaudiorum & voluptatum. Primi Rex est Lucifer cum suis asseclis. *Qui Rex est super vniuersos filios superbiæ.* Secundi Reges sunt homines. *Terram autem dedit filijs hominum.* Tertij Rex est D E V S. *Dominus ipse est D E V S in cælo sursum.* Subditi primi regni sunt omnes damnati. *Cremabuntur igne & sulphure in sæcula sæculorum.* Secundi, homines cæteris inferiores viribus & potentia *Admoneo illos Principibus & potestatibus subditos esse.* Tertij, omnes beati. *Beati qui habitant in domo tua Domine.* Quinimò omnium horum trium regnorum Rex principalis, D E V S solus est, de quo legimus. *Dominus vniuersorum tu es. Dominus est Deus in cælo sursum, & in terra deorsum.*

Iob 41.
Psal. 113.
Deut. 4.
Apoc. 74.
Tit. 3.
Psal. 83.
Deut. 4.

orsum. Diabolus & homines, potius sunt vice-reges, quàm Reges.

DEVS enim magnum aliquem Regem seu Monarcham, sub suo imperio plura continentem regna, imitatus est: qui vt plurimum residet in regno illo, à quo nomen habet & titulũ, cæteris autem Vicereges constituit: Ita & DEVS fecit, qui quamuis Ethnicis etiam Philosophis attestantibus, vbique sit: id est, per essentiã, per præsentiam & per potentiam attamen propriè dicitur esse in regno cælorum, quoniam ab hoc regno nomen & titulum sortitur; hinc enim est, quod DEVS Rex cæli appellatur, & nos quotidie in Dominica oratione dicimus. *Pater noster qui es in cælis*. Et Dauid. *Qui habitat in cælis irridebit eos*. Dicitur autem Rex cœlorum esse, ibiq; habitare, quia in eo præcipuam actionem seu operationem suam, quæ est glorificare & beatum facere semetipsum, spiritus Angelicos. & iustorum animas, quemadmodum omnes Theologi affirmant, exequitur. Alijs autem duobus regnis ita præposuit Vicereges, vt tamen omnium trium Rex principalis esse non desineret. Quod vt intelligatis, aduertite. *Matt. 6.* *Psal. 2.*

Regnat in Inferno per Iustitiam, in mundo per Prouidentiam, in cælo per Gloriam. In inferno constituit viceregem Luciferum cum suis asseclis dæmonibus, vt sint crudeles executores tremendæ iustitiæ suæ in reprobos. *Tradidit eos tortoribus*. In mundo constituit Vicereges, Principes terrenos, vt prouideant subditorum necessitatibus, illos in pace & cõcordia conseruent, & malefactores seu sceleratos homines puniant, quemadmodũ S. Pe- *Matt. 8.*

trus ait: *Subditi estote siue Regi, siue Ducibus*
1.Pet.2. *propter Deum, tanquam ab eo missis in vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Non videtis quam apertè Deus vocet homines & diabolos Vicereges suos per os Sapientis in Prouerbijs. *Per me*, inquit, *Reges regnant, per me*
Prou.8. *Principes impereant, per me potentes decerunt iustitiam* Quando ait: *Per me reges regnant, per me Princeps imperant*: ostendit Vincereges mundi, qui necessitatibus subditorum ptouident, & homines gabernant. Quando subdit: *Per me potentes decernunt iustitiam.* Demonstrat Vicereges Inferni, qui acerrimè puniunt vnumquemq; reprobum promeritis suis, iuxta ordinem diuinę iustitiæ. At quoniam in cælo beat & glorificat semetipsum, Angelos, & iustos omnes, idcirco dicitur cælum esse proprium illius regnum: in quo cum nulla sit necessitas vel indigentia, cui sit prouidendum, nec aliquod malum quod sit puniendum, solus regni illius Rex esse, nec alios Vicereges vult admittere. Permittit quidem alios secum regnare, & gaudere, sed non vult illos secum regere aut gubernare: quia solus vult esse rector & moderator illius regni, neque tamen solus eo regno frui & potiri, Etenim Sanctos Angelos secum in regno & gloria hac regnare &
Psal.74. gaudere vult.

X.

O Quàm pulchrè Regius Propheta tria hæc regna sub insigni methaphora, calicis in manu Domine existentis; & tria vinorũ genera, vinum mesum, mixtum, & vitiatũ cõtinentis, complectitur. Audite. *Calix*, inquit, *in manu Domini vini meri, plenus mixto: & in*

clinauit

clinauit ex hoc in hoc; veruntamen, fæx eius non est exinanita, bibēt omnes peccatores terræ. Quādo ait: *Calix in manu Domini*, ostendit scyphū in manu Dei existentem: cùm inquit: *Vini meri*, vinum purum in calice contentum demonstrat: cùm dicit: *Plenus mixto*, vinum ex bono & corrupto permixtum denotat. Cùm denique concludit. *Fæx eius nō est exinanita, bibent omnes peccatores terræ*, vinum penitus vitiatū, & gustu saporeque omni priuatum, proponit. Vinum purum, figura est regni cælestis. Mixtum, mundi. Fæx, Inferni. Dicit autem Propheta tria hęc genera vinorum, in vno eodemque cyatho contineri: eumque à Domino vna quidem manu. *Calix in manu Domini*, attamen tribus duntaxat digitis sustentari, (notum est enim scypum à bibente tribus plerumq; digitis teneri consueuisse:) O sublime & pręclarum mysterium. Attendite.

Vnus est scyphus, & vnus calix, quia vnum est dominium vniuersale, quo DEVS tria hæc regna moderatur: idem calix vna manu sustinetur, quia vna est essentia diuina, quæ totam mundi vniuersitatem sustentat tribus digitis, quoniam tribus diuinis attributis hęc tria regna administrat: Iustitia, Prudentia & Bonitate. Iustitia (quemadmodum diximus) regit Infernum; Prudentia mundum; Bonitate Cælum: eò quòd in superno regno verè bonus dici possit, in quo largitur electis suis omne bonum.

Præterea sustentat DEVS vniuersale hoc dominium tribus digitis; quia tres sunt personæ diuinæ, quæ omnes æqualiter ad mundi gubernationem concurrunt. Nam vt Theologiæ

studiosi norunt. *Opera Trinitatis ab extra sunt indistincta.* Etenim quemadmodum digiti à se inuicem quidem distincti sunt: at non à manu, cum qua vnum idemque sunt. Ita personæ diuinæ inter se quidem diuisæ atque distinctæ sunt, ita vt vna non sit altera: at non sunt diuisæ & distinctæ quoad diuinam essentiam, qua vnum & idem sunt. Itaque diuina essentia cum diuinis personis, Patre, Filio & Spiritu Sãcto; & diuinæ personæ cum diuina essentia, sunt vna manus & tres digiti, sustentantes hunc calicem, id est, vniuersale dominium, in tria regna diuisum, Infernum, Mundum & Cælum, quæ tribus illis vinorum generibus figurantur: puro, mixto, & fæculento. Purum repræsentat regnum Cælorum, quod totũ fælix & bonum est, Mixtum, regnum huius Mundi, quod quamuis in se voluptates, aliasq; delectationes habeat, attamen hæ permixtæ sunt multis doloribus & tribulationibus. Vinũ fæculentũ, regnũ Inferni prorsus miserũ, cuius miseriæ nunquam finientur, sed illis indesi-
Psal. 74. nenter peccatores potabuntur, *Fæx eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ.* Infælices igitur & infortunati sunt reprobi, qui ad has fæces, omni tempore bibendas, id est, ad inferni dolores & cruciatus sempiternos perferendos, destinati sunt.

Verùm vt inferni regnum abominemini: Mundi contemnatis: Cæleste verò tota animi contentione desideretis, audite expositionem
Au. 18. quandam S. Patris Augustini libro vigesimo secundo de Ciuitate dei, capite trigesimo in eum locum Ieremiæ. *Ego ero illorum Deus.* Vbi sic ait. *Quid est enim aliud, quod Propheta dixit,*

Ego

Ego ero illorum Deus, nisi, ero eis vnde satientur. Ego ero quæcunque ab hominibus honestè desiderantur: & vita, & salus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona. Octo quædam his verbis complectitur, quæ ab hominibus in præsenti vita desiderantur, extra quæ aliud nihil honestè, concupisci potest: quæ in cælo dũtaxat purè, sine vlla cõtrariarũ admixtione, reperiri ait. In regno mundi licet ea inueniantur, attamen multis contrarijs permixta sunt: In regno autem inferni, omnino non reperiuntur, sed eorum tantummodo contraria. Ac proinde in cælo hæc octo sunt, Vinum purum, *Vini meri.* In mundo, mixtum. *Plenus mixto.* In inferno fæx, quam continuò bibant peccatores. *Fæx eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ.* Demonstremus singula, & à primo auspicemur. In regno Cæli est vita sine morte. In regno mundi, vita & mors: In regno inferni, mors sine vita. *Sicut oues in inferno positi sunt mors depascet eos.* Hoc ipsum Dauid insinuat, dicendo. *Vini meri, plenus mixto, fæx.* *Psal. 7.* *Psal. 74.*

In regno Cæli, sanitas est sine infirmitate: In regno mundi, sanitas & infirmitas: In regno inferni, infirmitas sine sanitate. *Dissipata sunt ossa mea secus infernum.* *Psal. 140.* *Psal. 58.*

In regno cæli satietas est absque fame: In regno mundi satietas & fames: In regno inferni, fames canina sine satietate. *Famem patientur vt canes.* *Eccles. 14.*

In regno Cæli abundantia est sine penuria: In regno mundi abundantia & penuria: In regno inferni penuria sine abundantia. *Non est apud inferos inuenire cibum.*

In re-

Prou.2. Psal.74. In regno cælorum gloria est absque infamia: in regno mundi gloria & infamia: In regno inferni, infamia absque gloria. *Quorum viæ peruersæ sunt, & infames gressus eorum. Vini meri, plenus mixto, fæx.*

Ierem.23. In regno cælorum honor est sine vituperio: In regno mundi, honor & vituperium: In regno inferni, vituperium absque honore. *Dabo vos in opprobrium sempiternum, & in ignominiam æternam.*

Esai.48.& 57. In regno cælorum pax est sine bello: In regno mundi pax & bellum: In regno inferni, bellum sine pace. *Non est pax impijs dicit Dominus.*

Prou.12. Psal.74. Denique in regno cæli omnia bona sunt sine vllo malo: In regno mundi, bona & mala: In regno inferni, omnia mala sine vllo bono. *Impij autem implebuntur omni malo. Vini meri, plenus mixto, fæx &c. Vini meri,* pertinet ad beatos: *plenus mixto,* ad homines mortales: *fæx,* ad damnatos. Quis igitur non totis viribus regnum cæleste adeò fælix & bonis omnibus affluens, & vinum illud defæcatissimum, adipisci satagat? Quis non deinceps mundum, regnum videlicet tam inconstans, & nunquam in eodem statu permanés, ac vinum illud turbidum multisque auxietatibus permixtum, nó contemnat? Quis infernum, regnum adeò infælix, & fæcem adeò fæculentam, non toto conatu effugere studeat? Cæterùm animus est vlteriùs progredi, & de tribus his regnis, deque tribus his vinorum generibus enucleatiùs differere, vt quisque clarè videat, & manibus penè palpet, nullum aliud regnum, præter cæleste, bonum esse. Imò non ego id faciam, sed Christus

Christus æterna sapientia suo exemplo docebit nos omnes hanc veritatem.

XI.

O Præclarum documentum, quo ipse etiam tacens non aliter nos instruit, ac si mille demonstrationibus & argumentis vsus fuisset: quo, inquam, docet, non mundi neque inferni, sed solum cæleste regnum bonum & optimum esse. Ipse namque tria hæc regna singulatim incoluit: in natiuitate, morte, resurrectione, ascensione: triaque hæc vinorum genera degustauit. In natiuitate, quando de vtero virgineo, non reseratis virginitatis claustris, processit, regnum mundi ingressus est, & in eo tam multas calamitates & persecutiones triginta tribus annis sustinuit, vt ibi vltra nollet manere. In morte, transiuit animo volenti ad regnum inferni, quod tantopere ipsi displicuit, vt in illo duntaxat, quadraginta horarum spatio substiterit. Id Resurrectione ad mundum rediјt, & quadraginta diebus in eo iterum commoratus est, non aliam ob causam, nisi vt infirmos discipulorum animos, in fide, quam per vniuersum mundum annuntiaturi erant, confirmaret solidaretque. In Ascensione, nostrum hoc mundi regnum deserens, ad cæleste se contulit, vbi stabilem sibi constituit mansionem. Nam in eo mille, & sexcentis ferè annis iam commoratus est, nec tamen vnquam in terris visus fuit. Ex quo, facili negotio coniecturare & intelligere potestis, regnum illud supernum cætera duo regna bonitate, aliјsque proprietatibus, in immensum superare. O insignem scalam, ad contem-

templandam gloriam & fælicitatem regni cęlestis nos attolentem. Proponam ea quæ dico paulò apertiùs.

Dicite quæso, auditores, si quis relicta Rauenna, in qua natus & educatus fuisset, ac pluribus annis vixisset, ad aliam vrbem proficisceretur, ibique sanus, robustus ac liber degens, adeò & quandocunque liberet absque omni impedimento redire posfit in patriam, nunquam tamen reuerteretur, nonne hunc meliorem inuenisse fortunam diceretis? nõne vrbem quam incolit, Rauennatium Vrbe multò florentiorem & opulentiorem esse dictaretis? Amplius dico:

Simile.

Si alius quidam, imò plures alij idem facerent, & ex vrbe hac discedentes, ad eundem locum migrarent, & nunquam reuerterentur, nonne multò maiori cum certitudine affirmaretis, eos vrbem natiua multò vberiorem & locupletiorem inuenisse? Attendite modò, quod dico. Christus quo ad carnem natus & educatus est in hoc mundo, eundemq; triginta tribus annis incoluit, mille autẽ & sexcenti ferè anni sunt, ex quo hinc egressus, ad cęlũ abijt. Vnde quamuis pro libitu, quia summè liber est: & sine vllo negotio, quia dote agilitatis præditus est, qua in vno eodemque momento, ad maximè disſitas mundi partes pertingere potest, redire posſit, attamen nunquam redijt, nec redibit, nisi in fine sæculi. Itaque hinc facillimè concijcere possumus, cælum esse multò præstantius mundo. Verùm quid dico? Non modò Christus eo migrauit, verumetiam Beata Virgo Maria mater, & pater illius putatitius Iosephus, cæterique sancti, qui

cti, qui corporaliter cælos aſcenderunt (quia nunc de animabus mihi ſermo non eſt.) Nam S. Auguſtinus in lib. de Ciuit. Dei, & alij Doctores affirmant, quod ſancti illi, qui ſurrexerunt cum Chriſto & intrauerunt cum eo Hieroſolymam, iuxta illud. *Multa corpora ſanctorum ſurrexerunt, & intrauerunt cum eo in ſanctam ciuitatem*, inter quos cenſetur fuiſſe Ioſephus ſponſus B. Virginis, & alij plures, non fuerint iteratò mortui: ſed cum corporibus glorioſis cælos intrauerint. Et tamen omnes illi qui cælos iam ab Aſcenſione Domini, ad hæc vſque tempora incolunt, quamuis pro libitu, quia liberam habent voluntatem, reuerti potuerint, neque id difficulter, ſed magna cum facilitate, eo quod corporibus glorioſis dotati ſint, quæ propter dotem agilitatis in ictu oculi, ad loca quæcunque volunt, migrare poſſunt, vti rectè notat S. Pater Auguſtinus, de corporibus glorioſis ita inquiens: *Vbi voluerit eſſe ſpiritus, ibi erit & corpus.* Attamen nullus illorum in hoc mundo viſus fuit, neque videbitur, niſi in fine ſæculi, quando omnes cum Iudice venient ad iudicandum mundum. Cùm ergò tam multi ad ſupernum illud regnum migrauerint, & poſtea à nobis vltra viſi non fuerint, & quamuis ad nos in terram reuerti poſſint, attamen non fecerint: certò hinc iudicare & coniecturare poſſumus, regionem illam cæleſtem bonitate & fælicitate infinities nobiliorem ac præſtantiorem eſſe hoc mundo. O præclaram ſcalam, qua ad contemplationem excellentiæ & fælicitatis ſuperni illius regni ſcandere poſſumus.

S. Auguſt.
Matt. 27.
S. Aug. 21.

Quamobrem, ô curioſi, nolite amplius quęrere an

rere an regnum Inferni fœlix, atque an mundus cælo excellentior ſit: quoniam Chriſtus trina hæc loca peragrauit, & tria hæc vinorum genera deguſtauit. Fugit infernum quàm citiſsimè. Mundum vna cum Matre & alijs quàm plurimus contempſit, in cælis verò perpetuum ſibi domicilium delegit. Quapropter fratres mei, ne velitis experiri tormenta inferni, è quo Chriſtus velociſsimè receſsit: neque diu in mundo & in vita hac, omnibus miſerijs cumulata, hærere, in qua Chriſtus breui admodum tempore, & non aliam ob cauſam, niſi vt cæleſtis diſciplinæ præceptis nos imbueret, Paradiſiq; ſemitas demonſtraret, hęſit. Sed cælum quærite, cælum deſiderate, quod tam excellens, tam bonum, tam pulchrum eſt, vt nullus locus melior neque perfectior imaginatione fingi poſsit: *Vbi* (teſte S. Auguſtino in Soliloquijs) *dies eſt ſine nocte, vita ſine morte iuuẽtus ſiue ſenectute, pulchritudo ſine deformitate, fortitudo ſine debilitate, gaudium ſine mœrore, quies ſine labore, cognitio veritatis ſine errore.* O regnum fælix & beatum. Sed pauca adhuc de magnitudine & amplitudine, quæ illud non minus admirabile reddit, adijciam.

S. Auguſt.

XII.

Scala decima.

Quantæ magnitudinis & vaſtitatis ſit regnum cælorum.

ASſerunt Geometræ & Aſtrologi, qui ſuis menſuris, proportionibus; calculis & Aſtrolabijs, infernum, terram & cælum menſurati fuêre: Infernum in ciruitu complecti, ſeptem mille, octingenta & ſexaginta quinque milliaria: profunditate ſeu latitudine, bis mille, quingenta, & quinq; milliaria: diſtare autem à nobis tribus millibus, ſexcentis & quin-

quinquaginta octo milliaribus. Mundum verò quem nos inhabitamus, id est, totam terram, dicunt continere magnitudine triginta millia milliariorum, & mille quingenta milliaria: latitudine verò seu profunditate, id est, ab Antipodibus ad nos vsque, decem millia, & viginti duo milliaria. Cælum denique Empyreum, quod beatorum domicilium, & regnum illud est de quo nunc nobis sermo, aiunt habere in circuitu (ô immensitatem) decem mille, trecentos & quatuordecim milliones, octoginta quinque millia milliariorum, & sexcenta decem milliaria: Profunditate seu latitudine, ter mille & sexcentos milliones milliariorum. Inter nos verò & hoc cælum, spatium interesse mille sexcentorum nonaginta millionum, nongentorum viginti quinque millium, & quingentorum milliariorum. Ex his doctorum virorum mensuris, qui instrumentis, quadrantibus, & astrolabijs suis tria hæc regna accurate & diligenter dimetiti fuerunt, colligere possumus, quam angustum sit regnum Inferni, quàm exiguum sit regnum huius mundi, quàm denique amplum sit regnum cæleste. Adeò vt etiamsi tota terra simul sumpta cum inferno, totus inquã mundus hic sublunaris, cum cælesti regno conferatur, ea inter vtrumque futura sit differentia, quæ est inter guttam vnam & mare totum: paruum lapidem & omnes montes, flosculum minimum & omnia prata: vnum tritici granum & omne simul triticum.

Accedit ad immensam hanc magnitudinẽ, ineffabilis pulchritudo, lumen & splendor inenarrabilis: res rarissimæ ac præstantissi-

mæ,ac alia bona innumera, imò omnia ſimul bona. Quomodo igitur, auditores, illos qui regnum hoc fœliciſſimum incolunt, mũdum hunc calamitoſiſſimum reuiſere vultis, quemadmodum poſſent ſi vellent? Cur non potius, ô fideles, vos regnum hoc tota animi contentione quæritis? Cur bonis operibns non inſiſtitis, vt eo vnâ cum Chriſto perfrui mereamini? Ad te nunc ô DEVS vitæ ac mortis me conuerto: Quando ex mundo hoc immundo me tolles, atque in Paradiſum introduces, & me ſocietati dilecti Filij tui Ieſu Chriſti, charæ ſponſæ tuæ Mariæ, & omnium electorum tuorum coniunges? Quando ad ſummam & infinitam illam pulchritudinem ſuperni illíus regni, ſupra omnes cœlos eminentis, contemplandam me ſubleuabis? Veniat obſecro DEVS meus dies illa quam citiſſimè, qua ſolutus ab Auſtro, ſpoliatus hac carne ad fœliciſsimum illud beatorum domicilium emigrem, vbi tu verus Salomon Rex pacificus, Dominus pacis, viuis & regnas in omnẽ ſæculorum æternitatem. Nunc quoniam ſemel ingreſſi ſumus amœnitatem & venuſtatem fœliciſſimi huius regni, requieſcamus paululum in dulci illius aura, qua refecti ad plura & excellentiora feruentiori cum affectu de illo annuncianda, redeamus.

PARS SECVNDA.

I.

Cur homo pluris faciat terrena, quã cœleſtia.

FOEliciſſimum & ſpecioſiſſimum eſt, Auditores, ſupernum illud beatorum regnnm, multaque eximia, rara, & inſolita in illo cælorum Oriente reperiuntur: & nihilominus

Regina

Regina Saba in Austro, id est, anima nostra in hoc mundo, vestita mortali hac carne, nec dum nouit qualesit regnum hoc. Cœcitas mundani hominis ea est, vt credat nihil esse melius hoc mundo, nec aliam esse fœlicitatem, quàm rebus terrenis perfrui. *Animalis*, enim, *homo*, vti magna illa DEI tuba S. Paulus ait: *non percip t ea quæ Dei sunt*. 1. Cor. 2.

Vnde autem nascitur, auditores, cœcitas illa, quod maior pars hominum, ne dicam omnes, mundum hunc maximi æstiment, cœleste verò regnum non item? quod magnam habeant terrenarum rerum notitiam, eximiamque in illis experiantur delectationem, nullam verò aut vix vllam cælestium & diuinarum? Accipite rationem.

Quia nos peccatis nostris longè discedimus à cælestis Regis maiestate, & mundo nimium inuoluimur, idcirco superni illius regni res paruæ & nullius momenti; contra verò mundi res eximiæ, magnique ponderis & pretij nobis esse videntur: adeò vt has tanquam excellentes & summæ nobilitatis facillimè complectamur, illas verò tanquam viles & abiectas refutemus. Sicut enim si rem aliquam de longè contemplemur, parua nobis esse videtur, & quantò longius ab ea recedimus, tantò minor apparet. Et contra, si rem paruam etiam è propinquo ocularibus senilibus, seu imbecillis visus intueamur, magna esse videtur, licet verè parua sit: quorum primum, ex rei ab oculo inspicientis nimia distantia alterum verò ab ocularibus proficiscitur. Ita nos, quoniam peccando elongamur à Deo rebusque diuinis, iuxta illud. *Longe est Dominus ab* Simile. Prou. 15.

Caßiodorus. *impijs*: & quantò magis scelera sceleribus cumulamus, tantò longius ab eo recedimus, Cassiodoro teste quia ait: *Tantùm à Deo reus longius redditur, quantùm numeroso crimine dilatatur.* Idcirco dum DEVM & cælestia ex se magna & excellentia, contemplamur, ea nobis parua nulliusque existimationis, & digna quæ pro breuissimis voluptatibus terrenis commutentur, esse videntur. *Oculi eorum* (ait Esaias) *cernent terram de longè*, intelligens id de terra viuentium, quæ cælum est. Contra verò, quia in mundo ad oculos vsque demersi sumus, & ea quæ illius sunt, senili seu imbecillis visus conspicillo, id est, sensualitate carnali aspicimus: idcirco magna maiorisque existimationis quàm cælestia nobis esse videntur, cùm reuera minima & vilissima sint. Hæc est ratio, cur maior hominum pars, minoris æstimet cælum & cælestia, maioris autem mundum, & ea quæ mundi sunt. O Christiani! deseramus malam & flagitiosam vitam nostram, abstineamus à peccatis, proximiùs ad DEVM & cœlestia cum diuinæ gratiæ auxilio accedamus. sic enim clariùs atque manifestiùs intuebimur & cognoscemus, longè maius, fœlicius & dignius esse regnum illud supernum, huius mundi regno: eoque spreto, illud toto desiderio amplectemur. Ita faciunt omnes qui verè iusti sunt. Vultisne & aliam audire rationem, auditores, quamobrem minorem habeamus rationem cœli rerumque cælestium & diuinarum, quàm mundi & rerum mundanarum?

Esai. 33.

Terrenæ voluptates faciunt, vt non

Hoc inde fit, quia voluptatibus & illicitis concupiscentijs nostris nimium indulgemus: mundi

mundi huius rebus opere & affectu immoderatè inhæremus, ac proinde idem nobis euenit, quod illis, qui acerbos & immaturos fructus comedunt. Nam quemadmodum eorum dentes ita obstupescunt, vt etiam si mensæ exquisitissimis epulis refertæ accumbant, illis tamen frui nequeant, & quamuis nonnunquam se conentur ijs reficere, attamen non modò nullum ex ijs gustum aut delectationem, sed etiam molestiam capiunt: ita & nobis accidit. Nam ex eo quòd animo & opere in terrenis rebus nimium distinemur, ac voluptatibus, delitijs, cæterisque mundi vanitatibus, (quas Esaias iure optimo fructibus crudis & acerbis, ante maturitatem ex arbore delapsis, comparat, cum ait: *Pedibus cõculcabitur corona superbiæ ebriorum Ephraim: & erit flos decidens gloriæ exultationis eius, quasi temporaneum ante maturitatem autumni:*) nos cibamus, fit, quod dentes animæ (quæ sunt affectus nostri) ita obstupescãt, vt nec gustare, nec magni facere posimus cælestia & diuina, quæ sunt optimi & delicatissimi cibi, quibus Iusti in terra per contẽplationem, & beati in cælo per visionẽ ac fruitionem pascuntur: imò propter hanc stupiditatem, adeò illa fastidimus, vt vix sine molestia alium de ijs disserentem audire valeamus. Audite S. Hieronymum in commentarijs in Ieremiam, id confirmantem. *Peccata*, inquit, *sunt vua acerba, quæ comedentium dentes obstupescunt, vt non poßint suauitatem eius sentire, de quo dicitur: Gustate & videte, quoniam ego sum Dominus.*

Non possimus gustare cælestia.

Simile.

Esai.28.

S.Hieron.

Nonne, auditores, quotidiana experientia cernitis, talibus hominibus, qui acerbis hisce fructibus, id est, voluptatibus, delitijs & vanitatibus mundi perfruuntur, dentes affectuum suorum ita obstupescere, vt omnia diuina & cælestia, tædium & molestiam eis pariant. Illibenter orant, ieiunant, pœnitentiam agunt, confitentur, communicant, diuinum missæ sacrificium audiunt, officijs diuinis intersunt, & conciones frequentant. Imò hæ diuinæ actiones, si illis inter sint, tam longæ illis esse videntur vt priusquam concionator sermonem, presbyter Missam, Clerus vespertinas preces absoluat, mille annorum spatium elapsum esse arbitrentur. Non attenditis S. Patrem Augustinum in psalmos ita loquentem: *Sicut vua acerba dentibus vexatio est, ita iniquitas vtentibus ea; qui manducat ore corporis vuas acerbas, obstupescunt dentes eius, vt minus idoneus sit ad manducandum panem: ita & qui iniquitate vsus est, & pastus peccatis in corde, incipit non posse manducare panem,* id est, non posse gustare diuina & cœlestia, quæ sunt panis & cibus animarum nostrarum. Gratum nè vobis est, auditores, vt doceam remedium quo tollatur hæc stupiditas?

S. Aug. supra Psal. 49.

Simile.

Consulo vt illos imitemini, quibus dentes hoc pacto obstupuerunt: illi enim temperant sibi aliquamdiu ab esu crudorum & immaturorum fructuum, quousq; dentes eorum ad pristinum vigorē, firmitatem, ac stabilitatem reuersi, nullo negotio panem frangere, cibumque optimum sine vllo fastidio, imò summa cum animi voluptate manducare valeant. Abstinete & vos ab iniquitatibus, volu-

ptati-

ptatibus,& vanitatibus mundi huius, à terrenis affectibus: tum accedetur in cordibus vestris ingens desiderium rerum spiritualium, redibit virtus,& vigor dentium, quo diuinis rebus deinceps vos cibare, eximiumque gustum & voluptatem ex bonorum cælestium contemplatione, capere queatis. Præclarum hoc remedium docet. S. Augustinus in Comment. in Psalmos, vbi ita scribit. *Quid faciunt illi quibus obstupescunt dentes? temperant se aliquantulum ab vuis acerbis,& redeunt dentes ad stabilitatem suam,& incidunt panem: sic temperemus & nos ab iniquitatibus,& nascetur in corde facultas manducandi.* D. August. sup. Psalm.

Quapropter, ô Christiani, peccata, iniquitates, voluptates mundi huius fugite, delitias & gaudia sensuum contemnite, appetitiones & affectus rerum terrenarum abijcite: ac deinde experimini, quam eximium gustum & delectationem ex rebus spiritualibus percepturi sitis. O quantam tunc consolationem sentietis, quando alios tantùm de rebus ad animã spectantibus, colloqui audieritis? Quantam oblectationem capietis, quando excellentias Regis cælestis, & fœlicitatem superni illius regni referri perceperitis? Ideoque magno flagrabitis desiderio, quamprimum hinc emigrandi,& oculis ea lustrandi. O fideles, non defuerunt, nec desunt etiamnum hodie homines, qui admirabilia & stupenda de cælesti hoc regno diuulgent. Audite quæso.

II.

FVerunt nonnulli in Australi hoc regno; qui relinquentes confinia hæc Reginæ Sabæ, & Nonnulli inspexerũt re-

gnum cæleste, & qualia ibi sint retulerunt.

bæ, & rapti in extasin, non per terram iter agendo, sed in sublime super omnia elementa & omnes cælos volando, velocissimo cursu ad fœlicissimum illum Orientem Paradisi peruenerunt, ibique velut aduenæ, aliquam illius magnificentiæ partem inspexerunt (velut aduenæ dico, quia viatores, non comprehensores erant) & postea in terram reuersi, admiranda quædam, & auditu dignissima de regno illo diuulgarunt: Quales fuére S. Isaias, S. Paulus, & alij. Ea autem talia sunt, vt in corde vniuscuiusque ingens possint excitare desiderium, deserendi Austrum mundi huius, & migrandi ad supernum illius Paradisi Orientem. Audiamus igitur, qualia sint, quæ in hunc mundum attulerunt.

Isaias Propheta ad superna raptus, vidit aliquam partem magnificentiarum cælestium: hic autem postquam ad se reuersus est, vehementer quidem desiderabat, homines illorum quæ viderat facere participes, vt eos ad illarum amorem inflammaret. At cum secum ipse cogitaret, & totum hunc visibilem mundum lustrans, oculis & cogitatione omnes creaturas percurreret, nec verba nec similitudines inuenire poterat, quibus illas explicaret: quamobrem paucis verbis, attamen negatiuis nobilem & celebrem regni illius famam diuulgauit, dicens, *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se*: quasi diceret: O vos qui in Austro huius mundi degitis, & adeò imprudenter vitam transigitis, vt nihil aliud quàm hæc inferiora cogitetis, amate Deum, timete Deum, quia ego locum illum,

Isa. 64. 1. Cor. 2.

quem DEVS inhabitat, inuisi, & tam eximia & præclara timentibus eum præparata me conspexisse testor, vt nullus vnquam oculus similia viderit, nec auris audiuerit, neque intellectus imaginatione consequi potuerit. Testatur hoc ipsum S. Augustinus lib. 24. de Ciuit. DEI, inquiens. *Quod Deus præparauit diligentibus se, fide non capitur, spe non attingitur, charitate non apprehenditur, desideria & vota transgreditur, acquiri potest, æstimari non potest.* Vero verius est, cælestia tã magna, rara & eximia esse, vt non solum illi ea explicare non valeant, qui ea nullo vnquam tempore conspexerunt, sed etiam qui ad superna rapti, illis in transitu gauisi & fruiti fuerunt. *D. August. li. 24. de Ciuit. Dei.*

Præterea S. Paulus, raptus ad hoc regnum in corpore, vel extra corpus (quod ipsemet definire nequit) vidit admiranda illa DEI secreta, quæ causam præbuerunt, vt mente excedens, in extasin raperetur. Reuersus verò ad se volebat aliquam, eorum quæ viderat, partem hominibus referre, quo illos ad amorem & desiderium bonorum cælestium prouocaret, vnde exclamabat dicens. *Vidi, vidi.* Quid vidisti Paule? Sed cùm viam & modum explicandi non inueniret, verbis excusantibus & negatiuis vsus est, inquiens: *Vidi arcana Dei quæ non licet homini loqui*, quasi diceret. O mortales, secreta quæ in superno beatorum regno vidi, tam singularia & excellentia sunt, vt non liceat homini de ijs loqui: eò quod nulla humana lingua, ne Angelica quidem, sufficiens sit ad eorum ne minimam quidem partem recensendam. *3. Cor. 12*

Cælestia nec imaginari neque explicari possunt. S. August.

Nulla lingua explicari potest, quid in fœlicissimo æternæ beatitudinis regno inueniatur. Dici quidem potest quid ibi non sit, sed quid ibi sit, minimè: vti S. Augustinus lib. 3. de Symbolo testatur. *Facilius, inquit, possumus dicere in illa vita æterna; quid ibi non sit, quam quid ibi sit. Non est ibi mors, non est ibi luctus, non est ibi lassitudo, non est infirmitas, non est fames, nulla sitis, nullus æstus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla mœstitia, nulla tristitia.* Ecce quomodo Sanctus hic quædam de hoc regno traditurus, negatiue inde excludit omnes calamitates, miserias & imperfectiones huius miseræ vitæ, cùm affirmatiuè quid ibi sit nec verbis efferri, nec intellectu comprehendi posit. Ratio hæc est, quia nec verba nec conceptus reperiuntur in terra, quibus quid in cælo sit, declarari queat.

Dic quæso, Christiane, qua ratione, quoue modo velles explicare & exponere magnificentias illas cælestes? verbis an conceptibus? Si verbis dixeris, aio te illud nunquam perfecturum; quia vt hoc efficeres ijs tibi verbis & epithetis, quæ scriptores ad declarandam & demonstrandam excellentiam rerum inusitatarum, eximiarũ huius mundi vsurpant, vtendum esset: sed illæ tibi ad ostendendam & describendam magnificentiam rerum cælestium non sufficerent: eò quod ille huius mundi res infinitis partibus superent. Ergo verbis eas enunciare nequires. Si verò dicas conceptibus potiùs quàm verbis te illas complecti velle, adhuc in eodem versaris labyrintho, è quo te nunquam explicare poteris. Quippè ad hoc efficiendũ, oporteret te vti similitudini-

bus, me-

bus, metaphoris, & exemplis rerum huius mundi, quæ eandem ob causam infinities absunt à præstantia rerum fœlicissimi illius beatorum regni, quod in immensum transcendit, omne exemplum, omnem metaphoram, & similitudinem, non modo earum rerum, quæ in mundo reperiuntur, sed etiam quæ ab exercitatissimo ingenio fingi possent. Vnde S. August. in sermone de Sanctis, ait: *Excedit facultatem eloquentiæ meæ, transcendit capacitatem intelligentiæ meæ, illud decus, illa gloria, illa celsitudo.* Et S. Chrysostimus in lib. de reparat. lapsi, docet, nullam esse tantam eloquentiam quæ verbis efferre, nullam mentem quæ concipere posit, ea quæ in cælis sunt: eò quòd humanæ mentis intelligentiam, & omnem humanæ linguæ eloquentiam excedant: *Effugit* (inquit) *omnem sermonem, atque omnem sensum humanæ mentis excedit, decus illud, illa pulchritudo illa gloria, illa magnificentia.* Hinc est quòd S. Esaias & Paulus, cùm nec verba nec conceptus ad ea, quæ ibi viderant, explicanda reperirent, paucis verbis se expediuerint, vnus tribus negatiuis, alter vna negatiua, prout iam audistis.

S. August. serm. de Sanctis.

D. Chrysost. de reparat. lapsus.

Manet igitur firma & stabilis hæc conclusio, à nobis mortalibus comprehendi non posse excellentiam & gloriam superni illius regni. Et quamuis multa de illo referri audiamus, imaginemurque nobis esse illud summè rarum & admirabile, attamen in immensum vincit, omnem locutionem & omnem nostrã imaginationem. Nam sicuti pictura nondum perfectè consummata, ab illis qui artem pingendi non callent, aut eam non profitentur,

Simile.

sæpenu-

ſæpenumerò iudicatur eſſe admodum præclara, ſine defectu, atque omnibus numeris ſuis abſoluta: quæ tamen in pictoris iudicio imperfecta eſt, multumque abeſt ab illa Idea, quam ſibi in mente propoſitam habet. Ita nobis etiam (qui inexpertes ſumus ſupernæ illius beatitudinis, & parum exercitati in rebus, illius fœliciſſimi beatorum regni) videtur ſupra modum excellens & rarũ eſſe illud, quod de eo nobis S. Scripturæ, Sanctorum Eccleſiæ Doctorum, & concionatorum verbis depingitur, quodque nobiſmetipſis de illo imaginamur: ſed ſummus opifex DEVS, qui illud efformauit & depinxit, optimè videt, quantum erremus in noſtro iudicio, & quàm longiſſimè abſimus ab illius excellentia & perfectione, quam in altera vita nobis demonſtrabit. Tunc enim multò plus videbimus, de hoc beato cælorum regno, quàm vel dicere aut imaginari potueramus in terra. Hęc igitur eſt cauſa, cur S. Iſaias & S. Paulus in deſcriptione rerum ſupernarum vſi fuerint verbis negatiuis iiſque breuibus; non affirmatiuis; cætera in id vſque tempus differentes, quando ex hoc mũdo ad ſupernum illud regnum digreſſi, propriè ac perfecte intuebimur, qualenam illud reuera ſit.

Chriſtus præterea qui verus regni huius Dominus eſt, & in huius terræ Auſtro peregrinatus fuit: *In terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt*; in hunc mundum veniens, multa mirabilia de glorioſo hoc regno retulit. Et varias adferens ſimilitudines, modò cõparauit illud theſauro in agro abſcõdito, quẽ qui inuenit, omni ſua ſubſtantia diuendita, a-

Baruch. 3.

grum

grum & thesaurum hunc sibi comparauit. *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo abscondit, & præ gaudio illius vadit & vendit omnia quæ habet, & emit illum.* Aliquando gemmæ lucidissimæ immensi pretij, à negotiatore inuentæ, quam venditis omnibus rebus suis, sibi coëmit. *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærēti bonas margaritas, inuenta autē vna pretiosa margarita, dedit omnia sua & comparauit eam.* Nonnunquam nuptijs quas fecit paterfamilias filio suo sponso, ad quas plurimos inuitauit. *Simile est regnum cælorum patrifamilias, qui fecit nuptias filio suo, & inuitauit multos.* Multis denique alijs rebus illud comparauit, vti patet ex libro Euangeliorum. Sed tandem relictis similitudinibus, ad rei veritatē ostendendam transijt. Nam quodā tempore in mōte Thabor tribus discipulis suis carissimis experimentum aliquod seu pignus futuræ beatitudinis dedit, illisque partem aliquam gloriæ cælestis demonstrauit, faciem suam instar solis lucentem, & vestimenta sua more niuis candicantia, illis intuenda offerens. *Resplenduit facies eius sicut Sol, & vestimenta eius facta sunt alba sicut nix.* Qua gloria inebriati Apostoli, desiderabant in sacro hoc monte perpetuū commorari, & gaudio pleni dicebant: *Domine bonū est nos hic esse.* O Christiani, quare ab hac Transfiguratione non ascenditis ad cognoscendum, quàm ingens & immensa sit illius regni Orientis, quod supra cælos est, fœlicitas & beatitudo.

Matt. 13. Matt. 13. Matt. 22. Matt. 17.

Quod si exigua hæc glorificati dūtaxat corporis demonstratio, & minimū illius fœlicitatis,

tatis, quæ electis in cælo præparata est, indicium, tantoporè exhilarauit & gaudio delibutos reddidit Apostolos, in monte cum Christo existentes: quale gaudium, qualis exultatio eorum futura fuisset, si conspexissent montem illum vastissimum, lacte, & melle manantem, in quo Deus sibi domicilium delegit? sedes illas cœlestes? palatia illa magnifica? flumen illud Chrystallinum? Arborem illam ad ripas eius plantatan, quæ singulis mensibus profert fructus suaues & salutiferos? Ciuitatem illam ex auro purissimo, simili vitro pellucido constructam? lucernam illam lucidissimam, quæ Agnus DEI est? portas illas ex margaritis, & gemmis pretiosissimis elaboratas? *Si enim, vti* S. Augustinus ait: *vna gutta ex Paradisi flumine hausta, omnem huius mundi sitim extinguit, quid inexhaustum omnium bonorũ pelagus nõ efficiet?* O Christiani quare non ratiocinamini vobiscum & dicitis. Si exiguum tantummodo pignus & experimentum, illius cælestis gloriæ Apostolis collatum, eos tanta voluptate perfudit: qualis debebit esse voluptas beatorum, in cœlesti gloria regnantium? & si voluptas eorum tanta est, cur vitam ita non instituistis, vt aliquando hac gloria potiri, & cum illis ea perfrui valeatis? Verùm attendite, nam hic præclara quædam cogitatio vobis declaranda, mentem meam subit.

S. August.

III.

CVr existimatis Deum hominibus in terra gustũ aliquem rerum cœlestium impar-

tiri

tiri & illis quodammodo superni regni sui gaudia prægustanda offerre, vti fecit S. Esaiæ S. Paulo, tribus discipulis & multis alijs sanctis? O auditores, non aliam ob causam id facit, nisi vt ex breui & momentaneo hoc gustu atque experimento cognoscant, quanto gaudijs & voluptatibus cœlestis ille Paradisus redundet, sicque libenti animo aduersa omnia patiantur, & in bonis operibus desident, vt eo tandem aliquando potiri valeant. Audite.

Gustum rerũ cœlestiũ cur Deus in hoc mundo iustis impertiatur.

Legimus antiquis Hæbreorum historijs, Patriarcham Iosephum, cum infinitam frumenti abundantiam in AEgypto coacernasset, aquis Nili fluminis copiosam paleam iniecisse, vt vrbibus, terris & regionibus ad quas defluebant, essent veluti prænunciæ quanta in AEgypto esset abundantia, atque inde cognoscerent, vbinam congesta esset tanta frumenti copia, qua non vicini modò populi, sed etiam longè dissiti, sustentari possent. Hæc palea, vti videtis, non erat abundantia, sed signum illius: non ipsum frumentum quòd satiat, sed indicium tantummodo, vbi frumentum satians inueniendum esset, vt per boc inuitarentur homines ad emendum. Ita etiam magnus ille Patriarcha & Monarcha cæli DEVS, agit cum hominibus: Cùm enim habeat in superno regno omnium bonorum ingentem copiam coaceruatam, emittit nonnunquam de cælis, & decurrere facit per flumen præsentis vitæ, gustus seu voluptates aliquas spirituales: quæ aliud nihil sunt quam palea boni frumenti, supernæ illius beatitudinis: signum infinitæ abundantiæ

Figura.

undantiæ in magna illa vrbe cæleſtis Paradiſi congregatæ; prænuncij immenſæ copiæ omnium bonorum in ſuperno domicilio collectæ; qui nos inuitant & mouent, ad eorum per bona opera coëmptionem. O quanta debebit eſſe ipſa ſuperni regni fœlicitas, ſi paleæ illius tantam nobis voluptatem in terris adferunt? Dico præterea:

Simile.

Elargitur Dominus electis ſuis in terra idcirco guſtum aliquem rerum cæleſtium, vt eò libentius ſufferant labores huius mundi, ſpe futuræ vitæ. Quia ſicut nobilis aliquis qui multos amicos ad conuiuium inuitauit, omnibus congregatis, interea dum cibi & fercula præparantur, ne expectatio illis tædium adferat, quouſq; hora ad menſam accumbendi adſit, elegāti aliqua ſymphonia illos recreat, aut delicatas aliquas conſeruas, paſtas regias, aut confectiones ſaccharatas illis guſtandas proponit, vt breui hac oblectatione diſtenti, patienter ſuſtineant, & volenti animo expectent tempus illud quo menſæ accubituri, & pleno conuiuio gauiſuri ſunt: Ita facit nobiliſſimus DEVS Rex cæleſtis, cum amicis & electis ſuis, quos ad diuinum illud cæleſtis Paradiſi conuiuium, ad iucundam illam ſupernæ gloriæ cœnam inuitauit: his, vt animo volenti labores & calamitates ærumnoſæ huius vitæ tolerent, patienterq; horam illam, qua diuiti & opulētæ mēſæ cæleſti accubituri ſunt expectent, largitur guſtus aliquos ſuauiſſimos, & experimenta dulciſſima rerum cæleſtium, vel per extaſin, vel per apparitiones, vel per ſecretas ad cor eorum locutiones, iuxta Dauidicum illud oraculum: *Audiam quid loquatur*

quatur in me Dominus.

O auditores. Extaſes illæ Iſaiæ, raptus Pauli, ſplendens vultus Chriſti Saluatoris cum in monte tranſfiguraretur, fuit ſuauis quædam harmonia, buccella delicatiſſimæ alicuius cõſeruæ aut confecti ſaccharati, quam Dominus eis guſtandam præbuit, vt facilius tolerarent labores, perſecutiones, martyria, quæ ipſis imminebant, expectarentque maiori cum patientia beatam illam horam, qua lautiſſimo conuiuio cæleſtis Paradiſi accubituri erant. Putatiſne, auditores, ſine hac ſymphonia, ſine buccella hac ſaccharata, Prophetas & Apoſtolos ſuſtinere potuiſſe tot aduerſitates & perſecutiones? Martyres tot tormenta? Confeſſores tot inſidias? Virgines tot ludibria? Eremitas tot ieiunia? Religioſos innumeros clauſtra? vigilias? mortificationes? Non certè. Sed cibi & guſtus iſti cæleſtes ac diuini cauſa fuerunt, cur prophetis & Apoſtolis perſecutiones, conſolationes viderentur. *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu conſilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati*: Act.5. Martyribus tormenta iucunda, ſicut de protomartyre Stephano ſcriptum eſt: *Lapides torrentis illi dulces fuerunt*. Confeſſoribus inſidiæ, amicitiæ: Virginibus ludibria, voluptates: Eremitis abſtinentiæ, conuiuia: Religioſis clauſtra, regna. Vigilię, requies: mortificationes, recreationes. Audite S. Paulum qui me à mendacio 2.Cor.1. eximit. *Pater miſericordiarum*, inquit, *& Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. Quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & abundat conſolatio noſtra.* Hinc eſt quod S. Pater Auguſtinus in

Solliloquijs, his verbis alloquitur Dominum. *Tua enim dulcedo cuncta amara dulcorat. Tua dulcedo craticulam Laurentio dulcem fecit. Tua dulcedo Stephano lapides torrentis dulcorauit, præ tua dulcedine ibant Apostoli gaudentes à conspectu consilij.* O fratres, ex dulcibus & diuinis his gustibus, quos benignissimus & liberalissimus DEVS largitur in terra, magnam capiebat consolationem deuotissimus Bernardus in austerrima vita sua, vt propterea diceret: *Filij huius sæculi vident cruces nostras, & non consolationes nostras.* In seruo DEI quid videt mundus præter famem, paupertatem, afflictiones, persecutiones? At consolationem illi communicatam à DEO, & absconditam in pectore & anima illius, non videt. Vnde quidam ex his DEI amicis ait. *Quasi tristes, semper autem gaudentes.* Tristes mundo esse videntur, at illi semper alacres sunt animo, modò per spem, postea per gloriam quam possessuri erunt. Bone DEVS, quàm blandè nosti fouere amicos tuos in aduersitatibus suis! Largiris eis voluptatem in tormentis, triumphos in patibulis, fœlicitatem in miserijs, alacritatem in passionibus, gaudium in tribulationibus, delectationem in carnis macerationibus, Paradisum in claustris, requiem in vigilijs, recreationem in ieiunijs. Hanc artem non callet mũdus: qui desperat in laboribus, affligitur in miserijs, murmurat in persecutionibus, cruciatur in tribulationibus. O fideles, non est dubium quin hi diuini gustus valdè inflamment homines ad desiderium cœlestis Paradisi.

S. August. in Soliloq.

D. Bern.

2. Cor. 6.

IV. Non

IV.

NOn recordamini exploratorum, à Moyse ad lustrandam terram promissionis ablegatorum, qui terra explorata, asportarunt secũ vuam ex illius vinetis auulsam tãtæ magnitudinis, vt vnus solus ferendo non esset, sed opus fuerit à duobus eam in vecte gestari: ac deinde ad locum in quo populus Israeliticus castra locauerat, reuersi, ostensione stupendi huius fructus, Israelitas ad terræ illius fertilissimæ & vberrimæ, quæ tam excellentes fructus produceret acquisitionem inflammarunt. Ecce ostendo vobis hosce exploratores: ex quibus sunt S. Esaias, S. Paulus & alij complures, qui in extasi ad illam fœlicissimam terram promissionis, non terrenam, sed cœlestem, translati fuêre: atque illa aliquantulum lustrata, vnico tantum fructu sublato, ad terram, in qua nos simul congregati sumus, ad dæmones, mundum & carnem debellandos, reuersi sunt: & admiranda nobis de fructibus regni cœlestis, & rebus eximijs ibidem existentibus, retulerunt. Quin & Christus ipse, inde ad nos in terrã veniens, in monte Thabor ostendit discipulis suis ingentem vuam & fructũ eximiũ fertilissimæ illius terræ Paradisi, cùm transfiguraretur coram illis, vt nostis. Fructum duo gestabant, quia duæ naturæ simul vnitæ, in vna eademque persona, hunc gloriæ fructum nobis demonstrabant, qui nihil aliud erat, quàm certum quoddam

indicium & signum, summæ fœlicitatis regni cælestis. Quo Apostoli & sancti viri adeò inflammati fuerunt, ad cœlestis huius regni acquisitionem, vt omnia aduersa pro illius adeptione patienter tolerarint. *Stillabunt*, inquit Ioël propheta, *montes dulcedinem, & colles fluent lac & mel.* Si autem gustus & voluptates, quas DEVS in præsenti vita largitr sunt stillæ & res minutissimæ à cœlestibus, Paradisi montibus defluentes: qualis quæso debebit esse illa aquarum supernæ gloriæ, & rerum ineffabilium in cælesti regno reconditarum, summa abundantia!

Ioel. 3.

Deus nemini denegat gustum rerum cœlestium, quem si non sentimus, causa in nobis est.

Noli putare, ô Christiane, quòd DEVS non amplius præbeat gustandam diuinam illam conseruam, confectionem illam cœlestem, his qui in ipso toto corde confidunt. Si tu eosdem gustus non experiris, defectus in te, non in DEO est. In te, quia repellis illos prauitate vitæ: non à DEO, qui omnibus recipere volentibus seque disponentibus, illos non denegat.

Simile.

Non nosti plantam mortuam & aridam, aquarum è cælo stillatarum, aut ab hortulano eam adaquante subministratarum beneficium non sentire: viuam vero & germinantem percipere: quæ si fortè languet, dum irrigatur pluuijs, vel aqua aspergitur, reflorescere & quasi ridere videtur. Ecquid es, ô Christiane, nisi quædam horti amœnissimi sanctæ Ecclesiæ plantatio? Proinde si mortuus es in peccato, & aridus, id est, priuatus humore diuinę gratię, non potes experiri neque gustare aquas cælestium contemplationum, de cælo defluentes, aut à diligentissimo hortulano DEO tibi immissas. At si viuus es in virtutibus & operibus

ribus bonis, & sancto humore diuinæ gratiæ consperſus, haud dubiè ſenties & experieris illas ſumma cum animi voluptate. Audi Dauidem, qui vt hoc tibi demonſtraret, eadem metaphora vtitur. *In ſtillicidijs*, inquit, *eius lætabitur germinans*: quaſi diceret: Quemadmodum planta viua & germinans gaudet lætaturque, cùm irrigatur pluuijs, vel ab hortulano adaquatur: Ita conſolationes diuinæ quibus DEVS nos perfundit, quamuis raræ & exiguæ ſint, ſeque inſtar guttarum & ſtillicidiorum habeant, reſpectu cæleſtium, quæ ſunt velut mare conſolationem, attamen ſummam ei adferunt delectationum, qui in DEI gratia viuit, & in virtutibus atque operibus ſanctis floret. Pſal. 64.

Non audis? *Lætabitur germinans*. Proinde ſi cares guſtibus & conſolationibus his cæleſtibus, quæ tanta hominem in terris voluptate delibutum reddunt: noli conqueri de Deo, quòd eas alijs & non tibi communicet, ſed de te ipſo cóquerere, quòd peccator ſis, mortuus, & priuatus vita diuinæ gratiæ. Quòd inquam viuis vti homo mundanus & carnalis, non vti verum & bonum decet Chriſtianum. Quamobrem firmiter ſtatue imitari Chriſtum, illius veſtigia calcare, & bonum Chriſtianum moribus exprimere: ſic enim DEVS præbebit tibi guſtum aliquem cœleſtium confectionum, & diuinarum conſeruarum, ac poſtea faciet te accumbere menſæ abundantiſſimæ cæleſtis Paradiſi, vt lautiſſimo conuiuio illius gloriæ perfruaris.

Sed quò guſtuum horum cauſa abſtractus ſum? En redeo vnde digreſſus fui. Iſaias & S.

Paulus, cæterique Apostoli & sancti viri, cùm partem aliquam magnificentiæ regni illius in Oriente constituti conspexissent, & breuissimo tempore fœlicitate cœlestis Salomonis gauisi fuissent: celebrem & nobilem illius regni famam per totum terrarum orbem diuulgarunt. sic enim in Psalmis scriptum est: *In omnem terram exiuit sonus eorum.* Et Apostoli de se aiunt. *Quod vidimus & audiuimus, quod manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, annunciamus vobis.* Dispersérunt, ô Christiani, sancti tanquam peregrini, & Christus tanquã ciuium cælestium honoratissimus ac nobilissimus, celeberrimam huius regis cœlestis famam: & præter illos spargunt eam incessanter docti viri, libris in lucem editis, & concionatores è suggestibus. Vnde ad aures animarum & humanæ naturæ, ad aures inquam virorum & fœminarum perueniens, oritur in multis ingens desiderium & cupiditas, cum Regina Saba ex Austro huius mundi ad Orientem cœlestem, ad regnum illud beatissimum & iucundissimum veri Salomonis intuẽdum, quàm citissimè demigrandi. Imò ex hodierno sermone videor mihi videre vos omnes accẽsos & inflammatos summo desiderio, ad supernum illud domicilium proficiscendi, vt vestris oculis ea lustretis, quæ ego hodie hac mea debili voce aliquatenus adumbro.

Psal. 18.
2. Ioan. 1.

V.

AGite ergò, equos singuli cõscendamus, & comitemur Reginam ad videndũ Salomonem properantem, id est animam & humanam

manam ſpeciem ad Deum videndum feſtinantem. Omnibus nobis ad equitādum equus deputatus eſt. Senſus noſter, ſiue caro noſtra equus eſt, quem cuilibet noſtrûm Deus frænandum & regendum dedit. Non auditis? *Subter te erit appetitus tuus*. Frænando, domando, calcaribus vrgendo equum hunc, ô Chriſtiane, proficiſcendum tibi eſt in Orientem. Vtere illo benè & rectè, caue ne indulgeas illi frænum, quo dominetur tibi, & non tu illi, adeò vt quocunque libuerit te perducat, & tandem in inferni barathrum præcipitet. Certò tibi denuncio, niſi illi frænum inieceris calcaribus vrſeris, & quantum fieri poteſt, edomueris, quòd recalcitrabit, ſeſſorem excutiet, & in foſſam infernalem te aget præcipitem.

Quomodo anima cum Regina Saba ad Salomonem id eſt ad Deum proficiſcatur.

Gen. 4.

Ecce artem regendi illum atque ducendi tibi ſuppedito. Doma illum virga ieiunij, abſtinentiæ, diſciplinæ: fræna illum fræno amoris diuini, vrge illum ſtimulis timoris pœnarum æternarum. Non vides quot equi effrænes & indomiti ſeſſores ſuos excuſſerint, & in imam inferni voraginem præcipites dederint? *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt*. Audi & alium proſtratum ex equo ſic lamentantem. *Oculus meus deprædatus eſt animam meam*. O quàm benè frænabat & domabat equum ſuum S. Paulus qui dicebat. *Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne cùm alijs prædicauero, ipſe reprobus efficiar*. Si & tu Chriſtiane rectè ad cælum vſque adequitare, & à præcipitij periculo immunis eſſe vis, diſce ab hoc ſancto frænare & domare equum, corpus dico & ſenſualitatem tuam caſtigādo & diſciplinando, illud, ne recalcitres

Iob. 23.

Thren 3.

contra ſpiritum, teq́ue in profundum abyſsi præcipitare faciat.

Via animæ ad Deum. Eia animæ charæ, quandoquidem omnes in itinere cum Regina Saba conſtituti ſumus, & ad Regem cæleſtem verum Salomonem vidẽdum proficiſcimur, *ſumus enim in via & peregrinamur ad Dominum*; *2.Cor.5.* neceſsè eſt vt inſtituamus iter noſtrum, equitando nunc per altos montes contemplationum, modò per amœnos colles diuinorum conſiliorum, aliquando per imas & anguſtas valles humilitatis, nonnunquam per ſpecioſos campos ſanctiſsimorum DEI mandatorum, quandoq; per vmbroſas & denſas ſyluas tentationum, alias transfretando limpida flumina & rapidos torrentes tribulationum. Per has vias neceſſarium eſt, ô Chriſtiane, vt ad mortem vſque obequites, ſi vis tandem pertingere ad Orientem cæleſtis Paradiſi. Quando vltimum vitæ gradum attigeris, tum iter hoc abſolues, & poterit tibi dici, vt ab equo deſcendas. Tum enim ſolutus mortali hoc corpore, deſeres Auſtrum huius mundi, & aſcendes velociſsimè ſupra elementa & omnes cęlos, atque in inſtanti peruenies ad Paradiſum, palatium ſuperni Salomonis. Scire namque debes, (ſi in bonis actionibus, & virtutum exercitijs, in præſenti vita deſudaueris, & pro peccatis tuis integrè ſatisfeceris) quòd vita functus & corpore ſolutus, in momento & in ictu oculi transſgreſſurus ſis elementum aëris, & ignis, indeque cœlos ſeptem Planetarum, Lunæ, Mercurij, Veneris, Solis, Martis, Iouis, Saturni, & poſtea firmamentum ipſum penetraturus: moxq́ue transſcenſo primo mobili & cælo chryſtallino, in

ipſum

ipsum cælum Empyreum, quod regnum illud est in Oriēte constitutum, cuius iam sæpè memini, ingressurus. Eius ciuitas est Hierosolyma, id est, Paradisus: Rex, Salomon, id est, DEVS summæ maiestatis.

Postquam eò appuleris, inuenies portas magnæ illius ciuitatis apertas: Ciues qui te à longè venientem conspexerant, immenso cū gaudio tibi obuiam procedentes, ad te intuendum accurrentes, & in tui contemplatione defixos: atque propter tuum aduentum insolita lætitia triumphantes. Deinde Angeli accedent, qui te singulari pompa ad Regem introducant: quibus deducentibus aulam Regiam ingredieris, ibique videbis Regem, antiquum dierum, in solio eminenti residentem, trinum in personis, vnum in essentia, maiestate & amore totam aulam adimplentem; quem profunda cum reuerentiæ exhibitione salutabis. Ipse verò quamprimum te conspexerit, descendet de sublimi solio suo, & veniet ad te, non motu locali, sed dulcissimis affectibus amoris, & agnoscet te pro filio suo adoptiuo, amplectetur te, tibique osculum pacis porriget: & tu contra offeres illi splendida, pretiosa & odorifera dona bonorum operum tuorū, quæ illi ex Austro, id est, ex hoc mūdo defers.

Anima in cœlo à beatis & Deo recipitur.

Tunc DEVS vniet te sibi, & tu vicissim vnies te DEO, imò Deus quidam eris, quia deificaberis. Tunc omnia quæ in DEO sunt (pro tua tamen capacitate) in te, & contra omnia quæ in te, in DEO erunt. Quemadmodum si duo lucidissima specula contra se inuicem constituantur, quicquid in vno est, in altero quoq; cernitur: ita etiā, ô Christiane, quando

Simile.

in cælesti beatitudine fueris, videndo DEVM, videbis Deum & te in Deo, contemplando te, intueberis te, & Deum in te. Quicquid es & quicquid habes, totum in Deo videbis. Quicquid Deus est & quicquid in se habet (quod ad tuam pertineat beatitudinem) in te videbis: & qualis DEVS in te fuerit, talis erit in omnibus beatis. *Et erit omnia in omnibus*. O immensam fælicitatem! Beatos verò contemplando, videbis DEVM in illis quemadmodum in te, ideoque regnum illud DEO plenum erit. Quamcunque in partem te conuerteris, diuinam faciem intueberis, quæ gaudio omnes beatos, & maiestate totum illud regnũ adimplet. Præter hæc omnia deducet te per totum palatium Paradisi, & vniuersum illius decorem tibi ostendet, qui maximum tibi pariet stuporem & admirationem; omnium prę terea rerum iufundet notitiam, & omnia dubia, quæ à quocunque etiam intellectu fingi possunt, soluet: de hinc ad lautissimas illas mensas accumbere faciet, vbi Angelorum in seruiendo promptitudinem, splendoremque vestimentorum, quia amicti sunt stola iucunditatis, videbis. Tum verò obstupefactus cum Regina Saba, dices summo Regi. O quàm inaudita est tua sapientia, gloria & splendor quem video per vniuersum hoc regnum? Quã est ciuitas hæc omnibus bonis referta? Quàm pulchrum & augustum est hoc palatium cælestis Paradisi? Quàm delicati cibi & vina pretiosa, quibus in mensa tua fruor? Quàm insignis ordo Angelorum tibi ministrantium? Quanta promptitudo eorum in tuis obsequijs? Quàm pretiosa, quibus induti sunt, vestimenta? Quam

1.Cor.15.

ta? Quàm suauis harmonia illa quam audio tot musicorum, nouem videlicet chororum? O Rex, longè vincis famam de te, tuóque regno in Austro terræ nostræ diuulgatam, vbi ne quidem minima pars excellentiarum tuarum & huius fælicissimi regni mihi fuit enarrata. *Vicisti famam, vicisti famam: maior es tu, maior est gloria tua, & maius est regnum tuum, quam rumor qui auditur in terra deorsum.* Maior es tu & maior gloria tua & regnum tuum, quàm illa quę de te Prophetę, Apostoli, & Sacri Doctores, in mūdo prędicant. Imò infinities maior est gloria tua quā illud quod omnes terræ nostræ cōcionatores de illa enūciare possint. Modò clarè video Domine, quā iustè electi tui hunc mundum, & omnia quæ illius sunt, contempserint, quod tunc non intelligebam: caussa enim hæc erat, quòd aspirarent ad immensam illam gloriam, cuius experimentum seu gustum quendam in terra perceperant.

O fælices sancti, qui regnum hoc incolitis, non sine causa contemnebatis diuitias, honores negligebatis, voluptates spernebatis, carnem macerabatis, in tormentis gaudebatis, in laboribus lætabamini, in ærumnis exultabatis, in tribulationibus alacri animo eratis, in persecutionibus gloriabamini, & in martyrijs triumphabatis. Nam hæ erant semitæ, quæ vos ad triumphandum in fælicissimo hoc regno deducebant, & ego amoribus Austri nostri nimium immersus, sublime hoc secretum vestrū non intelligebam. Iam verò quoniam ex speciali huius regis gratia, ad idem regnum perueni, & vobiscum eadem beatitudine ac DEO quamuis non ita sicuti vos, fruor, apertè video quàm stultus fuerim, dum sectarer mundum,

& quam

& quàm vos sapientes qui illum fugiebatis. Laus & benedictio sit in omne æuum Domino DEO Regi clementissimo, qui me in Austro commorantem, ad fœlicissimum hoc regnum inuitauit, & sua gratia opitulante ad illud vsque prouexit, vt ibi simul cum illo & vobis omnibus, æterno tempore triumpharem.

Dulcedo huius regni, auditores, me cum Regina Saba in illum supernum Orientem adeò sustulit, vt non recordarer me in Austro & in terra constitutum esse. Et quoniam tam altè ascendimus, vt ad cælum vbi requiescunt beati pertigerimus, nos etiam paululum cum illis quiescamus: quia ex tam ingenti saltu proculdubio fatigati sumus, vt deinde maiori cum alacritate iter ad fœlix hoc regnum, quod omnes beatos æterno iubilo replet, continuemus.

TERTIA PARS.

I.

COElestia tam magna & eximia sunt, vt eorum ne minima quidem pars, nisi ab ijs, qui coram ea inspexerunt, referri possit: cùm: acutissima etiam ingenia quò attentius ea rimantur, & sapientissimi viri, quo accuratius ea contemplantur, eò maiori stupore & ignorantia obruantur.

Ego igitur cum nullo vnquam tempore illa præsens inspexerim, quomodo enarrare ac declarare potero, qua ratione DEVS animæ, quando ad supernum cælestis regni orientem peruenerit, vniatur? qua ratione Deum anima videat? & quid in Deo, simul cũ Deo contẽpletur? Nimis magna est audacia mea: de qua vehementer

hementer erubeſco: præſertim cùm exiſtimē, melius me facturum fuiſſe, ſi relicto difficillimo hoc conatu, in id vſque tempus vos reieciſſem, quando per Dei gratiam, ad ſupernum illud regnum translati, coram ea omnia intueremini & in vobiſmetipſis experiremini. Sed cùm Reginam Saba, id eſt, animam noſtram, hactenus in cœlum, ad veri Salomonis, id eſt, ad ſummi Dei thronum vſque deduxerim, illamque ei obtulerim, nonne ſilentium meum iure ab omnibus vobis culpari poſſet, ſi eximias dignitates & honores, quibus à ſummo cœlorum monarcha ibidem decoratur, præterirem? Itaque loqui nequeo de rebus quarum ignarus ſum: & nihilominus tacere non licet. Si loquar, præſumptionis arguor, quòd os meum in cælum ponam, & linguam ad res nimium ſublimes laxem. Si taceam, ſilentium in rebus relatu audituque digniſſimis mihi vitio vertetur. Quid ergo faciam? Balbutiam tantùm aliquid de beatitudine qua gaudet anima in cæleſti Paradiſo. Sic enim illud conſequar, vt neque taciturnitatis notam in rebus tam dignis & eximijs ſilentio inuoluendis incurram, neque de nimia in loquendo audacia, in rebus tam ſublimibus, quæ ab homine dum in hoc mundo degit, ſciri & comprehendi nequeunt, reprehendi queam.

Itaque doctrinæ Theologorum & ſacrorū Eccleſiæ Doctorum innitens, balbutiam & aliquatenus adumbrabo gloriam & fœlicitatē, quam anima diuino conſpectui oblata, Deoque ſociata, conſequitur: perfectiorem earum rerum cognitionem atque inſpectionem vobis relinquendo, cum ad ſupernam gloriam à

Domino

Domino euicti ac sublimati fueritis. Attendite obsecro, quia sumus cũ anima in cęlo, non in terra: in Oriente, non in austro: Regina coram Salomone, non in itinere constituta est.

Quomodo Deus animã deificet, illique se vniat. Posteaquã anima fælicissimum illũ cælestis Paradisi Oriẽtẽ attigit, summa illa veri Salomonis, id est, Dei maiestas, ex eminenti solio suo descẽdet, nõ motu locali, sed amoroso, vt eã beatificet, & ei vniatur, *per modũ*, vt Theologi loquũtur, *speciei*. Quæ vnio necessaria est, si anima Deũ videre, illoq; frui debeat, alioqui eũ nec intueri, nec eo perfrui poterit. Clarum namq; & euidens est, apud eruditos omnes, si intellect⁹ intelligere, & sensus sentire debeat, necessariũ esse vt obiectũ vniatur potentiæ, id est, vt res intelligibiles intellectui, & sensibiles sensui cõiungantur: hoc enim si nõ fieret, nec intellectus intelligere, nec sensus quicquã cognoscere aut sentire posset. *Oportet*, inquit Philos. *Intelligentẽ phantasmata speculari.* At quomodo vniuntur huic potentiæ? Nõ per se, neq; realiter, sed per speciẽ, & per imaginem. Vnde Philos. *Non lapis est in anima sed species*

Aristoteles. *lapidis*. Vt exempli causa: columna illa: murus ille: homines omnes, quos hic præsentes intueor, oculo meo vniti sunt, alioqui enim nec illos, nec columnam, neq; murum intueri possem. At quomodo mihi vniti sunt? Num realiter? Non; quia totum visus mei organũ ita occuparent, vt nihil videre possem. Non sunt

Similis. igitur lapides & calx illius colũnæ, vel muri, nec caput, brachia, pedes tot hominũ hîc præsentiũ in oculo meo; sed egreditur ab illa columna, & à vobis species quædam seu imago, quæ oculo meo vnitur, quã vnione fit, vt vos

& colum-

& columnam illam ſeu murum intueri valeã. Illuſtrabo rem hanc exemplo adhuc faciliori, vt etiam ſimpliciores me intelligant. Si manu teneam clarum & lucidum aliquod ſpeculum, & illud ex oppoſito meijpſius conſtituam, ſtatim me in eo contemplor: opus eſt igitur vt ſpeculo vnitus ſim: hoc enim ſi non eſſet, me non intuerer. At quomodo ſum ei vnitus? non realiter, quia nõ ſum reuera in illo ſpeculo, ſed per ſpeciem & imaginẽ meam. Emanat enim à me ſpecies quædã ſeu figura me repræſentãs, atq; per hãc imaginẽ ſpeculo vnior: vnde fit vt licet foris ſim, in ſpeculo tamen me videam. Vnio autem hæc non eſt realis, ſed per ſpeciem. Eâdem ratione omnia ſenſibilia ſenſui, & intelligibilia intellectui vniuntur. Et per hanc vnionem, qua obiectum per ſpeciem ſeu imaginem potentiæ intellectiuæ aut ſenſitiuę coniungitur, fit propinquum quoddam principiũ ad cognitionem, quod à Philoſophis appellatur, actus primus, cognitionem verò ipſam vocant actũ ſecundum. Hinc S. Auguſt lib. 2. de doctrina Chriſtiana ait. *Ex cognoſcente & cognito paritur notitia.* Videtis ergo, quomodo vnio, actus primus, præcedat cognitionem, actũ ſecundum. Sed reuertamur ad propoſitũ. — *Simile.* — *S. Auguſt.*

Si anima in cælo DEVM debeat cognoſcere, neceſſarium eſt, vt DEVS illi vniatur. At quomodo vnitur? An per ſpeciẽ? Nequaquam. Quia DEVS nec ſpeciem nec imaginem ſuijpſius, à qua repræſentari valeat, poteſt producere. Ratio Theologica hæc eſt: quia ſpecies ſeu imago, purior, ſimplicior, ſpiritalior, & immaterialior eſt ea re, ex qua emanat. Nulla autem ſpecies ſeu imago produci poteſt, quæ — *Deus nullam ex ſe ſpeciem ſeu imaginẽ producit.*

Deo purior, simplicior, & spiritualior fit.

Prętei ea, omnes species & imagines ita determinatæ & particulares sunt, vt rem vnam repræsentantes, aliam repræsentare nequeãt: DEVS autem, vt eruditi omnes norunt, nõ est vnum aliquid determinatum, nec habet vnum esse particulare, diuisum ab alijs; sed tam perfectus est, vt eminenter omne esse & omnes res in se contineat, iuxta illlud Apostoli: *Portans omnia verbo virtutis suæ.* Nulla igitur species potest determinare, DEVM indeterminatum: nulla imago creata aut producta, repræsentare potest DEVM increatum & improductum: qui continet omnia, imò, qui est omnia. Manet ergo firma & stabilis hæc veritas, DEVM non posse vniri animæ per speciem, neque per imaginem, vt in alijs rebus fit.

Heb.1.

Quomodo ergo ei vnitur? *Per modum*, vt Theologi aiunt, *speciei.* Vnitur DEVS per se & realiter animæ, & hanc vnionem vocant, *per modum speciei*: Quia illi se vniendo, facit, per se & sine specie, officium illud, quod species circa intellectum & sensum perficiunt: nam perducit animam hac vnione, ad principium quoddam propinquum, beatificæ visioni quod appellatur actus primus: visio ipsa est actus secundus. Quamuis autem hæc vnio sit realis, quatenus perducit intellectum animæ ad primum hunc actum, visioni propinquum, & dicatur esse vnio *per modum speciei*: Attamen euidenter liquet, quàm magna sit differentia inter duo hæc, esse vnionem *per speciẽ*, & vnionẽ *per modũ speciei*: eò quòd illa vnio sit imaginaria, id est, per imaginẽ, hęc vero realis.

De duobus hisce actibus, primo & secũdo,

qui

qui sunt vnio & visio, S. Ioannes in Canonica sua intelligendus est, quando ait: *Cum apparuerit similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est.* 1. Ioan. 3. De vnione loquitur cum dicit: *Similes ei erimus.* De visione autem quando inquit: *Et videbimus eum sicuti est.* Quia in vnione, qua vnitur DEVS animæ nostræ, similes ei efficimur, idcirco ait: *Similes ei erim⁹.* Quia ei vniti illũ perfecte videm⁹ atq; cognoscimus, qualis reuera in se est, idcirco dicit. *Et videbim⁹ eũ sicuti est.*

Quomodo Deus animæ vniatur.

Ad intelligẽdã sublimẽ hãc Euãgelistæ huius sententiã, sciendum est, quando, anima in cælis existente, Deus illi se vnit, quòd ab eo ad esse quoddam supernaturale & diuinum subleuetur, sicq; deificetur, vt nõ ampliùs anima, sed Deus quidam esse videatur. Non dico animã essentiã suã amittere, sed fieri animã diuinã, animã deificatam, animã Deo similẽ, ita vt qui illã videat, Deũ ipsũ se videre existimet. Nimiũ sublime est, illud quod dico, hominib⁹ simplicioribus, ideoq; similitudine quadã notissima rem illustrabo, & omnibus intellectu facilem reddam.

Vnitur Deus animo, non aliter atque ignis ferro. Ponit faber ferrarius ferrũ in ignem, & tãdiu sufflat, donec ignis ferro vniatur: ignis autẽ, quia est agẽs multò nobilius ferro, vsque adeò cõuertit ferrũ in suã similitudinẽ, vt non amplius ferrũ, sed ignis esse, & forma sua spoliatũ, aliena verò ignis forma vestitũ esse videatur: quia ex nigro, frigido, duro, deformi fit rubeum, calidũ, molle, & splendens instar ignis: nã calefacit vt ignis, scintillat vt ignis, lucet vt ignis, & omnes ignis actiones perficit, & tamẽ nõ desinit esse ferrũ, neq; ferri es-

Ostendit hoc eleganti similitudine.

 sentiam

sentiam amittit: sed est ferrũ ignitũ, igni simile. Hæc vnio ignis cũ ferro, est vnio realis, per se, non per speciem aut imaginẽ. O præclaram similitudinem. Ita etiam Deus, qui ignis sæpenumerò appellatur, *Deus noster ignis consumens est*, tanquam agens nobilissimum, vnit se animæ nostræ in Paradiso per se & realiter; atque suscipiendo eam in seipsum, reducit illam ad esse quoddam supernaturale: & ita deificat, vt non videatur esse anima sed Deus, sic tamen vt propterea non desinat esse anima, neq; perdat essentiam animæ: sed transeat in animam deificatam & immutatam in Dei similitudinem, atque omnes actiones suas diuinas & supernaturales faciat. Audite S. Bernardum in sermonibus hoc confirmantem. *Quomodo*, inquit, *ferrum ignitum, & candens, igni simillimum fit, pristina propriaq; forma exutum; sic omnem tunc in sanctis humanam conditionem quodam ineffabili modo, necesse erit à semetipsa liquescere, atque in Dei penitus transfundi similitudinem.*

Deut. 4.

S. Bernard.

Videtis quomodo sanctus hic, eodem exemplo demonstrauerit nobis vnionem qua vnitur Deus animabus electorum suorum in cœlesti Paradiso, quaque illos, veluti Deos quosdam reddit Ideoque rectè ait S. Ioannes: *Et similes ei erimus* De eadem vnione beatifica, quæ homines Deo similes constituit, Christus intelligendus est, quando ait: *Pater rogo vt vnum sint sicut & nos vnum sumus*, Et S. Petrus cum dicit: *Vt per hoc efficiamini cõsortes diuinæ naturæ.* Ista vnio igitur Deo nos similes reddit. *Cum apparuerit similes ei erimus*: & quia illa sola ad animam perfectè beatificandam non sufficit, sed etiam visio exigitur, idcirco sequitur. *Et videbimus eum sicuti est.*

Ioan 17.
2. Pet. 1.
1. Ioan. 3.

I I.

NOtum vobis,(vt à nostra figura non discedam) Reginam Saba non ideo vehemēti fuisse admiratione ac stupore correptā, nec idcirco se fœlicem reputasse, quòd Salom. Regis præsentia frueretur, sed propter ea quæ vidit, quæ gustauit, quæ sensit, quæque audiuit ab illo. Propter sex enim admiranda dicit sacra scriptura, eam mansisse attonitam & stupenti similem. Primò, propter Salomonis Regis sapientiam, quæ tanta fuit, vt omnes dubietates eius dissoluerit. Secundò, propter splendorem & pulchritudinem palatij eius. Tertiò propter ciborum opulentissimæ illius mensæ apparatum & suauitatem. Quartò, propter habitaculorum in quibus aulici versabantur, venustatem, ac varietatem: Quintò, propter admirabilem ministrorum ordinem, eorumque in vestitu splendorem. Sextò, propter holocaustorum, quæ in templo pijs admodum ritibus ac cæremonijs offerebantur, multitudinē. Quæ omnia eodem ordine à sacris literis recēsentur. Illic enim ita legimus. *Videns autem Regina Saba domum sapientiam Salomonis.* Ecce primum *Et domum quam ædificauerat.* Ecce secundum. *Et cibos mensæ eius.* Ecce tertium. *Et habitacula seruorum.* Ecce quartum. *Et ordines ministrantiū vestesq; eorum.* Ecce quintū. *Et holocausta quæ offerebātur in domo Domini.* Ecce sextū: Propter hæc omnia, vti sacer textus cōcludit, *Nō erat præ stupore vltra in ea spiritus.* Ita quoq; anima posteaquā ad supernū Orientem peruenerit, & ad sūmi Dei præsentiā introducta, illiq; vnita fuerit: de ijsdē rebus potissimū manebit attonita, & in illis beatificabitur

De sex rebus quibus anima in cœlis, lis, vehemēti admiratione conplebitur.

3, Reg. 10.

beatitudine vel essentiali, vel accidentali.

Primum admirabile. Primò igitur dico, animam postquam Deo vnita fuerit, summa sapientia dotandam esse, adeò vt nihil futurum sit, quod eam lateat. Nã quemadmodum Regina Saba tam multa à Salomone rege didicit, vt attonita permanserit. *Videns autem sapientiam Salomonis &c.* nec vlla dubitatio eam tenuerit, quam ille promptissimè non expedierit ac soluerit. *3.Reg.10.* *Nec quicquam fuit, quod non perspicuum ei fecerit.* Ita etiam anima, intuendo Deum, omnia simul in illo intuebitur: & omnia contemplando, sciet omnia. Intelligitis ergo hinc, non sufficere solam vnionem ad beatificandam animã, sed necessariã quoq; esse visionem: quæ nihilominus esse nequit sine lumine quodã supernaturali.

Quia quamuis vnio Dei cum anima, perducat eam ad esse quodam diuinum, & ad actum primum ac proximum visioni: non tamen ea sufficit ad Deum videndum, sed requiritur etiam necessario lumen gloriæ, quod tantum vigorem & virtutem animæ conferat, vt illũ intueri queat, sicuti rectè asserit Doctor Angelicus, cum quo tota Theologorum schola concordat. *Lumen gloriæ necessarium est ad visionem beatificam.* Quia lumen naturale intellectus nostri, siue sit in via, siue in patria, non potest ad Deum videndum pertingere, nisi ab excellentiori aliquo lumine adiuuetur: eò quod obiectũ illud excellentia longè superet luminis nostri exiguitatem. Si enim philosophus primo Metaphys. dicit, intellectũ nostrũ esse luminis adeò infirmi atq; imbecillis, vt ea etiam quę naturæ manifesta sunt, nõ aliter speculetur, atq; noctua solis lucem: quantò impotentior & tenebrosior erit, in intelligendo & aspiciendo su-

do superexcellenti, abyssali, ac supranaturali illo obiecto, principio primo omnis principij, naturæ incognito Deo optimo maximo. Nullus profectò, neque in hac, neque in futura vita, etiam vnitus, lumine naturali potest oculos suos in lumen adeò ingens defigere, sine imbecillitatis & imperfecti sui confessione: indiget igitur multò maiori & excellentiori lumine. Ad ostendendam manifestiùs sublimium harum rerum veritaté, nulla quidem suppetunt nobis exempla propria & adęquata, attamen balbutiemus nonnihil, & exempla quædam si non omnino, saltem aliqua ex parte similia adferemus. Colores (vt nostis,) ex se sunt visibiles, imò sunt proprium visus obiectum: at si ego nocte tenebrosissima in medio prati alicuius, multis venustissimis floribus picturati ac vernantis consistam, quãuis illis floribus coniunctus sim, non potero tamen horum florum partim alborum, partim rubrorum, partim luteorum, partim cæruleorum, colores iutueri: quia visus meus non est tam acutus, neque tantam habet virtutem, vt in tenebris illos intueri queat: sed illucescente die, Sol lumine suo vim atque vigorem lumini meo debili confert, vt colores, quos ante non poteram, intueri valeam. Ita etiam anima nostra, quamuis in vernantissimo illo cælestis Paradisi horto vnita sit Deo, obiecto ex se maximè conspicuo & visibili, attamen suo imbecilli naturæ lumine gloriæ, non potest illum intueri: at superueniente in eam lumine quod lucidissimum quendam diem in ea efficit, vim atque vigorem accipit lumen eius debile ad videndũ DEVM, & omnia quæ in DEO

Simile.

ſunt ad illius beatitudinem pertinentia. Porrò ſuppeditabo vobis & aliud exemplum rei magis conueniens. Attendite.

Simile. Sol ex ſe pulcherrimus eſt, adeò vt maiorem noſter ſublunaris mũdus non habeat pulchritudinem. Ac proinde ſi ab hominibus conſpici poſſet, nunquam ſatiarentur aſpectu eximiæ pulchritudinis eius: eſt etiam ex ſe maximè conſpicuus & viſibilis, imò luce ſua oculis noſtris omnia cætera reddit viſibilia. Et nihiloſecius, etiamſi homo aliquis tota die ſtaret ex oppoſito ſolis, non tamen illius lucem & pulchritudinem contemplari poſſet, oculis irreuerberatis, quia viſus illius eſt nimis imbecillis ad tam excellens obiectum. At ſi naturali eius lumini eadem vis & virtus quę in Aquila eſt, conferretur, magno cum gaudio pulchritudinem & decorem ſplendidiſsimi ſolaris vultus, in quem ad libitum oculos poſſet defigere, contemplaretur.

Ita quoq; Deus pater luminum, & Sol multò pulchrior atque lucidior Sole noſtro viſibili, eſt per ſe quidem obiectum maximè conſpicuum & viſibile, & tamen anima noſtra etiam vnita ei in æterno illo cæleſtis regni die, qui noctem neſcit, non poteſt naturali lumine ſuo DEI pulchritudinem, Angelos beatificantem & ad ſui amorem inflammantem, intueri, nec oculos ſuos in immenſam illam lucem beatos lætificantem defigere, ſine offuſcatione & obtenebratione. At ſuperueniente in eam lumine gloriæ, ita viſus eius acuitur & roboratur, vt veluti cœleſtis quædam Aquila, inæſtimabili cum voluptate, ad libitũ intueri poſsit ſpecioſiſſimum ac lucidiſſimum ſummi

Solis

Solis vultum. De hoc lumine Regius propheta Dauid intelligendus est, quando ait. *Domine in lumine tuo videbimus lumen*, id est videbimus te Patrem luminum, & omnis lucis fontem. Psal. 35.
Hoc lumen gloriæ, secundum D. Thomam Doctorem Angelicum est habitus quidam infusus irradians & illuminans animam: vel iuxta Doctorem subtilem, est concursus quidam DEI, intellectum animæ supra se eleuans. Estque ad fidem Catholicam necessarium credere, hoc lumen ad DEI visionem. & animæ in Paradiso beatificationem requiri: eò quod in decret. Clement. in. Cap. *Ad nostrum de hæreticis*, secta Begardorum, qui animam in patria cœlesti, hoc lumine ad DEVM videndum, perfectamque beatitudinem assequendam indigere negabant, *sub pœna anathematis* condemnata sit. D. Thomas. Scotus.

III.

Postquam ergo, anima Regina in cælis Deo fuerit coniuncta, infunditur ei lumen gloriæ, quo mediante, videt DEVM, & omnia quæ in Deo sunt formaliter & eminéter, (vt Theologorum vocibus vtar) quod idem est ac si dicerem: videt omnia creata & increata, quæ in mundo & extra mundum sunt: omnia entia, id est, omnes essétias, causas, effecta, & vt verbo absoluam, omnia. Ideoque erit sapientissima, quia nihil latebit, sed plenè atque perfectè naturale ipsius desiderium sciendi satiabitur. Vnde S. Gregorius in mora lib. de beatis loquens ait. *Quid est quod non vident, qui habentem omnia vident?* Itaque, *videbimus eum sicuti est*. Sed loquamur aliquantò fusiùs & distinctiùs de hac animæ beatæ visione, & de his quæ in DEO contemplatura est. *Quid animæ in Deo videat.* *S. Gregorius.*

Aiunt Theologi, in DEO quædam esse formaliter, quædam eminenter: priora illa adeo includuntur in diuina essentia, vt sint ipse DEVS, & ipsum esse illius, ita vt extra illum esse non habeant, cuiusmodi sunt diuina attributa: id est potentia, sapientia, bonitas DEI: productiones internæ, relationes, ac personæ diuinæ. Posteriora vero sunt quidem in DEO, at non ita inclusa, vt extra illum esse nullum habeant. Sunt enim in illo, *in esse ideali*, vel vt Doctor Subtilis ait, *in esse cognito*. Qualia sunt genera, species, & indiuidua omnium creaturarum quæ fuerunt, sunt, erunt, & esse possunt. Quæ idcirco dicuntur in Deo esse eminenter, quia in eo sunt ipse Deus, quamuis extra illũ aliud quid sint. Nam sicut in aureo coronato iulius, & omnis alia inferior moneta, quæ in aureo coronato includitur est aurum, at extra illum est argentum vel æs: ita quoque omnia quæ in Deo inclusa sunt, in illo sunt DEVS, at extra illum sunt aliud quid. Hac distinctione posita, dico, animam DEO vnitam, visuram esse in illo omnia quæ formaliter ei insunt: sic videbit diuinam essentiam, tres personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum: attributa diuina, potentiam, sapientiam, bonitatem, relationes, internas productiones, filij generationem, spiritus sancti spiratione, & vt summatim dicam, videbit omnia quæ in conclaui illo diuino continentur *ad intra*. Videbit præterea omnia quæ illi eminenter, & in idea insunt, quod ad illorum essentiam & quidditatem attinet; quod verò ad eorum existentiam spectat, intuebitur omnia particularia ad statum suum pertinentia. Sic videbit genera, spe-

Simile.

ſpecies, eſſentias, cauſas, principia, omnium rerum: ſed exiſtentias atque indiuidua omniũ tantúmodo rerum ad ſtatum ſuum pertinentium. Alioqui, ſi lateret animam aliquid eorũ quæ ad ſtatum ſuum ſpectarent, non eſſet perfectè beata *Beatitudo* autem, vti Boëtius eam definiuit, *eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus.* Itaq; anima Petri videbit omnia ad Eccleſiã, cuius caput & rector fuit, pertinentia, etiam particularia, & indiuidualia. Animæ fundatorum & reformatorum ſingulorum ordinum, contemplabuntur vniuerſalia & particularia omnia ſuæ religionis. Vti animę SS. Auguſtini, Baſilij, Benedicti, Brunonis, Bernardi, Dominici, Franciſci, intuebũtur omnia ſpecialia, quæ in ipſorum religionibus agentur. O quàm magnam capient conſolationem, quando nos piè & ſanctè viuere, vitamq; ad regulæ normam inſtituere viderint. Quantam verò contra inde haurient animi moleſtiam, quando tum ſubditos, tum ſuperiores, vitam diſſolutam, Eccleſiaſticiſque ſanctionibus, & ſtatutis à ſe latis contrariam viuentes conſpexerint, de quo etiam coram Deo proteſtabuntur, quòd nunquam in religionibus ſuis hæc vitia inueniri cupiuerint. Animæ etiam primorum capitum, familiarum & proſapiarum, ſi in cælis ſint, vident bona & mala omnia quæ à poſteris fiunt: & de bonis quidem actionibus lætantur, de malis verò indignantur. Idem dico de vniuſcuiuſq; alterius anima, Deo in cælis vnita, quòd præter alia generalia, viſura ſit etiam ſpecialia & indiuidualia ad gradum & ſtatum ſuum pertinentia, tam bona quàm mala, illa cum gaudio, hæc verò, ſi fieri

Boetius.

si fieri posit, cum ingenti animi molestia.

Est autem hic aduertendum, beatorum animas in cœlo omnia creata vt diximus dupliciter intueri. Primò in verbo, vel in diuina essentia, aspiciendo illa veluti in quadra aliqua mensa omnia simul coniuncta & depicta: aut veluti in speculo, in quo omnia relucent. Secundò in proprio genere, cognoscendo illa per species creatas & infusas intellectui eorum. Illa à Doctoribus sacris appellatur cognitio matutina, hæc autem vespertina. Vnde S. Aug. li. 12. in Genesin *ad literam* ait. *Beati creaturas duplici visione vident, matutina & vespertina.* Matutina in verbo, & in diuina essentia: vespertina in proprio genere, per species creatas & infusas. Et Christus, de vnoquoque ad cælestem Paradisum migrante dicit. *Ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Ingredietur* in illum per visionem diuinæ essentiæ. *Egredietur* ab illo, per rerum in proprio genere cognitionem. *Ingredietur* per cognitionem matutinam. *Egredietur* per vespertinam. *Et pascua inueniet.* Quia in vtraque cognitione inueniet anima beata, quo pascatur, & satietur voluntas & intellectus eius omnia videre & scire appetens.

Beati dupliciter vident omnia.

S. August.

Ioan. 10.

Ad hæc cognitione matutina, non pluribus visionibus, sed vnica tantum, & vt clariùs dicã vnico duntaxat intuitu, videbit omnia quæ Deo in sunt formaliter, & etiam eminenter, quo ad quidditatem & essentiam: quo ad existentiam verò & indiuiduitatem, ea tantùm, quæ ad statum illius pertinent. Vt si quis speculum intueatur, videt vnico aspectu speculũ & omnia quæ in speculo sunt: ita etiam vnica

viſione innitiua, vt Theologi loquuntur, videbit anima Deum & omnia quæ in DEO ſunt. confirmat hoc S. Thomas in parte ſummæ ſuæ, quæſt. 12. art. 9. eodem exemplo: cùm ait: *Per vnam ſpeciem vidētur ſpeculum, & ea quæ in ſpeculo apparent.* Cognitione veſpertina, non vnica tantum viſione, ſed pluribus etiam, videbit omnia quę in Deo ſunt eminenter, non formaliter, quia illa quæ in DEO *ad intra* ſunt, non habent ſpeciem, à qua in proprio genere figurari & præſantari valeant.

Eſt autem vtraque cognitio hęc matutina & veſpertina ad animę beatificationem adeo neceſſaria, vt ſine illa non eſſet beata futura, quia deeſſet illi complętio deſiderij ſui naturalis. Audite. Homini à DEO & natura duo inſita fuêre deſideria principalia. Vnum ſciendi omnia. Alterum omnia bona concupiſcendi. Illud ad intellectum, hoc ad voluntatem pertinet. Intellectus omnia ſcire, & voluntas omnia bona poſsidere cupit. Differamus primum de intellectu, poſtea de voluntate. Quoad intellectum, clarum & euidens eſt, illum vehementi omnia ſciendi deſiderio flagrare: Quia vna re cognita non quieſcit, ſed aliam mox inuſtigat; deinde hac cognita iterum aliam, ita vt nũquam expleri poſſe videatur, donec omnia perdidicerit. Quod deſiderium naturale Philoſophus ſecum conſiderans ait: *Omnis homo natura ſcire deſiderat.* Hinc igitur manifeſtum ſiumi poteſt indicium, quòd intellectus omnia ſcire appetat: quod tamen in hac vita fieri nequit; tũ quia, vti Philoſophus ait, propriæ differẽtiæ nos latent: tum qui vita noſtra ad omnia perdiſcẽda & inueſtiganda nimium Ariſtoteles.

breuis

breuis eſt, & memoria ad omnia mente retinenda nimis labilis. Et tamen theſauraria intellectus ſemper aliquid de theſauro ſcientiæ abſtrahit, quod ſibi reponat atque accumulet. Accedit, quòd in hoc mundo non inueniatur vnum aliquod obiectum ſpeculandum ſeu cōtemplandum, quod omnia in ſe contineat, ſed plura; ex quo fit, vt homo dum vnum intentè ſpeculatur & contemplatur, alterius, quod non videt, obliuiſcatur. Itaque clarum eſt, hominem quo ad intellectum, non poſſe in hac vita naturalis deſiderij ſui adimpletionē ſeu perfectionem conſequi. Ergo vanum & inane eſt hoc ipſius deſiderium? Nequaquam, quia, vti Philoſophus ait, & ex ſe veriſsimum eſt: DEVS *& natura nihil agunt fruſtra.* Nunquam ergo DEVS & natura, homini deſiderium hoc inſeuiſſent, ſi non eſſet perficiendum, quia *Dei perfecta ſunt opera*, Neceſſarium ergo eſt, vt naturale hoc deſiderium hominis & inclinatio, aliquando impleatur: quod cùm in hac vita fieri nequeat, neceſſe eſt vt alibi fiat. Itaque rationi conſentaneum eſt, extra mundum obiectum aliquod reperiri, in ſemetipſo omnia continens, quod intellectus contemplans omnia videat & cognoſcat. Hoc autem obiectum DEVS eſt, qui omnia in ſe (quemadmodum ſupra diximus,) formaliter & eminenter continet. Vnde S. Auguſt. cognitionem imperfectam præſentis vitæ, & perfectam futuræ ſecū conſiderans libro de miſericordia, dicit: *Ex parte cognoſcimus, quamdiu in hoc ſæculo ſumus. Sed ad illam lucem Patris luminum cùm veniemus, nihil erit in creaturis quod neſciamus.* Cognoſcet autem anima in cœlis contemplando

Ariſtoteles.

Deut 32.

S. Auguſt.

DEVM, omnia multò perfectius, quam si in hac vita ea in suo genere, & sua specie intueretur. Quod idem sanctus vir his verbis ad Orosium scribens testatur. *Plus*, inquit, *videbitur in Deo creatura, quàm in seipsa videatur.* O perfectissimam animæ beatæ sapientiam. Videtis igitur modò quàm necessaria sit animæ DEO vnitæ, omnium rerum cognitio. nam alioqui non esset beata neque perfecta, quia deesset illi quidpiam ad naturale ipsius desiderium pertinens. *S. August.*

IV.

PRæterea cognitio hæc siue matutina, siue vespertina rerum formalium & eminentium quæ in Deo sunt, pertinet ad animæ beatitudinem essentialem; cognitio vero existentiæ seu particularitatis, earum rerum, quæ ad statum illius non spectant, pertinet ad animæ beatitudinem accidentalem. *Beatitudo essentialis & accidentalis quo pacto intelligenda sit.*

Illa est animæ beatæ necessaria, hæc nõ: potest enim sine hac esse beata, quia ad hanc cognitionem, desiderium illius non extenditur. Et DEVS potest illa ei reuelare vel non reuelare, quia in his est speculum voluntarium. Illustrabo rem exemplo facili, vt ab omnibus nullo negotio intelligatur. Attendite. Si certus rumor spargeretur esse in planitie amænissimi ac floridissimi cuiusdam collis, hortũ speciosissimum, refertum odoriferis & aspectu iucundis floribus, suauissimis fructibus, virentibus arboribus, fructiferis plantis, limpidissimis fontibus, nec posse aliũ delicatiorem, venustiorem atque amæniorem in mundo reperiri. Et si forsitan aliquis, qui magno huius horti oculis lustrãdi desiderio flagret, *Simile.*

iter.

iter illuc instituat, ab hortulano benignè & humaniter excipiatur, atque introductus oculis omnia percurrat: videt hic virides lauros, vmbrosas aurantiorum ac limoniorum plantas, intricatas buxos, frondosas vites, duras quercus, altas pinos, rubentes rosas, albentia lilia, odoriferas violas, speciosas hyacinthos, & alias innumeras arbores & plantas admirandi aspectus, & odoris suauissimi. Videt etiam aquarum Chrystallinarum abundantiam, fontes ex elaboratis & miro artificio picturatis marmoribus, aquas diffundentes. Posteaquã ergo omnia ad satietatem vsque lustrauit, satisfecit desiderio suo, nec aliquid superesse credit, quod non viderit, ac proinde plus videre non desiderat. Interea vero accedẽs hortulanus dicit ei. Si exiguam hîc mortam feceris, alia maiora & excellentiora tibi demonstrabo. Hinc allata secretiori claue, & reseratis abstrusioribus locis, videt ibi nouos aquarumludos, nouos riuulos, qui noua ratione scaturiendo aërem irrigant, & placido murmure in terram delabentes, ibi liquidorum Chrystallorum instar confriguntur.

Si vlteriorem moram faciat, propter occulta semina, quæ sub terra latent abscondita, post paucos dies videt successiuè in horto hoc pullulare nouas violas, nouas hyacinthos, noua lilia, nouas rosas; crescere præterea cæteras plantas & arbores, nouaque germina, nouos flores proferre, in nouas frondes dilatari, nouos fructus producere, quorum prius erat quidem species, at nondum existebant, nondum conspicuæ erant mundo; erant tantum in virtute, in radice, in semine. Inuitat etiam

quando-

quandoque illlum hortulanus, dum ei specialiora quæque demonstrat, vt modò hoc, modo illud intueatur: nonnunquam verò è terra florem decerpens ei tradit: dicens: accipe florem hunc nouum in manus, & naribus admoue, suauique illius odore specialiùs fruere, quo hactenus vniuersaliter tantùm gauisus fuisti. Hic itaq; peregrinus in horto existens, prohiberi non potest, (nisi oculi ei obuelentur) vt hortum & omnia quæ in illo sunt, vniuersaliter, multa etiam particularia illius, non lustret. Quamuis ad humanitatem hortulani pertineat, quod illi nouas illas aquarum scaturigines, & specialia secreta demonstrauerit, nouosque flores decerptos, illi odorandos præbuerit, ad quæ desiderium illius se non extendebat.

Ita quoque dico, animam cùm ingressa fuerit Regnum cæleste, & amænissimum cælestis Paradisi viridarium, visuram esse omnia quæ ibi generaliter existunt: id est, DEVM & omnia quæ in DEO sunt, omnes species, omnes quiddidates rerum quæ sunt & esse possunt: nec non earum causas & principia: visuram esse adhæc particularia omnia ad statum suum pertinentia, quæ sufficient ad naturale ipsius desideriũ adimplendium: amplius itaque nihil desiderabit, nec ei desiderare licebit, atque hæc est beatitudo ipsius essentialis.

At Rex cælestis, cælestis inquam hortulanus, de quo Moyses in Genesi ait: *Plantauerat Deus paradisum voluptatis à principio*, ostendit nonnunquam animæ noua quædam in speciosissimo illo & iucundissimo diuinæ es- *Genesis. 2.*

sentiæ

dentiæ viridario, ad maiorem ipsius voluptatem, sed ad suum beneplacitum. Iam nihil amplius anima desiderabat, iam illi ea quæ viderat, sufficiebant: at nihilominus Regi placet ostendere illi quædam particularius in essentia, vel in verbo, vel in proprio genere, per species & formas creatas. Atque hæc est beatitudo animæ accidentalis: propter quam Deus appellatur speculum voluntarium.

Cæterùm vt sublimem hanc doctrinam semel finiam: manet ergo stabilis ista veritas, quod anima beata existentias, & particularia specierum & generum omnia non videat: quia sic DEIM incomprehensibilem quodammodo comprehenderet, cùm tamen nemo obiectum illud immensum atq; infinitum quatenus est cognoscibile, cognoscere & comprehendere valeat, præter eũ qui intellectũ infinitũ & immẽsum habet: sed ea tantũ, quæ Deo placet animæ demõstrare videat. Hanc veritatẽ sacris literis euidẽter audimus confirmari. Si enim beati omnia in particulari nossent, angeli, qui hac beatitudine fruuntur, omnia incarnationis mysteria distinctè nouissẽt, quæ tamen Apostolus ea illis incognita fuisse affirmat. *Mysterium*, inquit, *absconditum ab initio, principibus & potestatibus.* Et quidam alius vir doctissimus ait: *Docente Paulo Cherubin addiscunt.* Et S. Dionysius Areopag. in cælesti sua hierarchia dicit. *Angeli inferiores purgantur à superioribus à nescientia*, quatenus videlicet eis multa, quæ ex Dei manifestatione norunt, reuelant, & illos cognoscere faciunt, quæ antea non cognoscebant.

1. Cor. 2.
1. Coloss.
S. Dionys. Areopag.

Ita quoque à sanctis superioribus multa reuelan-

uelantur sanctis inferioribus. Quod fieri non potest in rebus ad essentialem eorum beatitudinem pertinentibus, sed ad accidentalem; sine illa enim angeli & sancti non possunt esse beati; sine hac, possunt.

Et his liquet intelligentia quorundam difficilium sacræ scripturæ locorum. Vt illorum verborum S. Iob. *Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in angelis*, vti quædam habet translatio, *inuenit mutationem*: vbi vulgata legit, *reperit prauitatem*. Hæc enim intelligenda sunt de Angelorum mutatione, non quo ad essentialem ipsorum perfectionem, sed quatenus multa discunt, quæ accidentalem ipsorum perfectionem augent. Et illorum S. Petri dicentis: *In quem desiderant angeli prospicere*. Quæ non ita accipienda sunt, quasi non habeant quod desiderant: sed quòd quantò plus Deum intuentur, tantò plura in eo ipsis intuenda & contemplanda supersint. Et illorum æternæ sapientiæ verborum, vbi ait: *Qui edunt me, adhuc esuriem: & qui bibunt me, adhuc sitient*: quæ non videntur referenda ad beatitudinem essentialem sed accidentalem: qua etsi beati ad libitum pascantur & potentur, nihilominus eis semper quo pascantur & potentur, superest. Videtis ergo, quomodo anima Deo vnita, semper noua cognoscat, & nouis diuinis gustibus, quos non desiderauerat, nec cogitauerat perfruatur: quomodo etiam continuò, in ea noui stupores, nouæque admirationes crescant. Quod si magnus ille Stagirita intellexisset, maiori vtique cum intelligentia, & sublimiori sensu in ethicis hæc verba protulisset. *Optimũ & pulcherrimũ, & delectabile est*

Iob. 4.
1. Pet. 1.
Ecclesi. 24.

fœlicitas. Intelligitis adhæc quid anima visura sit in cælis, cognitione matutina & vespertina, vt essentialiter & accidentaliter beatificetur. Præter hæc omnia videbit & cognoscet anima perfectè seipsam.

Aristot.

Simile. Nam sicut in speculum intuendo, tria simul vnica visione cernimus, nosmetipsos, speculũ & ea quę in speculo sunt. Ita quoq; beatus speculum illud mundissimum ac lucidissimum intuendo, tria simul contemplabitur: semetipsum, Deum, & omnia quæ in Deo sunt, quatenus creaturæ possibilè est illa intueri. Testatur hoc apertis verbis S. Fulgentius in epistolis, vbi ait. *Sicut per speculum trina nobis visio administratur, qua nos ipsos, ipsum speculum, & quicquid præsens ad est, videmus: sic per speculum diuinæ claritatis, & ipsum Deum, vt est, quantum possibile erit creaturæ videbimus, & nos ipsos, & omnia illa, vera & certa scientia cognoscemus.* O ingentem scientiã. O profundam cognitionẽ.

S. Fulgẽtius.

Omnes in cælo erunt sapientißimi. Omnes illic erunt sapientissimi, quia nihil ignorabunt. *Et videbimus eum sicuti est.* Gaudeant ergo, qui rudes & ignari sunt in scientijs huius mundi, quoniam si ad supernam illam beatitudinem pertigerint, omnibus mundi huius sapientibus erunt sapientiores. Gaudeant etiam docti, quia multò plura scient, quàm in hoc mundo sciuerint, aut scire potuerint. Itaque docti simul & indocti, rudes & ignorantes, omnia clarissimè cognoscent, & omnes dubietates, quas quiuis etiam acutissimus intellectus inuenire, aut sibi cogitatione fingere posset, illis patefient. Non auditis sacrum textum de Regina Saba dicentem? *Venit, vt tentaret eum in ænigmatibus. Et docuit eam*

1. Ioan. 3.

3. Reg. 10.

Salomon,

Salomon, nec quicquam fuit, quod non perspicuum ei faceret.

Neq; tantum clara & aperta illis erunt omnia dubia perfidorum hęreticorum, qui maximo cum animarum detrimento ea, quæ nullã habent ambiguitatem, in dubium vocant: & illa philosophorum, qui propter luminis quo non aliter ducebantur, ac aliquis, qui per loca obscura sensim graditur, imbecillitatem, in omnibus rebus erant dubij, nec quicquam certi de animæ immortalitate, de veritate futuræ vitæ, de creatione materiæ primæ, de infinita virtute primi motoris, de fine hominis ausi fuerunt decidere. Qui ignorarunt, quomodo Sol tempora definiret ac temperaret, quomodo Lunam & stellas non accenderet; ex qua materia factum sit cœlum, quale agens illud tam ordinatè moueat: qualis sit ignis ille cælestis, qua materia pascatur & nutriatur; cur cælos non offendat, quomodo aquæ superiores illum non extinguant: vnde montes exercuerint, vnde tot lacus enati fuerint: quot in mari monstrorum diuersa genera: quot in terris animantium diuersæ species, quæ vltimæ omnium specierum differentiæ sint, & mille alia dubia, quæ homines scire desiderant. Sed illa etiam dubia Theologorum, qui, quamuis habeant certum lumen fidei, per quod ea, tanquam *in ænigmate* speculantur, attamen innumera sunt de quibus nullam habẽt euidentiam. Imò in multò maxima parte quæstionum, in quibus norunt, an sit, ignorant, *quid sit aut quomodo sit*: hæc inquam dubia omnia manifesta illis erunt, nec quicquam supererit, quod non docti pariter & in-

Omnia dubia tam philosophiæ quam Theologiæ beatis clara erunt.

docti cognoſcant : imò ibi nullus erit inductus, quia omnes erunt ſapientiſſimi.

Videbunt in illa diuinorum ſecretorum abyſſo, quid DEVS fecerit ante mundi creationem: quomodo produxerit alium DEVM, ſine Deitatis multiplicatione, & inter producentem & perſonam productam, ſtatim eruperit, æternus amor generati & generantis; qualis ſit vnitas illa trina, non confuſa: & trinitas illa vna, ſed diſtincta: quomodo Pater generationem filij: & vterque ſpirationem ſpiritus ſancti nunquam abſoluat, & nihilominus generatio atq; ſpiratio ſemper ſit perfecta: quomodo Patre generante, & Filio generare non valente, attamen Filius nõ ſit minus potens atque perfectus, quam Pater: neque Spiritus ſanctus minus potens & perfectus, quàm Pater & Filius, à quibus productus & ſpiratus eſt, quamuis ipſe nec producere nec ſpirare poſſit alium *ad intra*. Videbunt, quomodo DEVS æternaliter in cælis à Patre ſine matre genitus, in tempore naſci potuerit à Beata virgine, ſine patre: quomodo immenſus, exiguo virginis vtero circumſcribi valuerit. Videbunt, quomodo vniuerſum mundum pugno concludat, & totam terram tribus digitis ſuſtentet: quomodo mare intumeſcens arenæ filo coerceat, & quaſi refrænet: qua prouidentia res humanas adminiſtret, qua bonitate in nos beneficia ſua cõferat, qua gloria homines in Deos tranſmutet. Videbunt, quomodo infundat gratiã, quomodo inuiſibiliter iuſtificet ſine voluntatis coactione, quomodo opera iuſtitię cũ operibus miſericordię cõcordẽt, quomodo ſaluet per gratiã, quomodo re-

do reprobet sine sua culpa, quomodo sine partialitate eligat, & vocet prædestinatos, reprobos verò & præscitos sine iniuria condamnet: quomodo sine sui motione gubernet: quomodo infallibilis Dei scientia, consistere possit cum rerum contingentia: quomodo prædestinatos damnari, & præscitus saluari queat, manente Dei scientia infallibili & immutabili. Omnia hæc secreta & ænigmata, quæ homines scire cupiunt, & à paucis intelliguntur, anima Deo vnita, illic distinctè & clarè intuebitur & cognoscet, sine vlla dubietatis remansione.

O quàm benè de hac perfectissima beatorum scientia S. Aug. lib. *de doctrina Christiana* loquitur: *Ex parte*, inquit, *cognoscimus, quamdiu in hoc sæculo sumus: sed ad illam lucem Patris luminum, cum veniemus, nihil in creaturis erit, quod nesciamus.* O quàm magna erit scientia & sapientia animæ Reginæ in cælis existentis, quando omnia quæ intellectus noster insatiabilis scire desiderat, cognouerit. Rectè igitur de primo illo quod Reginæ Saba admirationem cõmouit, sacra scriptura dicis. *Venit vt tentaret eum in ænigmatibus: nec quicquam fuit, quod nõ perspicuũ ei faceret.* Sed prosequamur cętera. S. Augus. 3. Reg. 10.

SECVNDVM, quod Reginam Saba admiratione ac stupore suspensam tenuit, fuit aspectus elegantissimæ structuræ, regij palatij. *Videns autem & domum quam ædificauerat.* Ita quoque anima stupore manebit attonita, cùm viderit ineffabilem cœli Empyrei pulchritudinem, quod cœlestis Regis & omnium electorum eius domicilium est: quod idcirco cælum Empyreum appellatur: vel quia Angelis & bea- *Secundum admiratione dignum.* 3. Reg. 10.

& beatis spiritibus repletum fuit: vel vti volunt Beda & Strabo, ab igne, non destinato ad incendium & ardorem, sed ad lucem & splendorem: quo creato mox Angelis, seruis atque ministris summi Regis ibidem regnantis refertum fuit. Cœlum illud, auditores, quod nocturno tempore stellis ornatũ, cœruleus quidam pãnus, totidem lucidissimis gemmis decoratus esse videtur, nobis tectum est, quod nos tegit: beatis verò in superno regno degentibus, pauimentum quod pedibus calcant, & pars inuersa, vt ita dicam, cælestis regni. Si autem ô Christiani, nostrum hoc tectum, & paradisi cœlestis pauimentum seu pars inuersa, tam pulchra & ornata est: quantò ornatior & pulchrior esse debebit pars eius superior, quæ recta est? Et si tot lumina & splendores pauimentum & partem inuersam cæli venustant, quanto plures & maiores intrinsecum illud tectum, & partem rectam decorabunt? Verùm quoniam de huius regni pulchritudine, in sermonis huius initio sat multa disserui: nihil hoc loco amplius addã nisi quòd Regnũ hoc, & paradisus cælestis, Deique domiciliũ, vt vno verbo dicã, nobis & animæ nostræ, infiniti stuporis & admirationis materia futura sit.

V.

Anima beata in cœlo omnibus bonis quæ desiderari possunt fruitur.

LVstrato Regis Salomonis nobilissimo ac magnificentissimo pallatio, Regina Saba substitit, in aula regia amplissima ad contemplandum mensarum apparatum, & cibos regios degustandos, atque hoc est tertium, quod animam beatam, ad opulentissimam cælestis gloriæ mensam accumbentem, seque diuinis cibis reficientem ingenti admiratione complet. *Et videns cibos mensæ eius*, id est *gustans*.

Hæc

Hæc delicatiſsimarum menſarum fruitio, eſt ſecundi illius deſiderij, cuius ſupra meminimus, videlicet voluntatis, quæ omnibus bonis perfrui deſiderat, adimpletio. Quod vehementi omnium bonorum poſſidendorum deſiderio flagret, inde perſpicuum eſt, quòd vno bono guſtato, eo ſatiari nequeat, ſed ſtatim tranſeat ad aliud, & inde iterum ad aliud, atque hoc pacto ad cætera bona procederet, donec tandem aliud nullum quo frueretur, ſupereſſet. Sic videtis ſummum huius mundi ſapientem, (ſi de homine puro loquamur,) poſt deguſtata omnia bona & omnes voluptates quas mundus habet, cùm eas quaſi pro nihilo reputaret in has vòces prorupiſſe. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas*: Et Alexandrum Eccleſ.1. magnum poſt ſubiugatum & acquiſitum totũ fere terrarũ orbem, propter alios orbes, quos Democritus ſomniauerat, in lachrymas reſolutum fuiſſe. O Chriſtiani nimis verum eſt illud Saluatoris dictum ad Samaritanam. *Qui* Ioan.4. *biberit ex hac aqua ſitiet iterum.*

Indicant hæc omnia clariſsimè, voluntatẽ naturali omnium bonorum deſiderio teneri: quod tamen in hoc mundo perfectè adimpleri nequit: quia dum voluntas nouo aliquo bono acquiſito fruitur, altero quod iam acquiſierat, quoque fruitus fuerat, nõ amplius gaudet: ſicque dum ab vna voluptate ad aliam trãſit, præcedenti priuatur. Si de ſcientia gaudet, de cibis non gaudet: ſi de pulchritudine gaudet, de ſomni quiete non gaudet: ſi de diuitijs gaudet, de animæ tranquillitate non gaudet: ſi de honoribus gaudet, de voluptate libertatis ſuæ non gaudet. Cùm ergo non poſſit in hac

vita naturale] desiderium voluntatis adimpleri, quo omnibus simul bonis frui appetit, (sicuti intellectus omnia scire) necessarium est, vt locus aliquis sit vbi illud impleatur, ne vanum & inane sit: quia *DEVS & natura nihil agunt frustra. Et perfecta sunt opera DEI.*

Aristot.
Deut.32.

Vt igitur naturale hoc desiderium voluntatis impleatur, opus est, inueniri obiectum aliquod in se omnia bona complectens, quo voluntas perfruendo, gaudeat & perfruatur omnibus simul bonis, sicque reducatur ad actum naturalis eius inclinatio. Hoc autem obiectũ est DEVS, qui in se omnia continet, & ex consequenti, omnia bona. Quia, *ens & bonum conuertuntur.* Si ergo in DEO sunt omnia entia, sunt etiam omnia bona, ne vnico quidem vel minimo bono deficiẽte, vti testatur S. August. vlt. libro *de ciuitate DEI.* vbi ait. *Quanta erit illa fœlicitas, vbi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur DEI laudibus. qui erit omnia in omnibus.* Confirmat idem ipse DEVS, ad Moysen faciem suam videre desiderantem dicens: *Veni & ostendam tibi omne bonum*, vbi intelligit se ipsum, omnia bona in se continentem. O mensam suauissimam.

S. August.
Exod.33.

Qualis in cælo cibus & potus futurus sit.

Nemo mihi nunc dicat, in cælo nullum esse cibum aut potum quo pascantur electi, quia falsitatis illum arguam. Manducatur & bibitur ibi: est illic mensa, sunt commensales, sunt cibi delicatissimi, sunt vina pretiosissima. Si enim hoc non esset, non videremus in tot sacrę scripturę locis, tantum mensarum apparatũ. Nunquã legistis? *Introduxit me Rex in cellã vinariam ordinauit in me charitatẽ. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente volupta-*

Cant.2.
Psal.35.
Cant.5.

tis tuæ potabis eos. Bibite & inebriamini charissimi. Beatus qui manducabit panem in regno Dei. Luc. 14. *Non bibam de genimine vitis huius, donec bibam* Matt. 26. *illud nouum in regno Patris mei. Disposui vobis* Luc. 22. *regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam* Luc. 14. *in regno meo. Hora cænæ misit seruos suos dicere inuitatis vt venirent.* Regnum est cælum, Aula regia est Paradisus: mensa est cælestis gloria: commensales sunt Deus, Angeli, & beati omnes; panis, vinum, & cibi non sunt nostris similes: sed illa diuina essentia, & bona, quæ ipsa in se continet, illa visio beatifica, ille ardens amor, illa fruitio, illud gaudium, ille delectatio suauissima, illa possessio firma, qua DEVS & gloria ipsius possidetur, sunt panis & vinũ omnium Angelorum & animarum beatarum, quæ ad opulentissimam hanc mensam ita satiantur, vt tamen nunquam saturæ sint: vti rectè notat S. August. in homilijs in Ioannem. *Talis*, S. August. inquit, *erit illa delectatio pulchritudinis, vt tibi semper præsens sit, & nunquam satieris: imo satieris, & nunquam satieris: si dixero, quod nunquam satieris, fames erit: si dico quod satiaberis, tunc tibi nec fastidium, nec fames.* O fælicitatem. Penè ergo ait ille Poëta.

Fælix qui potuit cælestium accumbere mensæ. Qui hoc didicit à Christo dicente. *Beatus qui* Luc. 14. *manducabit panem in regno meo.* Sicut autem omnia sunt multò perfectiora in DEO, quàm extra illum, quia in ipso sunt eminenter: sic etiam bona omnia quia eminenter in Deo sunt, erunt multò perfectiora in eo, quàm extra illum: ideoque nullum erit bonum in mundo, vel extra mundum, quo anima multò perfectiùs in deo non gaudeat, quàm extra illum.

Anima nihil poterit desiderare extra Deum.

Cùm igitur omnia bona in gradu eminenti & perfectissimo DEO insint, & perfruatur illis anima multò perfectiùs in DEO, quàm extra illum, hinc fiet, quod nullum possit habere desiderium, alicuius boni extra illum. Vt propterea S. Augustinus lib. 21. de ciuit. Dei dixerit. *Ibi quicquid amabitur, aderit: nec desiderabitur, quod non aderit.* Si enim anima desideraret aut cuperet bonum aliquod extra DEVM, cùm illud bonum non sit tam perfectum, quàm in DEO est, deficeret à perfectione beati. O ingentem animæ fælicitatem, quæ gaudebit omnibus bonis, in illo summo bono tam perfectê, vt nullum habitura sit desiderium alicuius boni extra illam.

S. August.

Fratres mei, in hoc mundo, nemo potest, omnibus simul bonis frui: quia dum vno bono fruitur, altero priuatur: Et quia nusquam omnia bona simul coniuncta inuenit, idcirco de vno bono ad aliud bonum transit, cum eius quo prius gaudebat priuatione. At in superno regno, omnia bona simul vnita erunt, in vnico & summo bono, DEO, ac proinde illius fruitioni anima se totam tradet, à quo omne desiderium ipsius ita perfectè satiabitur, vt nullum vlteriùs bonum quæsitura sit. Audite S. August. *Ipse*, inquit, *est finis desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, & sine fatigatione laudabitur.* Audite præterea Regium Prophetam Dauidem. *Satiabor*, ait, *cum apparuerit gloria tua.* Quod alia translatio multò apertius exprimit dicens: *Satietas lætitiarum cum vultu tuo.* Hæc erit opulenta illa mensa, qua Regina, anima nostra, simul cum cælestis Salomone fruitura est. O

S. August. lib. 22. de ciuit. Dei.

Psal. 16.

est. O eximiam animæ fælicitatem, quando in hac mensa omnibus simul bonis in DEO perfruetur.

DEVS enim sibimet ipsi est vita, sibimetipsi est amor, sibimetipsi cibus: Et anima in cælis, ipso pascitur, de illo viuit, illius amore succenditur. Quando ad Moysen ait. *Veni & ostendam tibi omne bonum.* perinde fuit ac si dixisset. Veni in cælum, & contemplare mensam meã omnibus bonis refertam, omniq́ue cibo abundantẽ. Sed redigitur mihi hic in memoriam, alia quædam consideratio, ad nostrum propositum faciens, Attendite. *Exod. 3.*

VI.

OMnes hi actus ad animam beatificandam concurrunt. Primò vnitur ei DEVS & illam diuinam efficit, deinde sequitur per lumen gloriæ infusum, visio beatifica, qua videt infinitam illam maiestatem, omnia in se complectentem: ex hac visione oritur ardentissimus amor in DEVM: & quia huius gloriæ firmissimam habet possessionem, sine vllo timore amittendi eam, inde sequitur gaudium, iubilus, lætitia ingẽs, & infinita delectatio in summo hoc bono. Omnes hi actus simul concurrunt, ad animam beatam reddendam, nec separari possunt à se inuicem: sed sunt ordo quidam necessarius, ad veram animæ fælicitatem: & aggregatum quoddam siue compositum perfectæ beatitudinis. Quia nemo potest vniri Deo & summo bono, sine visione, nec potest bonũ illud intueri sine amore, nec amare sine fruitione, nec frui sine delectatione, nec verè & prefectè delectari, sine firma possessione, *Qui actus ad animæ beatificationem concurrunt.*

ſeſsione,& omnimoda ſecuritate nunquam illud amittendi: vbi enim eſt timor aliquando perdendi ſummũ bonum, non poteſt eſſe perfecta voluptas & delectatio. Vnde anima Dei ſponſa ait. *Tenui eum, nec dimittam.* Omnia hæc ſimul concurrunt ad animam perfectè beatificandam.

Cant.3.

Propter horum ſuauiſsimorum & amoris pleniſsimorum actuum, qui inter DEVM & animam, ad eius beatificationem exercentur, multitudinem, oritur inter Theologos, nobilis quædam & ſublimis quæſtio, quiſnam horũ actuum animam verè & principaliter beatam reddat. Henricus Gandauenſis dicit eſſe vnionem, quæ deificat eſſentiam animæ, & ad eſſe quoddam diuinum ſubleuat. S. Thomas viſionem, quę principalem ipſius potentiam, id eſt, intellectum beatum efficit. Schotus, fruitionẽ & amorem qui ſatiat voluntatem. Aureolus, tentionem, ſeu firmam & ſtabilem poſſeſsionem Dei & gloriæ illius, quæ cauſat in anima perfectiſsimam delectationem & ſummam lætitiam. Ego verò, ne temerè quis horum eximiorum Theologorum rectius ſenſerit decidam, dico, omnes firmis rationibus inniti, & ſecundum diuerſos reſpectus, iuxta quos beatitudinem conſiderarunt, rectè ſenſiſſe.

In quo conſiſtat vis veræ beatitudinis.

Illa enim ſi conſideretur quo ad originem, à Deo ſolo proficiſcentem, cõſiſtit in vnione, quæ eſſentiã animæ deificat, hoc pacto conſiderauit illã Henricus Gandauenſ. Si autem quo ad originẽ à Deo & à nobis proficiſcẽtẽ: à Deo quatenus ſe nobis vnit: à nobis, quatenus illũ intuemur: cõſiſtit in viſione quæ intellectum reddit beatum: & ſic rectè ſenſit D. Thomas. Si

quo

quo ad affectum & delectationē ab hac visione procedentē, consistit in fruitione, quæ voluntatē beatificat: & sic nō malè opinatus est Doctor subtilis: Si deniq; cōsideretur quo ad perfectū gaudiū & cōsummatā lætitiā, ex firma & secura tantæ fœlicitatis, sine amissionis metu, possessione prouenietē, cōsistit animæ beatitudo intētione seu possessione Dei, summi boni: & sic accepit eā Aureolus. Nos vero vt omniū simul sententias amplectamur, & eximios hosce viros inter se vniamus, dicimus, omnia hęc esse aggregatū, quoddā ad animā beatificādā necessariū: omnesq; hos actus simul iungi, nec ab inuicē separari debere, eò quòd vnus ab altero enascatur. Idē sensit S. Augu. qui omnes hos actus sublimi & eleganti gradatione, paucis verbis coniunxit: dicens. *Deus fecit hominē, vt summū bonū intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, possidendo fruetur.* In his verbis omnes prędicti actus simul cōprehēsi sunt. *Vt summum bonū intelligeret*: hæc est visio intellectus, quæ supponit vnionē animæ cum Deo, de qua idem vir sanctus alibi ait. *Creasti nos domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec quiescat in te.* In illis igitur verbis. *Vt summum bonū intelligeret*, habemus vnionē & visionem, *Intelligendo amaret*, habemus affectū & amorē ardentē voluntatis. *Amando possideret*: habemus tentionē & firmā possessionem. *Possidendo frueretur*, habemus perfectū gaudiū & cōsummatā delectationē, quæ à securitate nunquam amittēdæ tantę fęlicitatis, proficiscitur. Videtis ergo omnes actus animā beatificantes, hic simul copulatos. Possumus autē hîc cōsiderare elegantē correspondentiā viæ & patriæ: præsentis

S. August.

ſentis & futuræ vitæ. Homo dũ in præſenti vita, in via ad ęternã patriã fuit, in Deũ credidit, ſperauit, eumq́; dilexit. Et ecce in futura vita, in cæleſti patria, ſuccedit fidei clara viſio, ſpei tẽtio & cõprehẽſio, charitati amor & delectatio. O te infælicem Turca, Maure, Iudæe, Hęretice & quicunq; Chriſtianam fidẽ inuiolatam non tenes, quia fælicisſima hac viſione priuaberis. O te miſerũ auare, qui pauperum ſanguinẽ exugis, diuitias auges, nũmos per fas & nefas accumulas, qui in auro, argento, ac ſubſtantia tua & non in Deo totã ſpẽ habes repoſitam, quia bonis hiſce immenſis, & theſauris incomparabilibus nunquam potieris. O te infortunatum, quicunq; mundi, ſenſualitatis, & carnis immodico amore æſtuas, quia nunquã cæleſti amore & ineffabilibus ſuperni regni delectationibus perfrueris. O beatos, qui fidẽ habent viuam, ac bonis operibus ſociatam & informatam, quia ad ſupernum hoc regnum transferentur, ibique omnia terreſtria, cæleſtia, & ea quæ ſupra cælos ſunt clarè intuebũtur & cognoſcent. O fælices, qui totam ſpem & fiduciam in Deo & rebus diuinis conſtituunt, quia immenſa cum voluptate, omnibus ſimul bonis, quę imaginatione fingi aut cogitari poſſunt, perfruentur. O fortunatos, qui Deũ & cæleſtia diligunt, quia in ſuperno cæleſtis regni domicilio, ſummo cum affectu DEVM, Dei gloriam, Angelos Dei, ſanctos, & beatos omnes amabunt, ſeque à Deo & à beatis omnibus ardenter amari cognoſcent. O fælicitatem, ô gaudium, ô lætitiam immenſam, ineffabilem, infinitam, qua cum electi omnibus ſimul bonis in cæleſti menſa perfruentur.

VII.

VII.

NVnquid diuinæ huic mensæ, putatis deesse Musicam? Minimè Audite sacrā scripturam. *Cherubin & Seraphin non cessant clamare Sanctus, Sanctus, Sanctus. Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Est ibi capellæ magister: sunt & cantores. Capellæ magister est Christus: Cantores sunt Angeli & beati omnes. Angeli in tres turmas diuisi sunt: quarum quælibet tres continet choros, ita vt nouem choros efficiant. Cherubini, Seraphini & Throni, discantū. Dominationes & Principatus cōtra tenorem; Virtutes & potestates, tenorem. Archangeli & Angeli bassum canunt. Sancti his cantoribus permixti sunt, & simul cum illis voces suas iungunt. Christus singulis voces subministrat, & motettas siue cantica intonat. Cantica non sunt vetera, sed noua. *Cantabant canticum nouum.* Nam dulcissimæ etiam huius mundi harmoniæ, vt Musici norunt, si nimis sæpè concinantur, & familiares fiant auribus nostris, nō voluptatem, sed fastidium potius adferunt. At in superno illo regno Angeli semper noua cātica, nouasque melodias proferent. Ita vt per totam cælestem aulam, nouæ semper harmoniæ, noua cantica nullum fastidium adferentia resonent. *Cantabant canticum nouum.* Canit quidem Iudæus transitū maris rubri, Pharaonis submersionem, & Moysis triumphos. Canit Græcus ruinas Troiæ, Achillis gesta, Vlyssis prudentiam. Canunt Romani suam fortitudinē, imperium suū in vltimas orbis partes vsque prolatum, innumeras victorias. At hæc non sunt noua cantica, vetera sunt, quibus

Qualis in cælo musica futura sit.

Psal. 84.

Apoc. 14.

Apoc. 14.

iam aures omnes plenæ ſunt. Sed, ô harmoniani, beatorum cantica ſunt noua, iucunda, inaudita.

Canunt ſemper noua, nouis modis ac melodijs: omnes voces reddunt, omnia cantuum genera vſurpant. Grauem, acutum, ſuperacutum. Grauis continet naturæ cantum. Hoc tono concinunt ſæculorum æternitatem, naturæ creationem, temporum curſum, cælorum conuerſionem, mundi pulchritudinem, creaturarum varietatem, hominis dignitatem. Acutus cantum gratiæ continet. Quo tono concinunt, Chriſti incarnationem, B. Mariæ virginitatem, humani generis redemptionem, dæmonis profligationem, mortis victoriam, peccati triumphos. Superacutus continet cantum gloriæ. Quo tono concinunt cæleſtes muſici, Paradiſi reſerationem, Spiritus ſancti in Eccleſiam effuſionem, hominum in cælos aſcenſum, ſeruorum in filios adoptionem, peccatorum in ſanctos, & miſerorum in beatos immutationem. O quam eximia cantica. Putatiſne in materijs adeo præclaris, quæ nunquam perfectè inueſtigari queunt, poſſe illis noua ſemper cantica deficere? *Cantabant canticum nouum.* De qua

Apoc. 14. muſica S. Auguſt. ait. *Vacabitur Dei laudibus, & S. Auguſt.* *ſine fatigatione laudabitur.* O quam fælix eſt hæc vita, vbi aliud nihil fit, quàm quòd noua, & læta cantica concinantur.

VIII.

Beatorũ domicilia ſunt cæleſtes viſiones.

PRæter ciborum menſæ regiæ, & melodiæ cæleſtis admirationem, manſit Regina Saba attonita, ex aſpectu ornatiſsimorum cubiculorum, ac manſionum, quæ ſerui & aulici

Regis incolebant. *Videns autem Regina Saba habitacula seruorum.* Atque hoc est quartum quod illi summam peperit admiratione͂, quod animam quoque beatam in cœlis vehementer obstupefaciet. Cæterum quales in superno illo regno, sunt mansiones & habitationes Angelorum & beatorum omnium summi Regis ministrorum? Variæ & diuersæ visiones ac fruitiones ipsorum, dum plus vel minus vident & gaudent in cælis, prout magis vel minus in terris meruerunt. Neque mirum vobis videri debet, quòd dicam mansiones ipsorum esse beatificas visiones, quia Christus Seruator apud Ioannem ita eas nuncupat: *In domo*, inquit, *Patris mei, mansiones multæ sunt.* Verùm vnde prouenit ista varietas visionum? Accipite Theologorum opiniones.

3.Reg.10.

Ioan.14.

Alij aiunt, hanc varietatem à Deo procedere, qui est speculum voluntarium, quod, iuxta voluntatem suam, se, & omnia quæ in se sunt repræsentat. Nostra specula non sunt voluntaria, sed necessariò & naturaliter, id quod continent & quod ipsis præsentatur referre coguntur; Deus non. Est quidem speculum in quo relucent omnia, sed voluntarium, quia beatis monstrat quod vult, quando vult, & cui vult. Audite. Placet illi quod iustum est; at iustum est, vt beatis semetipsum mo͂stret, seu intuendu͂ præbeat, iuxta illoru͂ opera & merita, vel multa, vel pauca. Scriptum est: *Reddet vnicuique secundum opera sua.* Et S. Paulus ait: *Præbet seipsum singulis prout vult*, idq; cum lege ipsius consentit, qua bonum iuxta magnitudine͂ vel exiguitatem suam remunerandum esse decernit. Diuinum hoc speculum in eo quoque à

Vnde procedat visionu͂ varietas in beatis, duæ sententiæ.

nostris differt: quòd nostra recipiant species & imagines rerum extra se positarum, & postea illas ad visum nostrum reflectant: at DEVS nullas in se suscipit species rerum extra se constitutarum, imò omnia prius sunt in DEO, quàm in semetipsis, & esse quodam perfectissimo, quia in Deo, sunt DEVS. Appellatur autem DEVS speculum; quia omnia in se continet, omnia repræsentat, at non veluti causas, sed veloti effecta rerum. Quia secundum idæas, & exemplaria rerum quæ in eo sunt, DEVS creauit, & creat omnia quæ sunt extra se. Est & alia differentia inter hoc speculum, & nostra. Quia nostra per rectam & propriam speciem se ipsa demonstrant, alias verò res ipsis præsentatas, per speciem reflexam, At DEVS repræsentat se ipsum & omnia quæ in se snnt, per lineam rectam & non reflexam. Varietas itaque visionum nascitur à Deo, tanquam speculo voluntario.

Alij affirmant (& fortè rectius) non nasci diuersitatem hanc à speculo voluntario, eò quòd hoc ad beatitudinem accidentalem non essentialem pertineat: nam quoad hanc (vti dictum est) beati omnes vident DEVM & omnia quæ in Deo sunt, vt minimum quoad essentiam & quidditatem, particularia verò ad statum sui pertinentia. Sed prouenire à lumine gloriæ, quod magis vel minus à Deo illis fuit infusum: adeò vt qui maius lumen habet, amplius videat, & qui minus, minus videat.

Vt autem quis maius vel minus lumen gloriæ in cœlis adipiscatur, id prouenit à maiori vel minori merito in terris acquisito. Meritorum autem proportio, ex charitatis feruore

pendet.

pendet. Quia qui in præsenti vita maiori gratia & ardentiori charitate præditus fuit, maius etiam meritum in operibus suis conquisiuit, & consequenter maius in cœlis gloriæ lumen obtinebit, quo roboratus intellectus nostri lumen, clarius & perfectius DEVM, & quæ in DEO sunt intuebitur: maiorique cum voluptate & amore illo fruetur. Hoc S. Paulus inferre volebat, quando ait. *Sicut stella differt à stella in claritate, sic erunt electi Dei in cælo.* Simile.

Nam sicut Sole hemisphærium oppositũ illuminante, & radios suos lucidissimos, ad stellas capiti nostro imminentes, transmittente, illę, lumen ipsius, veluti totidem specula, radianti vultui eius opposita, aliæ magis, alię minus, iuxta magnitudinem & capacitatem suam recipiunt: & secundùm quòd magis vel minus lucis accipiunt, oculos nostros reuerberant, & magis vel minus lucere videntur. Ita etiam, S. Paulus dicit, electos Dei, veluti totidem stellas seu specula, à Deo summo Sole & Patre luminum suscipere lumen gloriæ, quod à lucidissimo vultu ipsius procedit, alios magis, alios minus, iuxta magnitudinem & capacitatem illorum, à maiori vel minori merito proficiscentem. *Sic erunt electi Dei in cœlo.* Hoc lumen acceptum electi postea infundunt, eoque reuerberant, alter alterius aspectum, ita vt omnes quasi totidem Dij esse videantur. O venustissimum & iucundissimum aspectum. Sed reuertamur vnde degresi fuimus. 1. Cor. 15 Simile.

Qui ergo maiori in cœlis gloriæ lumine dotatus est, clariùs & distinctiùs videt DEVM, & omnia quæ in ipso sunt: qui minori,

minus clarè videt DEVM. Vt si rem vnam plurimi intueantur, alij ad lumen Solis fulgentissimi, alij ad lumen Solis obtenebrati, alij ad lumen Lunæ, alij ad lumen candelæ: dubium non est, quin illi qui eam ad lumen solis splendentis contemplantur, clariùs & distinctiùs eam videant, quam qui ad lumen solis obfuscati: & qui ad lumen solis obtenebrati, quàm qui ad lumen lunæ vel candelæ. Ita quoque electi DEI varium habent lumen gloriæ, alij clarius, alij obscurius, alij maius, alij minus. Qui DEVM maiori lumine intuentur, vident illum clariùs atque distinctiùs, & simul omnia quæ in ipso sunt. Qui verò minori, minus etiam clarè ac distinctè illum contemplantur. Idem fieri videmus in artibus & scientijs. Ibi enim licet plures circa idem obiectum seu materiam versentur, attamen vnus alio peritior euadit, prout maius vel minus ingenium siue naturale lumen sortitus est. Ita quoque plus vel minus anima beata DEVM & omnia quæ in ipso sunt, cognoscit, prout plus vel minus supernaturalis & diuini luminis accepit.

Qui ergo in cælis maius gloriæ lumen nactus est, videt clariùs & distinctiùs obiectum illud beatificum, DEVM, & omnia quæ in eo continentur: ex hac autem clariori visione, procedit amor feruentior: ex amore ardentiori, voluptas purior: qui verò minus lumen adeptus est, minus videt, amat, & gaudet in DEO. Hæ sunt beatorum mansiones & habitationes, ex quorum aspectu, anima in cælesti paradiso vehementer manebit attonita.

Neque

Neque id immeritò. Quomodo enim fieri possit, vt videndo beatos tam innumerabiles, qui de vno eodemque òbiecto beatifico gaudent, vnum eundemque Deum intuentur, vnū idemque regnum posſident, ſed diuerſimodè; & eorum quemque ſtatu & gradu ſuo contentum eſſe, nemini inuidere, nec alium alterius gradum ſeu maiorem ſeu minorem deſiderare, quomodo, inquā, fieri poſſet, vt anima, has fruitiones & viſiones beatificas contemplando non ingenti repleatur admiratione? non præ ſtupore à ſemetipſa deficiat? *Videns autem Regina Saba habitacula ſeruorum, non erat ei vltra ſpiritus.* *Inter beatos nulla eſt inuidia.* *3. Reg. 10.*

Nulla inter beatos in cælis inuidia eſt: nec quiſquam ibi boni quod alius poſsidet, deſiderio tenetur, ſed ſuis contentus eſt. Hoc vt intelligatis, illuſtrabo rem Exemplo. Sint ſpecula aliquot, magna, parua, & mediocria omnis generis, muro alicui affixa, omnia quidem ſuſcipient figuram & imaginem illius, qui ex oppoſito conſiſtens, ea intuetur, attamen vnūquodq; iuxta magnitudinem & capacitatem ſuam. In maioribus imago magna, in minoribus parua, in mediocribus mediocris erit. Iam verò dicite mihi; ſi ſpecula hæc ratione vterētur, nunquid inuideret ſpeculum minus ſpeculo mediocri, & imaginem illius deſideraret? aut mediocre maioris figuram appeteret? aut maior minori aut mediocri imaginē ſuam inuideret? neutiquā, hoc enim deſiderium inane, & inuidia prorſus ſtulta & ſtolida foret. Quia minus ſpeculū non eſſet imaginis, quam mediocre ſpeculum repræſentat, capax: nec mediocre, illius, quam maius refert: nec maius

figurã minoris vel mediocris in se continere posset, propter exiguitatem: sed vnumquodq; tantæ magnitudinis habet imaginẽ, quantam capere ac retinere potest. Ac proinde vnicuique imago sua sufficit, nec alteri inuidet. Fingite nunc omnes sanctos & beatos in cœlis, esse velut totidem specula, magna, parua, mediocria. Omnes quidem in se recipiunt (non dico DEI imaginem, quia nullam extra se producit imaginem) sed ipsum Deum & gloriam eius, iuxta quod magis vel minus capaces sunt. Et tamen vnus alteri non inuidet, aut gloriæ ipsius desiderio flagrat, quia minores beati, cũ tantum habeant, quantum habere possunt, nõ possent bonum & gloriam mediocrium capere: nec mediocres maiorum, nec maiores in se minorum vel mediocrium gloriam retinere. Aliter si facerent, esset inuidia eorum prorsus stulta, & desiderium vanum, quod naturæ beatorum repugnat. Omnes itaque & singuli, his quæ habent contenti sunt, & alijs nõ inuidẽt.

Cæterùm animus est & alias adducere similitudines è sacris literis petitas, ad propositum nostrum facientes.

Cur beati stellæ vocentur.

Video beatos illic appellari stellas. Vt in Daniele. *Benedicite stellæ cœli Domino.* Et rursum. *Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebũt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Vbi per stellas sancti intelliguntur, qui bono exemplo & doctrina sua multos ad virtutem & honestatem in præsenti vita erudiunt DEVM verò nuncupari solem. Nam de illo in Apocalypsi scriptum est. *Facies eius sicut sol lucet in virtute sua.* Neque sine ratione. Nam sicut stellæ lumen à Sole mutuantur, ita beati gloriam à

Dan 3.
Ibid. 12
Apoc. 1.
Simile.

DEO

DEO accipiunt. Et sicut stellæ lumen à sole
iuxta suam capacitatem suscipiunt, maiores,
maius: mediocres, mediocre: minores, minus;
ita quoque beati gloriam, singuli iuxta capa-
citatem suam à DEO accipiunt: maiores ma-
iorem, & minores minorem. Ad quod respi- 1.Cor.15.
ciebat Apostolus, cùm diceret: *Sicut stella dif-
fert à stella in claritate: sic erunt electi DEI in
cælo.* Quemadmodum denique stellæ si habe-
rent intellectũ, minor mediocri, & mediocris
maiori, & maior vicissim vtrique non inuide-
ret, aut lumen illorum desideraret, cùm habe-
at tantum luminis, quantum capere potest: Ita
quoq; minores beati mediocribus aut medio-
cres maioribus, & contra maiores vtrisq; non
inuidebunt, nec gloriæ ipsorum desiderio te-
nebuntur, quia eã capere non possent, eò quod
singulis tanta collata sit, quanta est eorum ca-
pacitas. Rectè igitur sancti stellæ, & Deus Sol
nominatur. Addo & aliam.

Ibidem beati, filij DEI nuncupantur. Vt in *Cur beati filij DEI nominentur.*
Iob. *Vbi eras cum iubilarent omnes filij DEI.* Et
in Psalmis. *Similis erit DEO in filijs DEI.* Et in
Epist. S. Pauli *Gloriamur in spe gloriæ filiorum* *Iob.38.*
DEI. Gloria verò ipsorum appellatur vesti- *Psal.88.*
mentum, vt in Ecclesiastico vbi de homine iu- *Rom.5.*
sto ita scriptum est: *Stolam gloriæ vestiet illum.* *Eccles.6.*
Et de sanctis in Apocalyp. dicitur. *Datæ sunt* *Apoc.6.*
illis singulæ stolæ albæ. Neque sine sublimi intel-
lectu, sancti, filij DEI, & gloria cælestis, vesti-
mentum vocatur.

Quia quemadmodum vir nobilis, qui mul- *Simile.*
tos habet filios, alios natu grandiores, alios æ-
tatis mediæ, alios pusillos, si vestiat illos vno
eodemq; panno serico, iuxta corporum ipso-

rum proportionem, vestitus seu habitus minorum esset paruus: mediorum mediocris, maiorum multo maior, nec vnus alteri posset inuidere, neque habitum illius desiderare, quia si minor mediocris vel maioris habitu se vestire vellet, dubium non est, quin semetipsum inuolueret, & omnium se ludibrijs exponeret: idem fieret, si maior minoris, aut mediocris, aut medius maioris vel minoris, habitu se indueret: vnusquisque ergo vestitu suo contentus foret. Ita quoque DEVS beatos pro filijs habet in cælo, alios pusillos, alios medios, alios grandes meritis, quos omnes vno eodemque gloriæ panno, proportionaliter, iuxta multitudinem vel paucitatem meritorũ vniuscuiusque induit: ideoque nullus alteri inuidere, aut vestimentum seu gloriam illius desiderare poterit, quia malè illi congrueret, eò quod capax illius non esset, cum quilibet tantum habeat quantum illi congruit: sua igitur contentus erit. Videtis ergò quam profundo cum intellectu beati in sacris literis nominentur filij Dei, & gloria ipsorum vestimentum. Neque tamen hic subsistam: sed adiungam & aliam similitudinem è sacris literis itidem desumptam.

Cur sancti appellentur vasa, & gloria cælestis aqua.

Inuenio sanctos & electos DEI illic appellari vasa. Vt Christus Seruator de S. Paulo dicit, *Vas electionis mihi est iste.* Et S. Paulus de DEO electis suis gloriam infundente ait. *Vt ostenderet diuitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Reperio adhæc eandem gloriam nominari aquam, vt apud Dauidem. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

Act. 9. *Rom. 9.* *Psal. 35.*

Et

apud Esaiam. *Ad fontes aquarum potabit eos.* *Ioan. 4.*
Christus ad Samaritanam. *Qui biberit ex a-* *Esai. 49.*
qua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Neque sine insigni mysterio, beati, vasa: & gloria cælestis, aqua nuncupatur. Quia beati non aliter in se accipiunt cælestem gloriam, ac vasa aquam. Nam si hic vasa aliquot consisterent, parua, magna, mediocria, omnis generis, & vna eademque aqua ad summum vsque replerētur, & minimum interrogares, anne maiori inuideret, aut aquā illius desideraret? si loqui posset, responderet: minimè, quia nullo pacto eam capere possem. Idem responderent cætera, quia cum omnia ad summum vsque repleta sint, & tantum in se habeāt quantum capere possent, stultum & vanum esset eorum desiderium, si id cuperent, cuius capaces non essent. Vnumquodque igitur aqua, quam habet, contētum foret. Ita etiam beati, cælestis gloriæ aqua pleni sunt, tantumque illius habent, quantum capere possunt, ac proinde alijs non inuidebunt, neque gloriam eorum appetent, quia illam capere non possent. Maria Dei mater, est vas maximum. Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli sunt vasa aliquanto minora. Alij sancti vel sunt vasa his similia, vel paulò minora. Beati inferiores sanctis, sunt vasa minima. Quid agerent beati minimi, summa Beatæ Virginis DEI genitricis, aut minore Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, vel cæterorum sanctorum gloria, si eam capere non sufficerent, eò quod pleni sunt, & tantum habent, quantum capere possunt? Et quid Beatiss. Virgo Maria, aut alij maiores sancti, minorum beatorum gloria facerent, si eam in se,

 propte-

propterea quod pleni sint, recipere non possent? Ecce quam sublimi cum mysterio beati vasa, & gloria eorum aqua nominatur. Addo & hoc quod S. Augustinus dicit, summam quæ in beatis est charitatem, per quam arctissimè inter sese vniti sunt, efficere, vt nulla inter ipsos regnare poſsit inuidia. Nam in commentarijs in Ioannem ait. *Non erit aliqua inuidia diſparis claritatis, quando regnabit in omnibus vnitas charitatis.* Erunt igitur omnes sua gloria & beatitudine contenti, nec quisquam alteri inuidebit, aut gloriam illius concupiscet. O pacem, ô tranquillitatem, ô animi quietem qua superni huius regni aulici perfruentur. Et non censetis animæ Reginæ, iustiſsimam adesse causam, cur ex horum omnium aspectu abstupescat, & attonita per maneat? Hoc est igitur quartum quod animæ admirationem commouet, nunc ad reliqua duo transeamus, summa cum breuitate illa percurrendo non enim, omnia hæc vno sermone comprehendi & explicari queunt, quin potius singula singulis egerent sermonibus, vt dilucidius & accuratius enucleari possent.

S. August.

Quintum quod Reginę Saba admirationem peperit, fuit ministrorum ordo & vestimenta eorum. *Videns ordines ministrantium, vestesq; eorum.*

Quintum quod Reginæ Saba admirationem peperit.

Temeritatis meritò coargui possem, si de his rebus distinctè loqui præsumerem: nã necessarium esset, me illa prius oculis coram inspicere, antequam de ijs in terra sermocinari valerem: vnde Deus ad S. Iob ait. *Nunquid nosti ordinem cæli & pones rationem eius in terra?* Non potest sciri ordo, neque cognosci nume-

Iob. 38.

rus

rusministrorum Dei, imò si posset, nulla mortalis lingua valeret exprimere: aut intellectus comprehendere.

Quod magnus Dionysius Areopag. testatur his verbis. *Multi sunt exercitus supernarum mentium, infimam & constrictam excedentes animorum nostrorum commensurationem.* Si autem spiritus illi cælestes tam multi sunt, vt eorum non posfit iniri numerus, quis ordinem omnium sanctorum & beatorum simul comprehendere & capere sufficiat? Dionys. Areopag.

Parum hoc nouimus ex sacris literis: summum Regem in excelso throno gloriæ, ineffabili cum maiestate residere: cuius dexteram occupat filius, sinistram Mater, supernè imminet Spiritus sanctus: Circa illum circum fusa sunt millia millium Angelorum ministrantium, & animarum beatarum, quæ non facient distinctas turmas ab angelis, sed erunt cum illis permixtæ, iuxta dictum illud Theologorũ. *Assumuntur ad choros angelorum.* Et tamen habebunt inter se distinctas Hierarchias. Hierarchiæ sunt tres & vnaquæque earum tribus constat ordinibus.

In prima sunt Seraphim, Cherubim & Throni. In secunda Dominationes, Principatus & Potestates. In tertia Virtutes, Archangeli & Angeli. Hierarchia nihil aliud sonat, quam sacer principatus. In prima Hierarchia Seraphini considerant Dei virtutem, Cherubini bonitatem, Throni æquitatem. In primis DEVS cognoscit vt veritas: in secundis amat, vt charitas: in tertijs sedet vt æquitas Seraphini in Hebræo significant incentiuum vel calefacientes: & hi considerant virtutem Dei, qui in

ipsis

ipsis cognoscit vt veritas. Cherubini in Græco significant infusionem sapientiæ, seu multiplicitatem cognitionis, & hi contemplantur summam bonitatē Dei, qui ipsos amat vt charitas. Throni in græco significant sedes excelsas in quibus iudices residere consueuerunt: & hi speculantur æquitatem Dei, qui in illis sedet vt iustitia & æquitas. In secunda Hierarchia Dominationes regūt officia Angelorum & in illis DEVS dominatur vt maiestas. Principatus, populorum rectoribus præsident, in quibus DEVS regit vt princeps. Potestates, dæmoniorum molitiones & vim coërcent, quos DEVS defendit, vt saluator. In tertia Hierarchia ad Virtutes pertinet operatio miraculorum, in quibus operatur vt virtus. Ad Archangelos pertinet rerum maiorum annunciatio, & cura Principum: quia ἀρχὴ græcè, significat principatum. Ad Angelos minorum rerum annūciatio, & omnium hominum specialis cura spectat. Hæc vnanimiter asseruntur à sacris Doctoribus, tametsi Dionysius & alij, in quibusdam nonnihil dissentiant. Et vt quam paucissimis verbis cætera comprehendam, Seraphini, Cherubini & Throni sunt instar secretariorum, consiliariorum & cubiculariorum summi Regis. Dominationes, Principatus & Virtutes instar Principum, Ducum, Præfectorum generalium, ac Gubernatorum. Potestates, Archangeli & Angeli, instar iudicū, legatorum, nunciorū, & ministrorum. Apostoli, Euangelistæ, Martyres, Confessores, Virgines, sanctæ mulieres, sunt Rectores, Cancellarij, Capitanei, Theologi, Pedissequę, & Matronæ reginam sequentes. O admirabilem ordinem.

dinem. *Et ordines ministrantiū, vestesq́; eorum.*
Obstupuit Regina Saba ex contemplatione 3.Reg 10.
vestimentorum, quibus aulici & ministri in- *Qualia sint*
duti erant. Ita etiam anima ex conspectu or- *beatorum*
namentorum, quibus Angeli, sancti, & beati *vestimenta.*
omnes decorati erunt, ingenti stupore defixa hærebit. Quis enim sufficiat exprimere pulchritudinem, colores, & elegantissimam cælestium texturam? quis auri & gemmarū splendorem, quo adornati sunt? quis lucem qua in vestimentis suis resplendent? De beatis enim legimus. *Stola iucunditatis, stola gloriæ induit eos Dominus. Fulgebunt iusti sicut Sol.* Et de B. Maria scriptum est. *Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Quibus verbis innuitur, non aliter vestem illam, qua Regina hæc vestita est, splendere & relucere, quàm Solem & stellas. Qui panni, quæ vestimenta auro gemmisque intertexta, his pannis ac vestimentis gloriæ & iucunditatis, quibus beati vestiti sunt, comparari queunt? Quæ porrò monilia, qui torques, quæ coronæ æquipararari possunt sertis quibus illi coronantur? *Coronam pulchritudinis posuit super caput eorum.*

Eccles.45. Dan.12. Apoc.12. Eccles.45.

Non differam hic de corporū dotibus, quia nunquam ad sermonis huius finem peruenirē. Pro conclusione de vestimentis beatorum hoc tantummodo addam, si cum proportione hac metaphorica, quæ status & actus sanctorum repræsentat, fingamus indutos esse martyres purpura venustissima; Confessores margaritis splendidissimis, & indelebilibus characteribus ornatos; Virgines cādidissimo & niueo indumento vestitas, lilijs & floribus pulcherrimis

rimis aureolarum coronatas ac redimitas. Et vt summatim dicam, si vestiamus & ornemus beatos omnes iuxta statuum, graduum, actionum, morumq; ipsorum varietatem, videbimus omnia hęc vestimenta & ornamenta, maximam nobis admirationem & stuporem subministrare.

Denique admirata est vehementer Regina Saba, in Templo, deuotissimas Sacerdotum in sacrificijs & holocaustis Deo offerendis cæremonias. *Videns & holocausta quæ offerebantur in domo Domini.* O qualia holocausta, qualia sacrificia videbit anima numini diuino in superno illo templo offerri. Corda & affectus beatorum edunt victimæ, & holocausta, quæ Deo ab illis immolabuntur. Beati enim in augustissimo cælestis regni templo, cũ perpetua obligatione offerũt corda sua integrè Domino, in holocaustum inflãmatum, succensumq; amore diuino, qui amor ita trãsformabit illos in amati amorẽ, vt nullã habituri sint partem, quam Domino suo non offerant, non cum cæremonijs corporalium inclinationum, quibus in terris vtimur, quas sæpè mens non comitatur: sed pura, vera & simplici manifestatione totius cordis & affectus interni, vniti & transformati in Deum.

3. Reg. 10.

O diuina & sancta holocausta, quę non amplius in se sed in Deo viuunt, absorpta in Deũ, transformata in Deum. Sed de his amplius nihil: reuertamur ad Dei visionem, cum qua manere suauissimum est.

IX.

SI ea quæ hactenus, auditores, de superni regni fælicitate & gloria disserui, nondum

sufficiũt, ad animos vestros huius Regis & regni amore inflammandos, inflammet & moueat vos saltem immensa summi Dei pulchritudo, quę in omnibus beatis relucet. Non enim latet vos, quantoperè pulchritudo delectat, & quam eximiam virtutem, animos hominum ad se attrahendi, atque amore inflammandi habeat. Quis nescit quantoperè Troianos Helenæ species & decor ad ipsam amandam, & honorandam pellexerit & inflammauerit? Adeo etiam, vt quamuis propter illam secutæ fuerint, crebræ, sanguinis effusiones, captiuitates ac neces plurimorum, decem annorum continua obsidio, Troiani tamen illam quæ omnium horum malorum causa erat, à se amandare, eamque ab oculis remouere noluerint. Imo Rex Priamus, quamuis propter illam filiorum mortem, populi sui strages, regni ruinam conspexisset, eam tamen propter eximium decorem, ad extremum vsque spiritum, vt filiam charissimam dilexerit & fouerit. Si autem terrena pulchritudo tantam vim habet, voluntates hominum attrahendi, sibique deuinciendi, vt ipsos, omnes calamitates & aduersitates præsentis sæculi, iucundo animo subire compellat; quid faciet increata illa Dei pulchritudo, quæ in immensam omnem terrenam pulchritudinem excedit?

Quam magna sit Dei pulchritudo & quomodo illam in beatos diffundat.

DEVS est infinitum quoddam pelagus decoris, abyssus gratiæ, quo non per mensem, nõ per annum, non per lustrum vnum, duo, tria duntaxat, quemadmodum terrena pulchritudine, sed in omnem æternitatem vno eodemq; modo perfrui licet, quia nunquam vetustate

canescit,

canescit, nec vel minimũ iota de sua pulchritudine deperdit. Vnde Dauid. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Quantæ autem pulchritudinis ac venustatis sit DEVS, ex hac sacrorum Doctorum ratiocinatione coniecturare poteritis.

Psal. 101.

Aiunt sacri Doctores, cælum Empyreum in omnibus suis partibus, esse multò pulchrius, lucidius, splendidius Sole: & corpora gloriosa multo splendidiora esse cælo Empyreo: animas adhæc beatorum, multò venustiores ac fulgentiores esse corporibus gloriosis: angelos deniq; vel æqualis decoris ac splendoris esse, vel multò maioris. At pulchritudo Angelorum & animarum beatarum, si cum Dei pulchritudine comparetur, est instar nihili. *Quasi nihilum & inane reputata sunt ei.* Cũ ergo Deus infinitis partibus superet omnẽ prædictorum pulchritudinem, hinc coniecturam sumite, quàm eximiæ venustatis ac pulchritudinis sit. Verùm consideremus non solum pulchritudinem illam, quam DEVS habet in se, sed quomodo etiam illam in alios diffundat.

Notum est ex ijs quæ superius dicta sunt, Deum, summæ venustatis, in superna beatitudine relucere ac videri in beatis omnibus. O quàm pulchrum & iucundum erit spectaculũ, cernere Deum speciosissimum in se, & in omnibus angelis & beatis. Dicite mihi, amabo vos, si tot specula, in meridie, vniuersam terræ superficiem operirent, quot sunt in cælo stellæ, nonne in omnibus & singulis Sol conspiceretur? nõne ex omnibus & singulis reluceret lucidissimus illius vultus? nonne radijs suis in hæc specula reuerberando, immensus per om-

nes

tes mundi partes ſplendor emicaret? O pulchritudinē, ô venuſtatem. Iam verò quid putatis eſſe Angelos & beatos in cœlis? ſunt nitidiſſima ſpecula, per vniuerſum cœleſte regnum diffuſa, quæ in ſe ſuſcipiunt ſolē immēſi ſplendoris Deum, pulcherrimã & lucidiſſimam illius faciem, diuinum ac reuerendum illius vultum. In omnibus & ſingulis ipſorũ cernitur radiare & reuerberare immenſa illa lux quæ ſtupore & admiratione vniuerſum cœleſte regnum complet. Audite S. Auguſtinum, ſerm. 2. de omnibus ſanctis id confirmantem. *Vltra omnem, inquit, ſanctorum gloriã eſt, ipſius inæſtimabilem aſpicere conſpectum, & ſplendore maieſtatis eius irradiari.* O anima mea, placet nunc pauliſper memetipſum ingredi, & tecum colloqui. S. Auguſt.

Quã ingens & eximia erit fœlicitas & beatitudo tua, quando diuina gratia opitulante, ad ſupernum illud regnum perueneris? Quãcunque in partē te conuerteris, præ immenſo ſtupore, conſiſtes attonita. Cõpleberis infinita dulcedine, ex aſpectu ineffabilis pulchritudinis, q̃ in beatis conſpicies. Si ad Angelos te conuertas, vt cũ illis cõuerſeris, videbis in illis venuſtiſſimã Dei faciē. Si ad beatorũ animas, vt cũ illis familiariter agas, cernes in illis lucere eundem ſpecioſiſſimum Dei vultũ. Si cũ Chriſto, beatiſſima illius Matre, & ſanctis illis, qui cũ corporibus ſuis glorioſis ad cœlos tranſlati fuêre, cõuerſari volueris, conſpicies in corporibus illis Sole lucidioribus, præter ingentem fragrantiam ab illis procedentem ipſam Dei maieſtatē. Si Deũ in ſeipſo cõtemplari placuerit, immenſam illam ſanctiſſimæ

Trinitatis pulchritudinē intueberis. Si ad temetipſam te cōuertas, in te etiā auguſtam illā Dei faciem contemplaberis, quę te deificabit, ita vt non amplius anima, ſed Deus quidam eſſe videaris. O fœlicitatem, ô voluptatem, ô gaudium immenſum animæ in ſuperno regno, cum viderit in omni parte ad quam ſe cōuerterit Deū, & omnia Deo qui ſummum & æternū bonū eſt, plena eſſe conſpexerit. Hinc eſt quod S. Bern. ait, Deum tripliciter videri in cœlo. In omnibus creaturis, in vnoquoque beatorum, & in ſeipſo: ſic enim ait. *Tripliciter æterna illa & perfecta beatitudine fruimur, videntes eum in omnibus creaturis, habentes eum in nobiſmetipſis, & quod his omnibus ineffabiliter iucundius eſt, atq; beatius, ipſam in ſemetipſa cognoſcere Trinitatem.* — S. Bernard.

Quales autem exiſtimatis beatos eſſe in ſuperna illa gloria? Sūt multò pulchriores, lucidiores, ac ſplendidiores Sole noſtro viſibili, vti rectè notat S. Chryſoſt. hom. 6. in epiſt. ad Hebręos, vbi ait. *Vnumquemque ſanctorum plus quam radios Solis videbimus refulgentem, ex illa gloria, cuius candorem & coruſcationes, oculus humanus non poteſt aſpicere.* Hinc conijcite, quam ſpecioſi ſint, Angeli & beati omnes in cœlo, quandoquidem pulchritudine & ſplendore ſolem noſtrum ſuperant. — S. Chryſoſt.

O quam immenſus amor erit inter beatos, quorum vnus de alterius pulchritudine, & omnes ſimul de immēſa Dei ſpecioſitate gaudebunt. Hęc, auditores, tam rara & admirabilia, in hac vita impoſſibile eſt, cognoſcere atque inſpicere. Sed anima mox vt carne hac ſoluta fuerit (modo in Dei gratia hinc emigret,

gret,

gret, nec quicquam vltra expiandum habeat) videbit clarè & apertè gloriosũ illud regnũ, eximiam illam Dei maiestatem, immensam illam beatorum gloriam, inexplicabilem illam paradisi fœlicitatem, quam aliquatenus sermone meo adumbro. Sola caro intermedia est, veluti murus, aut veluti velum quoddam inter animam & cęlestẽ paradisum oppansum, quæ impedit ne illum videre, eoque perfrui valeat. Fœlices animæ illæ, quæ carne hac in sepulchro deposita, mox illum summa cum voluptate intuentur, & eo perfruuntur: Accipite præclarum quoddam hac de re sacrarum literarum mysterium.

X.

NOtum & exploratum vobis est, templum Hierosolymitanum in duas partes fuisse diuisum: vti & tabernaculum propitiationis à Moyse Domino iubente erectum. Vna pars nominabatur *sancta*, altera, *sancta sanctorum*. Primam ingredi poterant oẽs homines, secũdam sacerdotes tantũ, qui diuino cultui consecrati erant. In hac continebatur arca Dei, ex lignis imputribilibus fabricata, auro intus & foris obducta, quæ in se habebat virgã Aaron quæ frõduerat, tabulas legis, & vrnã manna, ꝗ de cœlo pluerat, continentem. Supra Arcã erant duo Cherubim obuersis vultibus, attonitorũ more, se respiciẽtia. Partes hæ ab inuicem diuidebãtur vnico duntaxat velo, id est, panno ex quatuor coloribus contexto: bysso, purpura, hyacintho, & cocco. Quamobrẽ nisi velum tolleretur seu remoueretur, ij qui erãt in illa templi parte, quæ *sancta* vocabatur, non pote-

Eleganti figura docet nos cœlestia conspicere non posse nisi corpore deposito.

poterant inſpicere *ſancta ſanctorum*: at veló amoto, omnia quę illic continebantur, cunctis cóſpicua fiebát. O prę clarū myſterium. Quid putatis, auditores ſignificari per *ſancta*, q̄ parté omnibus hominib⁹ intrare licebat, niſi Eccleſiā noſtrā militantē, quæ eſt regnū Auſtri quā boni pariter & mali, iuſti & peccatores incolūt? Quid verò per *sācta ſanctorū*, quę nemini, niſi cultui diuino dedicatis ingredi licebat, aliud figurari, quā Eccleſiā triumphantē, cęleſtē Paradiſum, qui eſt regnū Orientale? Hoc non ingrediuntur niſi iuſti & boni, verò Deo, per virtutes & bona opera dedicati.

Hic repoſita eſt arca inaurata, imputribilis, tria, virgam, manna & tabulas continens: id eſt, Regnum hoc incolit Deus trinus & vnus, in arca & rebus in ea cōtentis figuratus. Arca ex lignis imputribilib⁹ fabricata & inaurata Deum demonſtrat: qui incorruptibilis eſt,
Malach. 3. quia immutabilis, iuxta illud. *Ego Deus & non mutor.* Inauratus, propter amorem & charita-
1. Ioan. 4. tem. *Deus charitas eſt.* Tria quæ in vna arca cōcluſa ſunt, oſtendunt perſonas tres, in vna diuinitate & vna eſſentia, comprehenſas. Virga figurat Patrem propter potentiam: tabulæ Filium propter ſapientiam: Manna ſpiritum ſanctum propter bonitatem. O ſublime myſterium. Cherubim qui ſupra arcam ſunt, & ſe inuicem ſtupentes reſpiciūt: beatos repræſentant, qui de immenſa Dei maieſtate ſtupore atque admiratione ingenti complentur. Quid verò eſt, quod nos, qui in regno Auſtrali mundi huius degimus, impedit ne ſupernū illud regnū Orientale, in quo arca diuina eſt, intueamur? Eſt tela quędam ſeu velū

ex qua-

ex quatuor coloribus cōpositum, caro vide-
licet seu corpus nostrū ex quatuor elemētis,
quæ per quatuor hosce colores figurantur,
cōpositū. Byssus figurat terrā, purpura aquā,
hiacynthus aerem, coccus ignem. Neque id
mirum videri debet, cùm nō ignoretis bys-
sum ex lino terrę subtilissimo fieri, & idcirco
nobis elementum hoc demōstrare. Purpurā
verò ex conchis & ostreis marinis colligi, at-
que idcirco aquam repręsentare. Hiacynthū
coloris cœrulei esse, ideoq; aerem figurare.
Coccū deniq; rubrum seu igneum colorem
referre, ac proinde ignis elemētū significare.
Elemēta hæc, auditores, simul vnita, sunt ve-
luti varia fila, ex quibus velū corporis & car-
nis nostræ contexitur, quod diuidit nos à *Sā-
ctis sanctorū*, id est è cęlo, ne illud videre, & ar-
cā diuinam inibi contentam, id est fœlicitatē
nostram intueri queamus. Non auditis Deū Exod. 33.
dicentem? *Non videbit me homo & viuet.* Opus
est vt in terram concidat tela hæc carnea, vt,
remoueatur hoc velum corporis nostri, si Cicero.
videre volumus *sancta sanctorum*, id est Eccle-
siam triumphantem & Regnum cœleste. Co-
gnouit hoc Ethnicus orator Cicero, magis ex
lumine fidei quàm naturæ, cum ait. *Nisi Deus
istis te corporis custodijs liberauerit, ad cœlum adi-
tus patere non potest.* Hac autem tela carnis &
corporis in morte amota, videbimus omnia
quæ in superno illo regno sunt, & perfectè Ouidius.
beati erimus. Audite Ouidium Poetam Eth-
nicum, tertio lib. suæ Metamorphos. id con-
firmantem, vbi inquit.

Expectanda dies homini est, diciq; beatus
Ante obitum nemo supremaq; funera debet.

Simile. Nunquid auditores, aliquando vidistis insignẽ aliquam tragœdiam seu comediam, ab ingeniosis & eruditis actoribus exhiberi? Cõsueuerunt illi, quibus cura scenæ ordinandæ incumbit, eam quidem facere ornatissimam atq; pulcherrimam, sed antequam actionem auspicentur oppandunt inter ipsam & spectatores cortinam quandam crassioris texturæ, quæ venustatem ab intus reconditam oculis eorum abscondat. Qua postea ex inopinatò rescissa, & humi abiecta, spectatores ingenti cum admiratione, totam scenæ pulchritudinem quã cortina occultauerat, intuẽtur. Vultisne vobis à me scenam aliquã venustissimã, non hominum sed Dei manibus depictam & ornatam demõstrari? Ea est cęlum Empyreũ. Omnes nos, qui in mũdo degimus, huius scenæ spectatores sumus S. Paulo dicente. *Spectaculum facti sumus Deo, Angelis & hominibus.* *1. Cor. 4.* Cortina in medio oppansa, est caro nostra. Quãdiu stamen præsentis vitæ non præciditur, & cortina carnis nostræ in terram non corruit, humiq; abijcitur, non poterimus magnam illam cœli scenam intueri. Sed veniat parca Atropos, id est mors, præcidat stamen huius miseræ vitæ, cadat crassa illa corporis nostri textura in terram, reuertatur ad antiquam matrem suam, & mox contemplabimur cœlestem Paradisum, videbimus Deum & ineffabilem ipsius gloriam, eaq; perenniter fruemur. O mortem iucundam, quæ tanti boni nobis causa est.

Homines sanctissimi mortem de- Hoc est stamen illud, quod S. Paulus tantoperè præcidi postulabat, quò Deo frui posset, vt etiam cum lachrymis & intimis cordis gemiti-

siderarunt, vt Dei vultum conspicere possent. Philip. 1.

mitibus diceret. *Cupio dissolui, & esse cum Christo. Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Quod perinde est ac si dixisset. Præcidatur quàm citissimè filum vitæ meæ, cadat quamprimum cortina carnis meę in sepulchrum, quia, hoc impedimento manente nõ possum Christo, qui est omne bonum meũ perfrui: mille mihi anni sunt, antequã vincula huius corporis mei dissoluantur, vt ipsum in glorioso Regno suo videre, atq; æterna simul cum ipso beatitudine frui valeam. Hinc est, quod S. Augustinus in Ioannem ait. *Qui desiderat mori, & esse cum Christo non patienter moritur: sed patienter viuit, & delectabiliter moritur.* Neque tantummodo S. Paulus, sed multis etiam ante sæculis, eandem ob causam plorabat, & suspirans ingemiscebat Regius propheta Dauid, Sic enim ait. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Quod idem est ac si dixisset. O me miserum & infœlicem, qui adeo longæuam in terris vitam viuo, qui iuxta voluntatem meam nõ citissimè morior. Mori cupio, vita mihi grauis & fastidiosa est, quia Deum qui est vita & omne bonum meum videre desidero. Et alibi multis cum lachrymis & suspirijs ex moriendi & Deo fruendi desiderio profectis, ait: *Quando veniam, & apparebo ante faciem Domini?*

S. August.

Psal. 119.

Psal. 41.

Cur, auditores, non diligenter consideratis flagrantissimum huius Regis desiderium, vt omnis huius sæculi voluptates contemnere valeatis? Erat ille Princeps & Dominus duodecim regnorum, sapiens, opulentus, fortis viribus, sano & firmo corpore, inter omnes suæ patriæ honoratissimus: nihil illi eorum quę desiderari in hoc mundo possunt, deerat.

Omnes delitię ac voluptates ad librum ei aderant: & tamen magno cum dolore vitę suę diuturnitatem deflet: summaq; cum cupiditate festinam moreem exoptat. Causa charissimi hæc erat, quòd ad cœlestem Paradisum migrare atq; cum Deo esse, cuius conuersatio omnem mūdi huius suauitatem ac voluptaté in immensum superat; desideraret. Non aduertitis Regem hunc dū in terris vixit, aliud nihil tantopere exoptasse, nec quicquam maiori cum anxietate & solicitudine quæsiuisse, quàm vt domum Domini, cælestem videli-
Psal.26. cet paradisum perenniter posset incolere. *Vnam, inquit, petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ: & videam voluntatem Domini.* Vbi alius correctior textus legit, *Voluptatem*, quæ correctio, magis cum Græco & Hebraico textu concordat. Hæc autem vox voluptas ad cœlesté gloriā propriè refertur; iuxta illud quod in Psalmis scriptum est. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Hæc ergo erat vnica ipsius petitio, habitare in domo Domini vt gloriā eius contemplaretur: Neq; id immeritò, quia intelligebat, veram fœlicitatem in cœlesti Paradiso, non in mūdo, qui hominis carcer, & principis Sathanæ habitatio est, reperiri.

Verùm quid dico. Non modò S. Paulus, & Dauid Rex, hoc desiderabant, sed multis etiā ante sęculis, eadem cupiditate flagrauit Moyses, qui suspirans & lachrymans ait. *Domine si*
Exod. 33. *inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam.* Tolle me, inquit velocissimè ex hac vita, & diuinam faciem tuam mihi contemplādam præbe, in quo tota hominū & Angelo-

rum

rum fœlicitas consistit. Quid deerat, auditores, Duci huic populi Israelitici? Tam potens erat, vt maximo etiam terrori esset AEgypti regibus: tam opulétus, vt solus in deserto, innumeram populi multitudinem sustentaret: tantæ dignitatis, vt esset Rex & princeps infiniti populi: tam sapiens, vt esset legislator & propheta: tam denique honoratus & gloriosus, vt omnes illi se inclinarent, eumq́ non aliter ac terrenum aliquem Deum adorarent. Poteratne amplius aliquid ab homine in vita concupisci? Nihil sanè: Et tamen omnia hæc quasi nullius momenti forent contemnebat: non pluris ea faciebat, quàm si non haberet, nec aliud quicquam feruētiore desiderio exoptabat, quàm ex hoc mundo ad diuinā faciē intuendam tolli: Idcirco cum ingenti mortis desiderio ad Dominum lachrymans ait. *Domine si inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam.* Quod perinde est ac si dixisset. Domine, Rex, & Deus meus, si verum est, me tibi tam gratum & carum esse, vti mūdus existimat, largire mihi hoc singularis gratiæ loco, vt faciem tuam intuear. Ostende mihi diuinum vultum tuum Angelos lætificantem. Non enim tanti æstimo honores, quibus me ornasti, numerosi huius populi Ducem & Regem me constituendo: non magnifacio potētiam, qua Aegyptum vniuersam terrore cōplexi, nullis adhibitis armis, sed sola virga miraculorum patratrice: nihil pendo diuitias, quibus tantæ multitudini de necessarijs prospicio: flocci æstimo sapientiam quā mihi cōtulisti, ex balbo legislatorem & prophetā me faciēdo: Non magnoperè delectat me voluptas,

Exod. 33.

tas, quam capio ex eo quo plurimos corã me incuruari, atque ab ijs vt terrenum aliquem Deum me adorari videã. Et vt summatim dicam, nulla earum rerum, quæ magnam quietẽ & delectationem hominibus in hoc mundo adferunt, adeo vt vltra nihil requirãt, me tranquillare & animum meum ita oblectare potest, vt de te & pulchritudine tua non cogitem. Tu solus es summum bonũ meũ, vera requies mea, æterna tranquillitas mea. Tu solus intellectũ meũ inquietum pacare, tu voluntatem meam insatiabilem satiare potes, vultus tui, in quo omnia relucent, & omnia simul bona comprehenduntur, ostensione. *Ostende mihi faciem tuam.*

Simile. O Auditores, Moyses in tanta rerum omnium huius mundi affluentia constitutus, ne amor quo erga Deum flagrabat, tepesceret, illum sẽper respiciebat. Quemadmodum spõsus aliquis, sponsam suam charissimam vehementer diligẽs cum in aliarum speciosarum puellarum societate est, ne amoris quo illam prosequitur, obliuiscatur; illam oculis mentis semper habet propositam, & animo incessanter retinet. Ita quoque Moyses, qui Deum maximoperè diligebat, & ad cęlestis Paradisi gloriam suspirabat, ne inter commoda & honores huius mundi, rerumq́; omnium abundantiã, huius amoris iacturam faceret, menti suæ indesinenter proponebat, beatam illam gloriam & pulcherrimam Dei faciem, cuius summo desiderio flagrabat: Ideoq́; in vniuersa hac terrena fœlicitate dicebat. *Domine ostende mihi faciem tuam.* *Exod. 33.*

Simile. Adhæc quẽadmodum ille, qui medullitus aliquem

aliquem amat, non expletur literis ab amico acceptis: neq; nuncijs ab illo missis, neque donis ab illo profectis, neque crebris salutationibus, per illum nunciatis, sed sola ipsius præsentia: quæ animũ eius satiat, & noua voluptate ac iubilo complet: Ita quoq; Moyses qui medullitus Deum amabat, nõ poterat expleri, literis amarosis ab eo in monte Sinai acceptis: neque reuelationibus rerum diuinarum, veluti nuntijs ab illo transmissis; neque muneribus terrenarum rerum si ab illo donatis; neq; diuinis inspirationibus, tanquã salutationibus illius nomine nunciatis: sed sola ipsius præsentia, in qua nouerat omnẽ quietẽ & voluptatem suam constitutam esse. Ac proinde quamuis summã rerum omniũ haberet abũdantiam, attamen velut inquietus, & maiorũ bonorum desiderio ęstuans, mortem desiderat, vt Dei præsentia & regno illius frueretur: ad Deum, vnicè sibi dilectum, ita loquens: *Si inueni gratiam in oculis tuis, ostẽde mihi faciem tuam.* Idem faciunt omnes qui Dei, bonorumq; cęlestium amore inflammati sunt. O beatum illum qui Dei amore succensus, mundum & terrena non cogitat, sed solum Deum & cęlestia; quemadmodum faciebant S. Paulus, Dauid, Moyses, & innumeri alij sancti viri, quia à carne hac & mundo exolui ardentibus votis exoptabant, quo Deo & regno ipsius perfrui possent. *Exod. 3.*

Erant hi sancti, generoso Falconi similes. *Simile.* Quia quemadmodum is, quando prædam aliquam odoratur, etiamsi oculis velatis, & pedibus vinctis sit: attamen alas pulsat, atque pileolum oculos obuelantem & vincula pedi-

pedibus iniecta tolli cupit: imo vngulis & rostro ea ipse tentat excutere, adeò vt nō prius tranquillari posse videatur, quàm solutus planè & liber, ad prædam captandam auolare permittatur. Ita etiam hi sancti, cùm per extasin aut alias vias & rationes fœlicissimam illam æternæ beatitudinis prædam odorati fuissent, immensamq́ Dei pulchritudinem ex coniecturis aliquatenus conspexissent, & animaduerterent se velo carnis, & corporis vinculis prohiberi, desiderabant summoperè velum hoc amoueri, & vincula solui, quò ad cœlum liberè euolarent, & fœlicissima illa præda potirentur: nec ante tranquillari posse videbantur, quàm voti compotes fierent: ideoq́ dicebant. *Cupio dissolui & esse cum Christo. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Domine ostende mihi faciem tuam.*

Phil. 1. Psal. 119. Exod. 33. Simile.

Præterea, vt hoc quoque adiungam: non latet vos, canem si fortè Dominum suum amiserit & vestigia illius odoratus fuerit, nullibi posse consistere, sed huc illucq́ue discurrere, donec Dominum suum repererit, & si fortè impediatur aut vinculis constringatur, insano latratu, & toto corporis ad vincula disrumpenda connisu demonstrare, nullam esse aliam ipsius pacandi spē, quàm si solutus & liber ad domini vestigia insequenda dimittatur. Ita quoque hi sancti, quos sacræ literæ canibus nōnunquam comparant, vt in psalmis. *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso, viderunt ingressus tuos Deus, qui es in sancto.* cùm longè abessent à Deo, Domino suo, & diuina illius vestigia odorati fuissent, id est, superna

Psal. 67.

illa cœlestis Paradisi bona aliquatenus degustassent,non poterant esse quieti,sed dolebant se à carne, & mortali corpore præpediri,ideoq́; iugum illius toto animi desiderio, atque contentione à se excutere desiderabãt: nec prius tranquillari posse videbãtur, quàm soluti hoc iugo,liberi ad cœlum abire,carissimumq́; Dominum suum videre permitterẽtur.Vnde quidam illorum ait . *Inquietum est Domine cor meum,donec quiescat in te.* S. August. Psal.67. Rectè igitur ait S.Scriptura de his sanctis viris.*Viderunt ingressus tuos Deus,qui es in sancto.Viderũt*,id est, *gustauerunt:*& quia te atq; vestigia tua , Domine per extases & alias coniecturas gestauerũt, idcirco cum solicitudine & anxietate quærũt te. Hæc est causa,quæ sanctos adeò reddebat inquietos,faciebatq́;, vt desiderabundi dicerent.*Cupio dissolui , & esse cum Christo.* Phil.1. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est.* Psal 119. *Domine ostende mihi faciem tuam.* Exod.33.

Speciosa hæc facies , quæ est ambrosia & nectar beatorum,torrens voluptatis,summũ bonum,ęterna requies,quam tantoperè desiderabat S.Moyses cõtemplari,non potest , in hoc corpore contecti , & mortali hac carne circumdati sumus. Nam, vti S. Leo Papa ait. S.Leo Papa. *illam ipsius deitatis , ineffabilem & inaccessibilem visionem, quæ in æterna vita mundis corde seruatur,nullo modo mortali carne circumdati , intueri possumus & videre .* Quod clarius adhuc sacra Scriptura testificatur,vbi Deus ad Moysen ait. *Non videbit me homo & viuet* , de mortali hac vita id intelligens. Exod.33. Necessarium igitur est , vt tela seu cortina carnis,corpus inquam fœtidum

fœtidum & cibus vermium; in terram concidat: sic enim è vestigio erimus in Oriente, in *sancta sanctorum*; & videbimus cum ingenti stupore & admiratione pulcherrimam illam scenam, arcam diuinam, summam deitatem, sanctissimam Trinitatem, venustissimam summi Regis faciem.

In cælo vndiq; circumdabimur gaudio. Psal. 29.

Audite psalmum in persona beati in patria existentis ita dicentem. *Concidisti saccum meum & circumdedisti me lætitia.* Nam in superno illo regno, beati reuera vndequaq; gaudio circumdabuntur, quod hominibus in præsenti vita contingere nequit: in qua licet quis vna in re lætetur, & ex illa singularem capiat voluptatem, attamen habet & alias ex quibus tristetur, vti quotidiana cernimus experientia. Vt si quis lætetur, quia doctus, tristabitur forsan, quia pauper: si lætetur quia dominus seu princeps, tristabitur fortè, quia multis curis ac solicitudinibus obruitur, aut quia subditorum metuit rebellionem: si lætetur quia nobilis, tristabitur fortè quia sumptus, quibus iuxta statum suum viuere possit, desunt. Si lætetur propter adeptos honores, tristabitur forsan propter aliorum inuidentiam. Si lætetur quia carnis desideria explet, tristabitur fortè, quia inferni cruciatus formidat. Si de pace & tranquillitate animi gaudet, tristabitur forsan, de corporis infirmitate. Si integra fruatur sanitate, tristabitur fortè, quia pane ad vitam sustentandam eget. Itaque fieri non potest, vt quis omni ex parte, in præsenti vita gaudio & lætitia circumdatus sit. Nam nimis verum est, ô Christiane, vt plurimum vsuvenire, vt qui doctus sit, diuitijs careat, & contra qui diuitijs

tijs abundet, rudis & indoctus sit. Qui alijs dominetur, mentem curis ac solicitudinibus referta habeat, qui hisce mentis turbationibus vacet, dominio careat. Qui nobilis sit, ei sumpt⁹ ad statū suū requisiti desint, & qui his abūdet, nulla nobilitate clareat. Qui ad honores sublimatus est, aliorū patiatur inuidiā, & qui omni careat inuidia, nullo singulari honore inclytus sit. Qui in voluptatibus vitā trāsigit, timore inferni sæpenumero concutiatur, & qui ab hoc timore liber sit, omnibus terrenis voluptatibus destituatur. Qui animo quietus sit, corpore sit inquieto: & cōtra qui corpore quietus sit, animi turbationibus agitetur. Qui omnia ad vitæ sustētationē necessaria habeat, sanitate nō gaudeat, & cōtra qui sanus sit, pane, quo vitam sustentet careat.

Hęc est causa, cur in hoc mūdo nullū sit purū vinū, sed bono & malo permixtum. *Nihil est ab omni parte beatum* Quod S. Bernardus secū cōsiderans, rerum mundi huius pertæsus ait. *Fœlicitas huius sæculi amaritudinibus respersa est.* S. **Bernard.**

At, ô Christiane, quando carne hac solutus, ad cęlū, diuina gratia opitulante, migraueris, omnia simul habebis; doctrinā sine egestate; dominiū sine sollicitudine & mētis anxietate; nobilitatē sine defectu; dignitatē sine inuidia; veras voluptates sine pœnarum formidine; pacem animi sine corporis infirmitate; sanitatē sine paupertate Ac proinde lętitia plenus & exultans dices ad Dominū. *Conscidisti saccū meum, & circumdedisti me lætitia* O immēsam vniuscuiusq; beati in cœlesti Paradiso fęlicitatē: in quamcunq; partem se converterit, materiam gaudij reperiet. Supra se videt *Psalm. 29.*

Regem

Regem gloria circũdatum, sub se cœlũ stellatũ, varijs luminibus & splendoribus exornatũ, ante se cognitionẽ matutinam, post se vespertinã, & earũ rerũ, quæ in terris didicit memoriã, ad vtrumq; latus dexterum & sinistrũ, Angelos & beatos vndiq; circũfusos, intra se propria merita, extra se vniuersum hoc regnũ, ineffabili gloria refertum. Cũ ergo omni ex parte materiã gaudij reperiat, nõne iusto iu-
Psal. 29. re quilibet beatorũ dicere poterit? *Concidisti saccum meum & circumdedisti me lætitia.* Nunquid, auditores, amicã illã inuitationem, qua dominus seruũ fidelẽ ad regnũ suum inuitat
Matt. 25. sæpius audistis? *Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Quãobrem iubet, vt ipse in gaudium ingrediatur, & nõ potius, vt gau-
Simile. diũ in illum ingrediatur? Causa hæc est. Quia infinitè maius est gaudium regni cęlestis, quã vt homo illud capere sufficiat. Est enim mare immẽsum, pelagus inexhaustum, abyssus interminata: ac proinde propter magnitudinẽ nõ potest ingredi beatum, sed necesse est, vt beatus illud ingrediatur. Quẽadmodum absurdum esset dicere, vt hortus pulcherrimus ac floridissimus, in te intraret, nõ autem vt tu hortũ ingredereris: ita quoq; absurdum esse dicere vt in seruũ fidelẽ gaudiũ cęleste, quod nihil aliud est, quã hortus quidã lætissimus, vernãtissim⁹, ac speciosissimus, intraret, & nõ potius vt seruus ipse hortũ hũc ingrederetur. Idcirco rectè ait. *Euge serue bone & fidelis, intra*
Matt. 25. *in gaudiũ Domini tui.* Itaq; in cęlo dũtaxat, circũdabitur homo gaudio & lætitia, non in terra.

O summam regni cœlestis fœlicitatem, ô gaudium ineffabile, ô lætitiam inæstimabilẽ

atque

atque incomprehensibilé. Ad regnũ hoc summo cũ desiderio aspirabant Patriarchæ; illud magna cum animi anxietate quærebant Prophetæ; illud ingẽti cum spiritus ardore sitiebant Apostoli; ad hoc inflãmato cum affectu respiciebãt sancti omnes, illud denique totis animorũ votis exoptabãt iusti, cuius nos etiã ingenti cupiditate ac desiderio flagrare deberemus. Verùm quia ex deãbulatione in amænissimo ac speciosissimo hoc viridario, lassitudine confectus sum, & memoria res adeò eximias sine respiratione persequi non valet, necessè est vt paululum quiescã: sic enim quæ restãt prosequi, & Sermoni huic de superno Regno quod finem non habet, finem imponere potero.

QVARTA PARS.

I.

REgius Propheta Dauid cum animo suo reuoluens, in præsenti vita, nullam esse voluptatem, nullum gaudium, nullam lætitiam, quæ non plurimis molestijs, aduersitatibus, ac tristitijs permixta sit: in futura autem vita veram esse voluptatẽ, verum gaudium, veram lætitiam omni mœrore, aduersitate ac molestia carẽtem, ingenti flagrans desiderio ab hac demigrandi, & ad illam transeundi, mundũ hunc relinquendi, & ad tranquillissimum cœlestis regni paradisum ascendẽdi, ait ad Dominum. *Paucitatem dierum meorum nuncia mihi.* Et, *ne reuoces me in dimidio dierum meorum.* Quod perinde est ac si dixisset. Fac, ô Domine, vt dies mei pauci ac breues sint, quia diu in hoc mundo manere molestũ ac graue mihi

Sancti hanc vitã relinquere & ad futurã trãsire desiderant.

Psal. 101.

mihi est: noli expectare vsque ad medium ætatis meæ, vt tũc ad Regnũ tuũ me voces, sed multò ante ex ha vita ad Paradisum tuum me trãsfer. *Ne reuoces me in dimidio dierum meorũ.*
Psal. 101. O Auditores, desiderabat sapiẽtissimus & maximus hic Rex, dies suos quàm citissimè finiri, & etiã multò ante annorũ suorũ medietatẽ ex hac vita tolli: quia optabat mundum hunc immundum, vallẽ hanc miseriȩ & lachrymarum, calamitosum hoc sæculum relinquere, & transire ad mundum illum supernum purissimum atque mundissimum, ad amœnũ & beatũ cœlorum montẽ, ad tranquillũ & fœlix sȩculũ cȩlestis Paradisi. O sublime & præclarũ desiderium, quod etiã vnicuique nostrũ deberet inesse. Sed hîc subit mentẽ meam, alius quidam conceptus super his verbis, *Paucitatẽ dierũ meorũ nuncia mihi*, quẽ reticere nequeo. Audite. Quando sapiẽtissimus hic Rex ait. *Paucitatẽ dierũ meorũ nuncia mihi*, significare voluit, licet in hoc mundo ad octogesimũ aut nonagesimum annum vsque vitam produceret, hos tamen annos paucissimos esse. Nã, vt noueris Christiane, homo multò minori tẽpore viuit, quàm in mũdo degat. Neque mirum id tibi videatur, nam certa ratione id confirmabo. Dic mihi quotannis in hac vita viuere optares? Num octoginta? vtique. At si octoginta annis in mũdo persistas attamen vix viginti verè viuis. Subsiste paulisper, & huius rei veritatẽ manibus tibi palpandã præbebo.

Psalm. 101.

Homines multò minus viuũt, quã in mũdo degant, idque ratione conuincitur.

Primum tempore illo quo somnum capis, non potest verè dici quod viuas, nõ enim fugit te dictum illud Boëtij. *Somnus est mortis imago.* En medietatem vitæ tollit tibi somnus, cũ

Boëtius.

nocte tota semper; die autem sæpenumero dormias, vnde fit, vt ex octoginta annis, quadraginta tãtummodo viuas. Progredere vlterius, & ab his quadraginta, tolle septem infantiæ annos, in quibus verè dici nõ potest te viuere, eò quod vsu rationis careas, adeoq; vitam bestiæ non hominis agas. Tolle præterea hinc omne tempus quod in manducãdo & bibendo expẽdis, hoc enim viuere non est homini proprium, sed homini cum bestijs ratione carentibus commune. Tolle deniq; tẽpus illud, quo in corporis aut animæ molestijs & aduersitatibus vitã degis, quia hoc est potius mors quædã hominis quàm vita. Quod Cicero secum cõsiderãs ait: *Vestra, quæ dicitur vita, mors est*. Et S. Gregorius Papa apertius. *Quotidianus*, inquit, *defectus corruptionis, quid est aliud quàm quædã prolixitas mortis.* Sic autem tecum ratiocinãdo, videbis vitã tuã octoginta annorum, vix esse viginti annorum; Quia vt intellexisti, medietatẽ eorum somnus tollit: alterius verò mediæ partis medietatem, tria simul tibi auferunt, infantia, cibus & potus, animi fastidia, & labores seu aduersitates corporis. Cõspicis igitur ex quatuor vitę tuę partibus tres tolli.

Cicero.
S. Gregor.

Si ergo octoginta annis in hoc mundo viuas, & ex quatuor partibus tres auferãtur, viginti annis duntaxat viuis. Si autẽ sexaginta annos quis in vita maneat, & ex quatuor partibus tres iuxta computum supradictum tollantur, quindecim tantũmodo annis viuit. Si quadraginta annos: decem vix annis viuit. Si triginta: septẽ annis nondum viuit. Si viginti, quatuor annis vix viuit. Si decem, vix duobus

bus annis viuit. Si septem, nihil viuit. Quãtocunq; ergo tempore quis in hac vita maneat, parum viuit. Nouit hoc optimè magnus ille Patriarcha Iacob, qui à Pharaone Aegypti Rege interrogatus, quot annorum esset: respondit: *Centum & triginta annorum sunt dies peregrinationis meæ, parui & mali.* Vbi alia translatio habet *pauci & mali.* Vixerat in mundo centũ & triginta annis, & tamen ait, annos hos paruos, id est paucos esse. Cur hoc? Nõ aliam certè ob causam, quam quod ad ea, quæ dixi, respiciens, intelligeret in cẽtum triginta illis, quibus vixerat annis, tres ex quatuor partibus iam esse sublatas. Fuerant ergo hi anni parui, quia, iuxta prędictum cõputum, annus vnus vix centũ dierum fuerat. Fuerant pauci, quia, quartam eorum partem vix verè vixerat. Et quod magis põderandum est, dicit hos annos paruos & paucos etiam malos fuisse. *Pauci & mali*: cui Sapiẽs in libro Sapientiæ astipulatur, dicens. *Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ.* idq; non sine ratione, videlicet, propter salutis pericula, & mundi aduersitates atque calamitates. Nõ videtis etiam S. Iob hanc vitę nostræ breuitatem testari. *Breues*, inquit, *dies hominis sunt.*

Gen. 47.

Sap. 2.

Iob. 14.

Breuis igitur est vita nostra, etiamsi multis annis in mundo degamus. Quod S. Dauid cognoscens rectè precabatur. *Paucitatem dierum meorum nuncia mihi*: O fratres, in cęlo dies nostri multi sunt & optimi. Ibi nulla est infantia, nulla dormiẽdi, comedẽdi, bibẽdi necessitas nobis incũbit: nullæ sunt ibi corporis molestię, nulli cruciatus seu perturbationes animi: nulla ibi senectus, nulla mors, ibi perpetuò vi-

In cœlo dies plurimi & optimi sũt.

ta trãquillissima & beatissima viuitur, sine periculis, sine timore, sine vllis deniq; aduersitatibus. O ingentẽ regni huius fęlicitatẽ. Ad hoc regnum sapiẽtissimus hic Rex quàm primùm trãsire desiderabat, ideoq; vitæ ac mortis Dominum ita orabat. *Ne reuoces me in dimidio dierum meorum.* quasi diceret: Domine Deus meus, quamuis pauci sint dies vitæ meæ, noli tamen tardare vsq; ad dimidium annorum vitę meæ, quo me voces ad regnum & gloriã tuã, sed etiam ante medietatis huius expletionem voca me. O sublime Regis desiderium. Sed placet adhuc aliquãtò accuratius examinare hęc verba. *Ne reuoces me in dimidio dierum meorum.* — *Psal. 103.* — *Psal. 101. Simile.*

Desiderio magno tenebatur Propheta regius summæ perfectionis in terra adipiscẽdæ, vt maius in cœlo prœmium consequeretur. Ideoq; faciebat more boni alicuius & industrij adolescentis literarum studijs incumbẽtis, qui ad finẽ vsque illa continuarę desiderans, Patri se reuocanti, responderet. *Ne reuoces me in dimidio studij mei.* Noli me reuocare, ô Pater, in medio cursu studiorum meorum, sine me finẽ illis imponere, vt ad honores & prẽmia cõsequenda, expedita mihi sit via. Ita quoq; Dauid, quia se totum perfectionis studio addixerat, & illud necdum finierat, toto desiderio illud absoluere cupiebat, quò merita meritis cumulãdo, maius illi in cœlis præmium decerneretur. (nõ enim illic est meritorũ locus, sed hic in terris. Ibi merita remunerantur, quæ hic fideliter seruiendo & benè agẽdo conquirimus, quæ quantò plura & maiora fuerint, tantò maius quoque & excellen-

tius pro ijs præmium in cœlis adipiscemur.) Idcirco diuinus hic propheta Deum patrem ita deprecabatur. O Pater cœlestis, *Ne reuoces me in dimidio dierum meorũ*, noli me vocare ad te in medio cursu perfectionis meæ, sine me obsecro, finem huic sancto studio, quod tibi tantopere placet, imponere. Non hoc dico propter huius fragilis vitæ cupiditatem, sed propter desiderium tibi seruiẽdi, plura bona perficiendi, & merita in terris cumulandi; vt postea maius in cœlis præmium cõsequar. Eo absoluto voca me secundum placitum tuũ, quia libenti animo veniam ad te, firma nimirũ spe roboratus, me immẽsa regni tui felicitate fruiturum. O quàm sanctum desideriũ, viuẽdi tantum in mundo ad seruiendũ Deo, & merita cõgreganda, non ad vanitates huius sæculi cõsectandas, vti à nobis fit rerũ terrenarum, nõ celestium cupiditate flagrantibus. Dicam adhuc aliquid amplius de sensu horũ verborum. *Ne reuoces me in dimidio dierum meorum.* Psal. 101.

Desiderabat Rex prudẽtissimus, non euocari è mundo hoc in dimidio dierum suorũ, ne celeste regnum amitteret. Attende Christiane, quæ dico.

Principium dierum nostrorum est iuuentus, medium ætas virilis, finis senectus. Ex his autem ætatibus, nulla ad celum amittendum & infernum lucrifaciendum periculosior, quã virilis: quia in hac ætate, vxor, filij, opes & honores faciunt, vt mũdus magis, quàm in cæteris ætatibus diligatur. Nõ in sic iuuentute, quia tunc nondum vxor & filij mentem illecebris suis euertunt, nondum homo tanta flagrat

flagrat cupiditate honorum atq; diuitiarum, quæ salutem animæ vehementer impediunt. Idē sentiendum de senectute, in qua isti amores iam refriguerunt. Maximum igitur periculum nobis imminet in virili ætate, quæ est medium dierum nostrorum. Vnde sapiētissimus Rex Dauid, cùm periculum hoc valdè metueret, & in hac ætate salutem vix consequi speraret, gemēs ad Dominum ait. *Ne reuoces me in dimidio dierum meorum.* Quasi diceret. Noli me ô Domine ex hac vita ad aliam euocare, in ætate virili, quæ est medium dierum meorum, sed vel ante illam, id est, in iuuentute, vel post illam, id est in senectute, vt maiorē salutis meæ spem habeam. *Psal. 108.*

Non auditis ipsum alio in loco, hanc virilē ætatē pertimescentē, cum ait? *Ab altitudine diei timebo.* Altitudo namq; diei est meridies. Non alia ergo erat altitudo hæc quam Rex Dauid metuebat, quàm ætas virilis, quæ est meridies vitæ nostræ, & ad salutem consequēdam valdè periculosa & anceps. Matutinum vitæ nostræ est iuuentus, vespera senectus. Has duas ętates non formidabat, sed eam quę inter has media est. Ideoq; ait: *Ab altitudine diei timebo.* Et hoc, quia considerabat, quàm difficulter homo in hac ætate, animam suam saluare possit. *Psal. 55.*

Eandem ætatem horrebat Ezechias Rex cùm diceret. *Ego dixi in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* Quod idem est ac si dixisset. Sæpè dixi, & nunc etiam literis consigno, vt quisque id nouerit, si in medio dierum meorum mortuus fuero, me inferni portas ingressurum esse, eò quod ætas *Esai. 38.*

hæc semitis regni cœlestis sit planè contraria, semitis verò ad infernum ducentibus valdè amica. Videtis ergo virilis ætatis periculum, quam etiam Ezechias rex metuebat. Sed redeamus ad Dauidem. Cùm ergo sapientissimus Rex animam & cœlum in dimidio dierum suorum, propter nimium rerum terrenarum amorem perdere formidaret, lachrymans Dominum vitæ ac mortis ita precatur.
Psal. 101. *Ne reuoces me in dimidio dierum meorum*. Quasi diceret. Domine Deus meus, ad te & ad regnum tuum venire desidero, nam floccifacio terrenum hoc regnum, quod te largiēte, meę subest potestati, sed si gratum tibi est, voca me multò ante virilem ætatem: aut si hanc gratiā mihi nō placet impartiri, voca me post illam in senectute: quod si perseueras me tollere, in dimidio dierum annorum meorū, vehemēter timeo saluti meæ, ne fortè excidam à cœlesti regno tuo, quod nō mundum & terrena sectantibus, sed te & cęlestia diligētibus promissum est. Intelligitis, auditores, quàm sublimes cogitationes in mēte sua voluerit Propheta & Rex sapiētissimus cùm diceret:
Psal. 101. *Paucitatem dierum meorum nuncia mihi. Ne reuoces me in dimidio dierum meorum.* Quæ cogitationes illius ad solum cœleste regnum respiciebant, vt vel quàm citissimè hinc ad illud demigraret, vel in hac vita diu viueret, partim propter merita cumulanda, vt maius in cœlis præmium consequerētur, partim propter timorem cęleste regnum amittendi. Nam parui pēdebat vitam & mundum hunc, eò quod probè nosset, bona præsentis vitæ, innumeris

ama-

amaritudinibus resperſa eſſe: bona autem futuræ vitæ eſſe vera bona, nullis malis permixta.

II.

CErtum eſt, auditores, in hoc mundo non eſſe gaudium aut voluptatem aliquam perfectam: neq; vinum purum nulla cõmixtum amaritudine. Quia purum vinũ, & gaudium perfectum, electis in cœlo reſeruatur. Auetiſne cauſam ſcire, cur Deus bona mundi huius, tot amaritudinib⁹ reſperſerit? Audite, quia veſtræ vtilitatis gratia, illam explicabo. *Mundi voluptates multis amaritudinibus reſperſæ ſunt & cur Deus id fecerit.*

Facit hoc, vt per mundi huius amaritudines, inducat nos ad rerum tranſitoriarũ contemptum & bonorũ ęternorum deſiderium. Nam (vt me intelligatis) imitatur hac in re piã matrem, filium ablactare cupientem. Ea igitur vt lac, quo ſi vltra ordinarium tempus nutriretur, nimium mollis & infirmi temperamenti ſeu complexionis fieret, auferat, & ad cibum ſolidum, & hominis propriũ, quo altus, virilis & robuſtæ complexionis reddatur, aſſuefaciat, pia hac fraude vtitur. Papillas mammarũ aloë, abſynthio, aut alia re amara inungit, vt filius dulce lac ſugere tentans, amaritudinemq; ſentiẽs, eas paulatim horreat, cibiſq; ſolidioribus & magis proprijs, quibus tota vita ſe ſuſtentaturus eſt, aſſueſcat. O piam matris crudelitatem, quę pro dulcedine amaritudinem filio porrigit, vt illud abhorreat, quod illi paulò poſt nocumentum adferret, & ijs cibis nutriatur, quæ dum viuit, plurimum ei profuturi ſint. Ita etiam Deus ſe gerit erga nos chariſſimos filios ſuos. *Eleganti ſimilitudine id oſtenditur.*

Volens enim nos ablactare, id est, facere vt relicto dulci lacte voluptatum mundi huius, quod hominem mollem, effœminatum, atq; in virtutibus & bonis operibus debilem reddit, ad cibos duros, solidos, hominiq; Christiano, imò omnibus hominibus proprios & naturales assuefieremus, quales sunt, spirituales, diuini, atq; cœlestes cibi, quibus in futura vita in omnem sæculorum æternitatem nutriemur: bona mundi huius, & lac terrenorũ gaudiorũ & voluptatum, aloë seu absynthio amaro, tribulationum, laborum, aduersitatũ, inquietudinum & perturbationum animi & corporis (vti supra ostendimus) commiscet, quo hac amaritudine permoti, paulatim terrena contẽmnere, & cœlestibus toto pectore inhiare cõsuescamus. O Christiani, si mundũ tot amaritudinibus & perturbationibus refertum, adeò perditè amamus, quid facerem[9] si nihil haberet aloes, fellis & absynthij? Citra omnẽ ambiguitatem propter nimiũ mundi & rerum terrenarum amorem, Dei, æternæ beatitudinis, & rerum cęlestium, prorsus obliuisceremur. Quod S. Augustinus secum reuoluens ait: *Turbat me mundus, & ego eum diligo, quid si non turbaret?* O immensam Dei pietatem, qui non ad detrimentum, sed ad vtilitatem nostram, bonis mala, voluptatibus molestias, gaudijs mœrores miscuit. Audite S. Petrum nos reprehendentem & exhortantem, vt non amplius simus infantes, sed lac voluptatum terrenarum aliquando deseramus. *Vsquequo* ait, *paruuli diligitis infantiam, & modò geniti infantes lac concupiscitis?* Quod idem ęst ac si dixisset, Quando tandem desinetis es-

S. August.

1. Pet. 2.

tis eſſe infantuli? quando lacte voluptatum & gaudiorū mundi huius relicto, ad cibū ſolidū, ſanctarum virtutum & bonorū operū vos transferetis? quando rerum inferiorū amore depoſito, ſola cœleſtia, quæ oēs beatos gaudio implent, & lætitia circumdant ſectabimini? *Vſquequo paruuli diligitis infantiam, & modo geniti infantes lac concupiſcitis?* 1. Pet. 2. Vt igitur Deus nos ablactaret, aloe & abſynthium, lacti voluptatum huius mundi, & bonis terrenis, tribulationes, triſtitias, aliaq; mala commiſcuit.

Heu nulla eſt in hoc mundo dulcedo ſine amaritudine, gaudium ſine triſtitia, quies ſine perturbatione, lætitia ſine mœrore, voluptas ſine moleſtia, conſolatio ſine afflictione, bonum ſine malo. In ſuperno tantum regno, inueniet homo omne bonum ſine cōtrario, ibi circumdabitur vndiq; gaudio & lætitia, & dicet ad Dominum. *Conciſdiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia.* Pſal. 29. Si ergo, auditores, omni bono, omniq; gaudio circūdari deſiderantis, eſtote fideles ſerui ſummi Regis, & mandata ipſius omnia perfectè adimplete; nam ipſe ait. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Matth. 19. Hoc ſi non perfeceritis, à ſuperno illo Regno proculdubio excludemini: ipſo affirmante. *Qui non fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, non intrabit in regnum cœlorum.* Matt. 7.

Atq; vt in prima, huius noſtri ſermonis figura maneam: noſtis reginam Saba cùm Salomonē Regē adire ſtatueret, ſecum detuliſſe aromata, gemmas & aurum, dona quæ illi offerret. Ita & nos ſi ad cęlum proficiſci, ibiq; gaudio & lætitia circūdari optamus, neceſſe eſt, vt nobiſcū deferamus, aromata bonorum exem-

exemplorum, gemmas sanctarum virtutum, aurum bonorum operũ: necesse est, vt summo Regi donemus aromata fidei, gemmas spei, aurum charitatis: necesse est, vt offeramus ei aromata contritionis, gemmas cõfessionis, aurũ satisfactionis: necesse est, vt præsentemus ei, aromata orationis, gẽmas ieiunij, aurum eleemosynæ: necesse est, vt largiamur ei aromata meditationum Dominicæ passionis, gemmas rerum cœlestium & diuinarum, aurũ obseruantiæ sanctissimorũ Dei mandatorũ. Sic enim agẽdo, quemadmodũ Regina Saba, pro ijs quæ detulerat, omnia quæ cupiuit, & multò plura quàm donauerat, à Salomone Rege accepit, *Rex aũt Salomon*, inquit sacer textus, *dedit Reginæ Saba cuncta quæ voluit & multò plura, quã attulerat ad eũ*. Ita quoq; sũmus cęli Rex; nobis omnia quę desiderabimus, & multò plura, quàm ei offerre, imò quã desiderare possimus, largietur: quia circũdabit nos gaudio, lætitia, & omni bono, Regniq; sui maximi & immensi consortes faciet. Non auditis, quàm blande oẽs, qui mandata sua seruauerint, atq; bonorũ operum sanctarumq; virtutũ dona sibi obtulerint, ad hoc regnum inuitet? *Venite*, inquit, *possidete regnum vobis paratum ab origine mundi: quia esuriui & dedistis mihi manducare. sitiui* &c. quæ sequuntur.

3. Reg. 10.

Matth. 25.

Ponderate diligenter dictionem hanc, *Regnum*, non dicit, *Venite, possidete regna*, sed, *regnum*. Quia cęleste regnũ est vnicum duntaxat regnum, non diuisum in multa regna, vti regnum mundi, quod in plurima regna, imperia, principatus, respublicas, ducatus, marchionatus, dominia diuisum est. O Dei benignitatem

tatem & humanitatem singularem, qui pro exiguis laboribus, paucis operibus, leuibus donis, quæ ipsi ex Austro huius mundi defe-rimus ac præsentamus, nobis largitur, Regnũ omni gloria refertum, non paruum; sed immensum: imò quod tantò maius est omnibus mundi regnis, quantò maior est Oceanus, vna aquæ gutta; & quantò maiores sunt omnes montes, minutissimo arenæ grano.

III.

Tam magnum & immensum esse Regnum beatorum, vt si diuideretur quilibet beatus maius spatium possideret, quam sit tota terra.

QVam magnum putas, ô Christiane, esse regnum illud, quod Christus bonis, & virtutum bonorumq; operum sectatoribus promittit. Tã magnum est, vt si omnes beati, qui sunt, & erunt, vnà cũ angelis, qui infiniti sunt, diuiderent regnum illud, & quilibet illorum partem aliquam acciperet, multò amplius possideret, quàm sit spatium ab oriente vsq; ad occasum. Quid dico ab oriente vsque ad occasum; Imò singuli plus haberent tota terra. Ne mireris hoc: quia verissimũ est. Audi rationem. Aiunt Philosophi, quod *Ex vno pugillo terræ, fiant decem pugilli aquæ; ex vno aquæ, decem aeris: ex vno aeris decem ignis.* Vt summatim dicam, innuere volunt, Aquam decuplo esse maiorem terra, aerem aqua, ignem aere. Ex hac autem proportione, elementorum ad inuicem resultat illa, quam cęli habent inter se. Itaque secundum hanc proportionẽ Philosophicam, cœlum Lunæ decuplo maius erit elemento ignis, cœlum Mercurij Luna, cœlum Veneris Mercurio, cœlum Solis Venere, cœlum Martis Sole, cœlum Iouis Marte, cœlum Saturni Ioue, Firmamentum cui stellæ inhæ-

inhærent, Saturno, Primū mobile Firmamē-to, Cęlum Chryſtallinum Primo mobili, Ac denique cęlum Empyreum, quod eſt regnū beatorum, decuplo maius erit Chryſtallino. Conijce igitur, Chriſtiane ex hiſce magnitudinibus, quarum vna decuplo maior altera, quàm magnum & amplum eſſe oporteat, cœlum illud Empyreum omnibus cœlis supereminens, cœleſtem videlicet Paradiſum. Non audis id confirmantem Baruch Prophetam his verbis? *O Iſrael quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſsionis eius magnus eſt, & non habet finem, excelſus & immenſus.* Videtis ergo hinc, veriſſimum eſſe, quod, ſi beati diuiderēt regnum illud, quilibet illorum maius ſpatiū adepturus ſit, quàm poſſit eſſe tota terra, & totus noſter ſublunaris mundus. Sed docebo clarius hanc veritatem, argumentis Aſtrologorum.

Baruch.3.

Receptiſſima & veriſſima ſententia omniū Aſtrologorum eſt, quod minima ſtella firmamenti vicies maior ſit tota terra, (nam de maioribus modo non loquor, quarum quælibet centies maior eſt) quāuis oculis noſtris multò minor eſſe videatur, quod fit propter diſtantiam loci, quę inter illam, & nos eſt. Nam ſicut ingens loci diſtantia efficit, vt animaduertere non poſſimus velociſſimum cœlorum motū: Ita quoque eadem diſtantia facit, vt diſcernere non valeamus magnitudinem ſtellarū. At ſi tu, O Chriſtiane, pennis Ventorū, vel ab Angelo quodam transferreris ad cœlum ſtellatum, indeqúe ad terram deſpiceres, eam omnino præ nimia locorum diſtantia, quæ inter cęlum, & nos interçedit viſurus non eſſes.

Quid

Quid dico non videres terram? Imò ne quidē conſpiceres globum terræ & aquæ ſimul cō-iunctum: & ſi illum videres, (quod tamen vix fieri poſſe cenſeo) adhuc minor tibi videretur minima in cęlo ſtella: Imo minor muſca, formica, milij grano.

Iam verò quot ſtellas nocte vides in cœlo, dum ſerenum eſt, ſi oculos attollas, & in omnes mūdi partes circumferas? Nōne infinitas? Et quot ſpatia vacua ſtellis interiecta? Nonne multò plura quam ſtellę ſint, & multò ijs maiora, imo millies & millies maiora? Hinc perpende quàm magnum ſit cœlum ſtellatum, qꝫ tot ſtellas, quarum quælibet maior eſt terra & aqua ſimul, atque tot ſpatia vacua, ſtellis multò maiora continet. Itaque clarè vides, quod ſi beati tot eſſent numero, quot ſunt ſtellæ & ſpatia in cœlo vacua, atque Cœlum ſtellatum inter ſe partirentur, quilibet illorum multò maius ſpatium conſecuturus eſſet tota terra. Verùm noli ſubſiſtere in firmamento, ſed altius tres alios cœlos cōſcende, qui multò maiores ſunt cœlo ſtellato (vti ex ſuperioribus intelligere potuiſti,) quorum ſupremū, id eſt, cœlum Empyreum citra vllam controuerſiā multò longius diſtat à cœlo ſtellato, quam cęlum ſtellatum à nobis, diſſitum ſit.

Exiſtimo me tutò ac ſine errore affirmare poſſe, cęlū illud cui ſtellæ inhęrent, cum cœlo Empyreo collatum non aliter ſe habere, atqꝫ exiguam ſemitam vniuerſæ terræ comparatā. Animaduertite an non oporteat longiſſimè à nobis cœlum Empyreum, quod eſt beatorum domicilium abeſſe, cùm S. Vincentius in ſermonibus ſuis affirmet, lapidem mo- S. Vincent.

iarem

larem si ex hoc cœlo delaberetur, mille & quingentis annis casurum esse, antequam ad terram perueniret. Nec mireris hoc dicere sanctum hunc virum: Quia cùm à nobis cœlũ hoc mille sexcẽtis & nonaginta millionibus, nongentis viginti quinq; millibus & quingẽtis milliaribus (vti supra diximus) distet, necesse est, lapidem hunc, si in mille & quingentis annis ad terram debeat pertingere, indies cõficere tria millia ducenta sexaginta & vnũ milliare: & qualibet hora centum triginta sex milliaria: Neque obijcias mihi, quòd cùm tot milliaria inter nos & cœlum Empyreum intersint, animam à corpore separatam, longo indigere tempore, vt ad cœlũ hoc, quod beatorum sedes est, possit peruenire, quia nõ fertur motu continuo instar rerũ corporearum, quæ ab vno loco in alium mouentur, sed discreto, vt aiunt Theologi: ac proinde liberata à corpore, si cœlesti gloria digna fuerit, ad summum illud cęlum in momento demigrabit. Quemadmodũ cogitatio nostra in instanti excurrit quocunq; vult, & subitò est in Oriente, Occidẽte, Græcia, Hispania, Indijs; Et quemadmodum oculus noster quamprimũ nocte serena illum aperimus, & ad cęlum attollimus, statim videt cœlum stellatum & omnes stellas, imò plura videret, si plura ibi essent. Ita anima nostra soluta corpore, statim si digna sit, in cœlesti regno cõsistet. Simili quid continget corporibus gloriosis, quę in ictu oculi in die Iudicij, simul cum Christo ascendent ad cœlum hoc: qui ista proprietate dotati erunt teste patre Augustino, vt, *Vbi voluerit esse spiritus, ibi sit & corpus*. Expende igitur qui- *S. August.*

cunque

cunque es siue doctus siue ignarus, an non supra modum magnum sit regnum beatorum: quandoquidem stella quælibet, quæ minima esse videtur propter locorum distantiam longè maior est tota terra: & multò longius abest cœlum stellatum à cœlo Empyreo, quàm distet à nobis cœlum stellatum. Itaq; clarè videtis, auditores, quêlibet beatum, si diuideretur cœleste regnum multò plus loci possessurum esse, quàm sit terra & aqua simul. Sed illustrabo ea quæ dixi similitudine, vt ab omnibus intelligatur quanta sit magnitudo regni cœlestis.

Si in medio amplæ & spatiosæ planitiei multorum miliariũ fieret punctum aliquod, & circumduceretur circa illud linea, cuius circumferentia esset vnius miliaris (ne amplius dicam) à puncto ad illam; quot puncta essent in superficie huius circumferentiæ, etiã maiora puncto, quod in medio est? Nonne plurima? Et si circumferentia hæc esset sphærica, id est, tam alta & profunda, quàm lata & longa; & per totam illam circumferentiam puncta fierent, centri puncto maiora, nonne infinita essent? Et si homines infiniti hęc puncta possiderent, diuidendo illa inter se, & cuilibet suum relinquendo, vnusquisq; illorum nonnè multò amplius possideret, quam is qui obtineret punctũ medium? Sed pergamus aliquantò vlterius in hac similitudine. Si aliquis illorum possideret totam circumferentiam sphæricam, in qua essent tot puncta, nonne infinitè maius spatium possideret illo, qui occuparet punctum solius centri? Ita profectò verissimum id est.

Simile.

Iam verò Auditores, tota terra collata magnitudini cœli (secundum demonstrationes Astrologorũ) est instar pũcti indiuisibilis in medio magnæ alicuius circũferentię. Vnde Boëtius libro secundo de cõsolatione Philosophiæ ait. *Omnem terræ ambitum (sicuti Astrologicis demonstrationibus accepisti) ad cœli spatium puncti constat obtinere rationem: id est, vt si ad cœlestis globi magnitudinem conferatur, nihil spatij prorsus habere iudicetur*: Imò dico non solum totam terram, sed & totum simul elementum aquæ respectu cęli multò minus esse paruo illo puncto, quod in medio superficiei, magnæ illius circũmferentiæ sphericę in prædicta planitie descriptę; constitutum fuit.

Boet. lib. de Consol.

Ac proinde qui totum hunc mundũ possideret, instar illius esset, qui punctũ in medio planitiei possideret: & qui toto cœlorum regno potiretur, instar illius, qui amplissimam illam circumferentiam possideret. Vnde hac etiam cernitis. quòd si Regnum cœlorum in partes diuideretur, & vnicuique beatorum sua pars assignaretur, quisque tãtum possideret, quãtum vnus ex illis, qui puncta circumferentię possiderent. Et cum puncta circumferẽtiæ maiora sint illo, quod in medio centri est, inde fieret quòd quilibet beatorũ plus possideret, quàm totam terram & aquam simul. Credo quòd me omnes intellexeritis, quia non possunt hæc faciliùs enuntiari. Itaq; si tu Christiane, esses Dominus & Rex totius mundi, Africæ, Asiæ, Europæ, & noui orbis, quàm pauper esses respectu minimi beati, etiamsi regnum illud supernum angeli & beati inter se diuiderent? At nõ diuiditur regnum

illud,

illud, vnicum est, vnitum, & indiuisum. *Possidete Regnum*, non, *Regna*. Quilibet totum illud possidet, quisque dominus & Rex totius illius regni est. Vides igitur quàm diues sit, quamq; augustum & amplum habeat dominium homo iustus in paradiso. O quàm verũ est, quòd, *det ei Dominus multo plura, quàm iustus attulit ad Deum*. Sed pergamus.

2. Paral. 9.

Quis potest dominari toti terræ, si ex tribus illius partibus duæ aquis opertæ sunt? Si pars libera plurimas habet inuias solitudines, syluas impenetrabiles, montes inaccessibiles, qui non habitantur ab hominibus, sed solũ à feris voracibus & venenosis serpẽtibus? Pars verò illa, quę inhabitatur, in quot regna diuisa est? Secũdum antiquã descriptionẽ Ptolomęi, sunt in Europa triginta quatuor, in Asia octuaginta octo, in Africa duodecim regna: vt interim sileã de alijs Imperijs, Dominijs, Principatibus, Ducatibus, Marchionatibus, Comitatibus, qui infiniti numero sunt: præter regna, & imperia mundi noui. Quid haberes igitur ô Christiane, etiãsi esses Dominus vnius istorũ regnorũ huius mũdi? Nihil respectu cœli: Nam illud nulla habet maria, nullos lacus, nullas impenetrabiles syluas, nullos inaccessibiles montes, nullas auias & inhabitabiles solitudines: Regnũ est penitus amœnum, habitabile, abundans, vnitũ & indiuisum. O quàm verum est igitur quòd, *det Dominus iusto multò plura, quàm attulit ad eum*.

2. Paralip. 9

O stultam hominum auaritiam, ô cœcitatem deplorandam, ô insaniam detestandam, qui nostro hoc sæculo, toto pectore inhiant rebus abiectis, caducis, momẽtaneis, nec cu-

Magna est hominum stultitia qui

propter terrena regnũ cœleste relinquunt.

rant quicquam pulchritudinem paradiſi, diuitias cęleſtes, regnũ illud immenſum. Propter vilia mundi tuguria, quæ tãdem concidũt, renunciant palatijs cœli interitui non obnoxijs: Propter voluptates, quæ prætereunt, perdunt æterna gaudia quę fine carent. Heu quot ſunt, qui non propter regna, nec propter imperia, neque propter theſauros huius mundi, ſed propter minimam rem, fœliciſſimum hoc regnum repudiant? O ſtultitiam ſummam, vt agrum, ſeu domum acquirant, vel paucos denarios accumulent, regnum ampliſſimum & bonis omnibus affluentiſſimum relinquunt? Quid dico? Quàm multi meretricis vel cõcubinæ cauſa priuant ſe æterna beatitudine? Satis ſuperq; id omnibus notũ eſt. O cœcos: non vident miſeri illi, quòd interim dum ſummo cum affectũ bona mundi huius ſectantur, cœleſtium bonorum iacturam faciant: & dum voluptates terrenas quærunt, cœleſtes amittant? Et quod amplius eſt dum ea quæ mundi ſunt cogitant acquirere, perdunt cœleſtia, & æternas inferni cruciatus lucri faciunt: O dementiam ingentem.

Dicite fratres, ſi homini alicui duo proponerentur: Ab vna parte gemma quædam pretioſa & aurum optimum. Ex altera lutum & plumbum, diceretuŕq; ei à domino illorum; Accipe vtrum vis ex his duobus? Nõnè gemmam & aurum caperet, relicto luto & plumbo? Ita certè nĩ ſtultus haberi vellet. Vnde D. Chryſoſtomus in homilijs in Ioannem ait. *Plumbo tibi & auro propoſito quid potius raperes, nonnè aurum?* O Chriſtiane, Dominus tibi ex vna parte propoſuit gemmam pretioſam, infi-

Chryſoſt. hom. ſuper Ioan.

niti valoris, videlicet gloriam regni cœlestis. Non audis? *Simile est regnum cœlorum homini ne-* Matth. 13.
gotiatori quærenti bonas margaritas: inuenta autẽ vna pretiosa margarita, dedit omnia sua & emit eam. quod regnum aurum etiam est, quinimo thesaurus quidam. *Simile est regnum cœlorum* Ibidem.
thesauro abscondito in agro: Ex altera parte lutum & plumbum, per quæ rectè intelliguntur res terrenæ & mundanæ: iuxta illud. *Væ ei qui* Hab. 2.
congregat non sua, & aggrauat contra se densum Ezech. 27.
lutum. Et plumbo repleuerunt nundinas. Ab eo- Eccl. 15.
dem domino tibi dicitur. *Ad quodcunq; volue-* E
ris porrige manus. Si sano iudicio præditus esses nec plus quàm stultus, nonnè amplectereris gemmam & thesaurum, sperneres autem plumbum & lutum? eligeres illa, contemneres hæc? Sed video te ita omni ratione spoliatum esse, atque adeo stultum & fatuum, vt relinquas illa, amplectaris hæc, contemnas gemmam & thesauros, magni facias mundũ, nihili pendas cęlum. O summam tuam stultitiam, quòd pluris æstimes lutum & plumbũ, quàm gemmam & aurum. Et certè conueniẽter gloria & regnum cœleste comparatur gemmæ & auro, contra verò res terrenę & mundanæ plumbo & luto. Nam quemadmodum gemma & aurum semper durat & indies magis & magis expolitur: Lutum verò & plumbum sole & igne cõsumuntur atque intereunt. Ita gloria & regnum cœleste semper manet, nec vnquã interit: & quò animæ diutius ibi sunt, eò fiunt perfectiores: at res terrenæ & mundanæ consumuntur & finẽ habent.
Idcirco de his scriptum est. *Suis spatijs transe-* Eccles. 3.
unt vniuersa sub cœlo. Et de illo. *Regnum tuum* Psal. 144.

regnum omnium sæculorum, id est, æternum, ac sempiternum. Atque S. Ecclesia canit. *Cuius regni non erit finis.*

IV.

Regnum cœlorum nunquam habet finẽ, at mundi regnum habet.

O Auditores, regna & imperia mundi sempiterna, & fine termino non sunt, quemadmodum cęlestia, sed prætereunt, finiũtur, & nunquam in eodem statu permanẽt. Quod vt cõspicuũ & euidens fiat, considerare paulisper quomodo Imperiũ à primo sui exordio ad hæc vsq; tempora paulatim defecerit. Incepit primum in Siria Monarchia sub Nabuchodonosore & sub Balthasare, paucis post annis defecit, transiuitq; in Persiã & Mediam ad Cyrum, & Darium: quo imperio etiã deficiẽte Græciam occupauit, sub Alexãdro Magno, quo paulò post defuncto appulit in Italiã temporibus Iulij Cæsaris, & Octauiani Augusti: cui furiæ Gothorum, & arma Barbarorum deniq; finem imposuerunt. Eius reliquiæ postea plurib⁹ annis peragrarunt totũ fermè Oriẽtem; deinde peruenerunt in Gallias tẽpore Caroli Magni, & modò vix paruę quædam illius reliquiæ in Germania supersunt. Cum igitur hæ dominationes atq; imperia mundi interierint, dicite quęso vbi sunt modò illorum rectores & familię? Quis amplius ex semine Nabuchodonosoris in Chaldęa regnat? Quis in Persia ex stirpe Cyri? Quis in Media ex progenie Darij? Quis in Græcia ex familia Alexandri? Quis ex prosapia Iulij cæsaris, aut Octauiani, Romæ imperat? Finita sunt regna, & Imperia: Subiati Rectores eorumq; familiæ, quorum ne quidem scintilla amplius in mundo apparet. Sed quid dico de

Imperio? Intuemini regna Italię, olim administrata à tot nationibus barbaris, Hunnis, VVãdalis, Gothis, Longobardis, Gallis, Arragonijs. Vbi hę nationes in Italia, modo regnant? Iã dudum finem habuerunt. Vbi sunt tot nobiles & illustres familiæ, quę per totam Italiam dispersæ dominabantur vel integris Prouincijs, vel Ciuitatibus particularibus? Vbi in mundo tot Respublicæ celebres? Troiana? Numantina? Atheniensis? Carthaginensis? Romana? Florentina? Pisana? Perierunt. Euanuerunt. Causa hæc est. Quia dominia mundi æterna non sunt, sed obnoxia tempori & mutationibus atque vicissitudinibus illius. Et Rectores eorum multò minus æterni sunt, quia morti subiecti. At Regnum illud supernum æternum est, & finem non habet. *Et Regni eius non erit finis.* Quia Rex æternus est & subditi æterni sunt: Quia Rex nunquam moritur, nec mori potest, & habitatores regni huius nunquam moriẽtur nec mori poterunt. Quia æternus Rex, Aeterni subditi, Regnum quoque æternum. Quia nunquam deficit Rex, Nunquam subditi, nunquam quoque deficiet Regnum. *Et regni eius non erit finis.* Quia Rex semper viuit, viuunt & subditi. *Ego sum Deus viuorum*, inquit ille, *Viuorum*, Et non, *Mortuorum.* Luc. 1. Luc. 33. Matth. 12. Luc. 20.

Viuit in superno regno Deus Rex, viuit Abrahã, viuit Isaac, viuit Iacob, viuit Christus, viuit Maria, viuit Petrus, Paul⁹, Andreas, Philippus, Mattheus, Magdalena, Martha, Lucia, & infiniti alij. Mortui quidem fuerunt semel in terra, sed nũc in cœlo semper viuunt. *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* Nota, *Vi-* Psal. 26.

Chryſ ſerm. 4. de omn. ſanct. ta, *Viuentium* & non *morientium*. Quia hæc terra non eſt, vti noſtra terra, morientium, ſed viuentium. Vnde Chryſoſtomus. *Qualis cœleſtium regnorum voluptas, ſine timore moriendi, & cum æternitate viuendi.*

O Chriſtiane quæ eſt illa tua ſtultitia, quòd magni facias hunc mundum, in quo ſemper morimur: minoris autē cęlum in quo ſemper viuitur. Fac quicquid potes, poſſide omnia quæ cupis, accumula quæcumq; deſideras, attamen non poteris in hac vita permanere. Heb. 13. *Nō enim habemus*, vti S. Paulus ait, *hic ciuitatem permanentem, ſed futuram inquirimus*, Tanquam itinerantes, peregrini, & aduenæ conſtituti ſumus in hoc mundo, & in ædibus noſtris. S. Auguſt. Audi Auguſtinum in ſermonibus. *Patria noſtra ſurſum eſt, & ibi hoſpites non erimus. Nam vnuſquiſq; hic, & in domo ſua hoſpes eſt.* Sed fortè non credis hoc? O ſtulte non vides quot è cognatione tua, qui te præceſſerunt, aui, abaui, attaui, commilitones, amici, & cognati, tanquam aduenæ & peregrini tranſiuerint ex hoc mundo, in quo ſi benè egerunt, illud in cœlo repererunt, vbi perpetuò viuunt, regnoq; viuentium perfruuntur: ſin malè, deſcenderunt ad inferos, atq; æterna gehennæ incendia experiuntur. O ter quaterque beatum, qui præſentem hanc vitam tranſigit in operibus bonis, in exercitijs ſanctis, quia in ſuperno regno immortaliter viuet, & nunquam morietur. *Et regni eius non erit finis.* O infœlicem, qui eam trāſigit in operibus improbis & ſceleratis, quia in inferno ſine fine acerbiſſimis tormentis cruciabitur. Noſter hic mundus eſt quidam tranſitus Auditores, non poſſumus, hic manere, diſ-

re, discedendum nobis est hinc, relinquendũ hoc sæculum, & alio migrandũ, corpora sub terram condẽda sunt, Animæ in aliam regionem, à nobis nunquam visam transferẽdæ, & tamen hæc non cogitamus. O nos stultos.

O quàm iusto iure magnus ille Xerxes, potentissimus Persarũ Rex lachrymas fudit, cũ cõtra Græcos infinitam hominum armatorũ multitudinẽ educeret. Is enim cum die quadam vti S. Hieronymus ad Helidorum, scribens testatur, exercitum innumerabilem in amplam planitiem deductum, & ordine dispositum è sublimi loco prospexisset, fleuit, & lachrymás ait: O miseram mortalium naturã, ploratu dignam: ex omnibus equitibus & peditibus, quos modò gladijs, armis, lanceis, pharetris & arcubus instructos video, post centum annos nemo amplius supererit: omnes sepulti atq; in cinerẽ & puluerem redacti erunt. Heu cur adhuc viuens non defleo cum hoc Rege miseram nostram vitam?

S. Hieronymus,

Ex loco hoc eminenti tot Religiosos, tot nobiles, tam infinitam plebem, quæ vndique me circundat: conspiciens dicere possum lachrymantibus oculis. O miseram conditionẽ nostrã, post centum annos nemo vestrum supererit. Quid dico post centũ? imò post octoginta annos nullus vestrum reperietur amplius inter viuos: post quinquaginta annos maxima pars vestrum erit sepulta; post triginta, viginti, decem annos, quàm multi vestrum erunt redacti in puluerem? Et quot hodiè me hæc dicentem audiunt, qui vno abhinc anno conciones amplius non audient? in humanis non erunt? vltra in mundo non viuent? non con-

contemplabuntur hunc Solem? non fruētur hac luce? Et quare? Quia in hoc mundo finis est; siquidē peregrini sumus, & hic in transitu versamur vel ad cęlum, vel ad inferos, vt ibi perpetuò maneamus. *Ex hac vita inquit Cicero* (Cicero.) *discedimus nō tanquam ex domo, sed tanquā ex hospitio* At in superno regno, fideles, patria nostra est, vbi nunquam moritur, sed semper viuitur: Ideo regnum illud fine caret. *Et regni eius non erit finis.*

(Luc. 33.) Itaq; ô Christiani, quandoquidem hic morimur, & in trāsitu ad regnum beatorum cōstituti sumus, cur nō relinquitis mundum, & supernum regnum inquiritis? cur illum non fugitis, & ad regnum hoc ambulatis? cur illius iacturam nō facitis, & hoc totis viribus lucrifacere studetis. Eia dilectissimi mundum affectu vt minimum relinquite, & regnū cœleste mundo corde appetite; illum fugite vitia deserendo: hoc virtutum studijs acquirite, illum perdite voluptatibus renunciando, hoc bonis operibus & obseruantia diuinorū mādatorum consequi satagite. Nam tunc veram (Aug.) requiem vti S. Pater Augustinus ait, *quæ post hāc vitā Christianis promittitur, suaue, & iucundū gustabis, si eius, qui tibi eam promisit mandata dilexeris.* Id fecerunt omnes qui cœlos conscenderunt; Ita & vobis faciendum est, si eò peruenire vultis. Facite obsecro, vt omnis vestra (Simile. *De cœlo & rebus cœlestibus nobis colloquendū esse.*) cogitatio sit de æterno & immēso hoc regno; huius causa bona operemini, virtutū studijs insistite, terrena omnia deserite. O Christiane, si rex Catholicus (qui summa cum laude Hispaniarum regnum hodie administrat) spē certam tibi faceret, se cōstituturum te dominum

num & Regē vnius suorum regnorum , hac tamē cōditione, vt prius tenereris ad obseruantiam aliquorum pręceptorum iustorum, & facilium; dic quæso paratusnè esses obseruare illa ? num vlli labori & sudori parceres, quò hoc regno potireris? Non certè. Sed totis viribus alacri animo imperata omnia perficeres, hac sola spe fretus, fore vt aliquando regnū promissum obtineas, licet incertus sis, an in illum vsq; diem quo regni huius possessionē adeas, victurus sis. Integris diebus noctibusq; in hac cogitatione versareris, de illa apud vxorem, familiam, amicos loquereris, quin & pueris vix verba formare scientibus, hos sermones cum lacte instillares: totus lætus familiæ tuæ diceres: Gaudete quia paulo post Domini & possessores vnius regni erimus. O Christiani, cuilibet nostrum magno, paruo, diuiti & pauperi regnum quoddā nō Italiæ, vel Hispaniæ, sed immensum, cœleste inquā, quod ex omni parte beatum , promissum est. *Qui fecerit voluntatem Patris mei intrabit in Regnum cœlorum*. Huius sine vlla ambiguitate possessionem adibimus, si iucunda & facilia præcepta summi Regis obseruauerimus, de quibus ipse ait. *Mandata mea grauia nō sunt*. O Christiane, si pro obtinendo mundi regno tibi promisso nullis parceres laboribus, quātò magis pro cęlesti regno quod immēsum, æternum & sempiternum est, nullis tibi laboribus parcendum esset? Et nihilominus video te nullum pro huius regni adeptione laborē aut molestiam velle subire: quia ne minimam quidem partem facultatum tuarum in pauperes vis erogare, quo illud cōsequa-

Matth. 7.

1. Ioan. 5.

quaris: sine quo tamẽ nunquam illius possessionem adibis. O quæ est ista tua dementia & stultitia, quòd nũquam de hoc regno cogitas, nunquam loqueris, nunquam apud vxorẽ, liberos, familiam de illo disseris: rarissimè cũ amicis extra domum de illo sermonẽ habes, nec vel minimam diei particulam in hoc fœlix colloquium impendis, sed de mundo dũtaxat cõfabularis, & terrena negotia tractas. O summam Vecordiam & stultitiam omniũ hoc tẽpore Christianorum, qui vel nunquã, aut vix vnquam audiũtur colloqui de hoc regno nobis omnibus promisso, ac si promissio illius Domini, qui non mentitur, vana esset.

Isid. Clar. *Nunc regnum sempiternum, immensum, ex omni parte beatum,* (inquit Isidorus Clarus) *omni generi hominum propositum est, & de illo summũ inter nos silentium est. Quotus enim quisq; est, qui vel minimam diei particulam in hoc impẽdat? de hoc commemoret? hoc identidem vxori, liberis, hoc toti familiæ inculcet?* Bone Deus, si propter mundi regnum nobis promissum, crebra inter nos audirentur colloquia, cur nõ magis propter cęlestem? Et tamen summum de illo silentium inter nos est. Perpendamus hoc obsecro diligẽter, & faciamus vt colloquia nostra de hoc regno potissimum instituantur. O fratres, quã vellem illam diligẽtiam, quæ in mundi rebus à nobis adhibetur, è quo breui discedemus: ad cœlestia, quibus perpetuò fruituri sumus adhiberi? Si enim in hoc mundo, vbi breuissimo tempore cõmorabimur, ædificia sumptuosa erigimus, cur non multò magis in cœlo, quod æterno tempore incolemus, permãsura nobis ædificia construimus?

Dici-

Dicite quęso quo in loco malletis erigi vobis pulchrum palatium, in Castello paruo, vili, & paupere, an verò in regia Ciuitate, ampla, diuite, & nobili? Haud dubiũ in Vrbe regia? Iã verò dico in arbitrio vestro esse, in vrbe regia, vel castello vili, palatium vobis erigere. Vrbs regia, Paradisus est, ciuitas nobilissima, ditissima, Dei manibus fabricata: Castellum vile, mundus est, qui cœlo comparatus, vilissimus est: In vrbe regia potestis exstruere magnifica ædificia minoribus multò sumptibus & laboribus, quàm in mũdo: Manus pauperum summa arte & sapientia norunt ædificare optima domicilia, multò illis meliora, quæ homines in hoc mũdo summa cum stultitia construunt.

Fabricandũ nobis esse domiciliũ in cœlo.

Simile.

O fatuitatem summam & ploratu dignam. Videre in Christianismo homines adeò sibi placere in erigẽdis terrenis ædificijs, quæ exiguo admodum tẽpore inhabitaturi sunt: ad ædificia autem in cęlo construenda quæ semper incolent, nullam velle curam adhibere. Dicite, fratres, si in Indiam proficisceremini, cum proposito lustrandi dũtaxat regiones illas & citò reuertendi, si quis vobis persuadere conaretur, vt ibidem domicilium cõstrueretis, nonne illum stultum censeretis? nõne iudicium maius in illo requireretis, illumque iustè increparetis quòd ad inutiles hasce expensas, vos adigere vellet? Et si vos illius cõsilium sequeremini, nõne essetis multò stultiores? O Christiani, quomodo sumus in hoc mundo, nonne vt aduenæ & peregrini? *Vtere*, inquit S. Aug. *mundo, & non te capiat mũdus, quo intrasti, iter agis, exiturus venisti. iter agis, hospitium*

S. August. tract. 40. in Ioannem.

tium

tium est hæc vita. Et tamen video multos in hac India, è qua mox egressuri sumus, delectari in fabricis domorum, & palatiorum sumptuosissimorũ. At paucos video domum in cœlesti patria, in qua semper mansuri sumus, bonis & pijs operibus, atq; sanctis virtutibus sibi fabricare. Quod cum ita sit quid aliud affirmare possum, quàm nos ratione carere? ô fideles si tanto cum labore & dispendio erigim⁹ nobis fabricas domorũ in terris, in qua plurimę sunt altercationes, de finibus, terminis & muris: vbi ædificia multis periculis sũt obnoxia, & tempore consumantur, vbi post breue tempus etiã inuiti illa deseremus. Cur non magis enitimur, non magis solliciti & diligentes sumus, ad construendum ædificiũ in superno regno, vbi lux est ineffabilis, obscuritatis nescia, vbi nullæ sunt contentiones de terminis, vbi habitationes interitui non sunt obnoxiæ, sed semper durant: vbi eas nunquã amittemus, sed earum possessione in omnem æternitatem securè gaudebimus: vbi quilibet siue diues, siue pauper minimis cum sumptibus habitaculum sibi ædificare potest, etiam duobus obolis, quemadmodum fecit Vidua in Euangelio? Quid dico? imo cyatho aquæ
Marc. 9. frigidæ. *Qui dederit Cyathum aquæ frigidæ in nomine meo, non perdet mercedem suam.* Vultis modo rationem vos doceã cur flocci faciamus paradisum, & regnum cœleste: magni verò ęstimemus mundum, vnde fit vt de hoc semper, de illo vix vnquam cogitemus.

V.

EX eo id maximè ꝓuenit, quia ignoramus excellentiam, gloriam, & magnificentiam

illius

illius Regni, aut certè illam agnoſcere nō curamus, & rerum terrenarum occupationibus nimis immerſi ſumus. Noſtiſne cui rectè aſsimilemur, Gallo iſti Gallinaceo de quo Eſopus ait in fabulis (placet enim fabellam hanc lepidam & myſterijs grauidam, ignorātiæ noſtræ patefaciēdæ cauſa referre) quod cum in fimo & ſtercoribus pedibus ſcalperet, inueniretq́; gemmam pretioſam, lucidam & pulchrā, ait ad eam. O gemma quantoperè luces, quàm magnę es pulchritudinis & venuſtatis? Et quo modo cum ſis adeo pretioſa, in hac immunditia reperiris? Scio quod ſi alius quiſpiam, qui te tuumq́ue valorem cognoſceret, inueniſſet, fœlicem ſe reputaret. At ego qui te non cognoſco, quid de te faciam? Mallem me granum aliquod frumenti reperiſſe.

O fideles, ecce pretioſiſsimam & pulcherrimam gemmam Regnum cœleſte, quod interim dum in mundo verſamur quærimus. *Simile eſt Regnum Cœlorū homini negotiatori, quærenti bonas margaritas, inuenta autem vna prætioſa margarita, dedit omnia ſua, & comparauit eam.* Matth.13. Illi qui cognoſcunt excellentiam & valorem huius regni, vt comparent illud, expendunt omnia, renunciant mundo, & omnibus quæ poſsident, abnegant propriam voluntatem, corpus ſuum macerant diſciplinis, ieiunijs, abſtinentijs, mortificationibus, & omnigenis laboribus: quemadmodum fecerunt omnes ſancti: ſed nos iudicio priuati, qui inſtar galli gallinacei non cognoſcimus, vel ſaltem cognoſcere nō volumus fœliciſſimi huius Regni pretium; per hūc mundum immūdum diſcurrimus quærentes parua grana, id eſt

est voluptates, honores, diuitias, & alias vanitates huius sæculi, & propter hæc nihili pendimus pretiosam hanc gemmam, & pluris æstimamus res transitorias quàm illã. Certi tamẽ simus, fratres, quod qui pascuntur granis mundi huius, id est, voluptatibus, ambitionibus & appetitionibus rerum terrenarum, nunquã cognoscere poterunt, quãti valoris sit hęc gẽma, nec vnquã superna gloria potientur: eò quòd nemo possit hîc, & ibi gaudere. Qui gloriam cœli expetit, necessè est vt perdat & relinquat minimum, affectu mundum cum omnibus suis delectationibus. Audite S. Augustinum qui præclarum hac de re fert testimonium. *Nemo potest*, inquit, *in vtroq; sæculo* *S. August.* *consolari, nec potest hic & in futuro gaudere, sed vnum necesse est: vt perdat, qui alterum voluerit possidere.*

Illud verissimum est, si non relinquamus delitias & voluptates mundi, nos nunquam gustaturos esse delicias & voluptates cœlestes, quoniam illæ Deo nos spoliant. Nam sicut Medicus infirmum visitans, si inueniat stomachum illius repletum, quia nimium in prandio se cibis onerauit, nullam ipsi cœnam vespere dari præscribit: Ita quoque Deus Medicus Animarum nostrarum nobiscum faciet, quando in hora mortis nos visitabit. Nã si inueneritnos nimium in præsenti vita comedisse, & bonis temporalibus onustos esse, ac stomachum volũtatis nostræ terrenis voluptatibus refersisse, priuabit nos in vespera vitę nostrę, id est in morte cœna cœlestis gloriæ: Notum est enim Christum gloriã suam sępe- *Luc.14.* numerò cœnam appellare. *Homo qiudam fecit*

cœnam

cœnam magnam & vocauit multos. Et videmus illos qui adeo immergebãtur & occupabãtur in rebus mundi, non fuisse dignos illa potiri, sed ne gustare quidem. *Nemo virorum illorum gustabit cœnam meam.* Ibid.24. Verissimum igitur est nos nõ posse hîc & ibi gaudere. Eheu qui hîc in gaudijs & delicijs ætatẽ transigit, ibi planget & dolebit. Non auditis? *Extrema gaudia luctus occupat.* Prouerb.14. Et nõ percipitis Christum apud S. Lucam clarius atque distinctius dicentem? *Væ vobis qui habetis consolationem vestram: væ vobis qui saturati estis, quia esurietis: Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* Luc.6. Nunquam Auditores, lego locum hunc, quin doleam & defleam stultitiã hominum, qui se totos tradunt, & immergunt voluptatibus huius mũdi. O fratres retineamus diligenter hæc verba Saluatoris, quæ certo certius verificabuntur de nobis, si voluptatibus & gaudijs huius sæculi nos impendere voluerimus. Vultis Exẽplum hac de re Euangelicum? Ecce apud Lucam habetis diuitem Epulonem, qui dum viueret epulabatur splendidè, sed constitutus in inferno, dum petit refrigerium, audiuit sibi dici: *Fili recordare qui recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala, tu verò cruciaris ille autem consolatur.* Luc.16. Ecce quomodo diues, quia repletus erat rebus terrenis, fuit priuatus cœna cœlesti, & doloribus atque tormentis grauatus? *Tu vero cruciaris.* Ecce quomodo Lazarus, quia terrenis voluptatibus se nõ repleuerat, sed in egestate & infirmitatibus vitam trãsegerat, cœna cœlesti, summa cum delectatione fruitus fuit. *Ille autem consolatur.* Verissimum ergo est eum qui hîc gaudet, ibi crucia-

ri; qui hic ridet, ibi plorare: qui hic triũphat, ibi pati: hic consolatur, ibi affligi: & contra eum qui hic plorat ibi ridere; hic cruciatur ibi gaudere; hic patitur, ibi triumphare: hic tribulatur ibi consolari; hic fœlix est ibi infœlicem esse. Necesse est igitur vt firmiter statuamus relinquere mundum, illiusqúe delitias, & voluptates, si volumus potiri & cęlo & rebus cœlestibus: Audite Chrysostomum in homilia quinquagesima tertia in Ioannem. *Vis rapere beatitudinem disperge quæ habes, quousqúe seruas illa, rapere non potes.* Et Christũ apud S. Lucam. *Si quis*, inquit, *ex vobis renunciauerit omnibus, quæ possidet, nõ potest meus esse discipulus.* Atq; non digrediar à proposito. Certò vobis persuasum habetote quòd Regina Saba nunquam magnificẽtiam Salomonis, nec mensæ illius apparatum vidisset, nec ea quæ tantopere scire cupiebat cognouisset, nisi reliquisset Regnum Austri calidum, & in Orientem perrexisset. Ita nullus potest pertingere ad contẽplandam gloriam Dei, nec frui bonis cœlestibus, neque omnia in summo illo beatorum obiecto cernere, nisi renunciet mundo & omnibus illius rebus, ingrediaturq; viam virtutum bonorum operum quæ ducit ad Orientem cœlestem. O fœlices igitur & beatos, qui derelinquunt hoc sæculum, & perambulant hanc viam, quia æternis illis bonis perenniter fruentur. Sed audio mihi dici à quibusdam nobilibus, diuitibus, potentibus, qui hic in magna rerum abundantia, viuunt. Si verum est quod asseris, quid nobis euenturum est? nunquid desperabimus? an verò conqueremur de fortuna, aut de Deo, quòd

D. Chrys. hom. 53. super Ioan.

Luc. 14.

Simile.

nos voluerit nasci nobiles? diuitijs & potētia claros reddiderit? omnium rerum temporalium affluentiam suppeditauerit? si ita se res habet necessè est omnes homines, modò ad cœlum peruenire velint, fieri Monachos vel Eremitas, desertisque ciuitatibus, claustra & deserta replere. Iā verò quàm multi è nobis Reges & Principes prô Deū qui in maximis delicijs & voluptatibus, ætatem traducunt. Nunquid Deus illos ad tantam dignitatem prouehit, vt illis postea Infernum post hanc vitam retribuat? Subsistite paulisper ô nobiles, ô diuites, ô potentes, & nolite desperare: quamuis enim conclusio hæc vera, firma & stabilis sit, nō posse quem in hac & futura vita gaudere, mundi & cœlestis regni voluptates simul possidere: sed necessarium esse priuari his, vt illas obtineamus: hunc mundum deserere, vt alio potiamur: res terrenas contemnere, vt cœlestia cōsequamur. Nunquam aliter dicam aut sentiam. Cōclusio hęc Christi est. Veritas Catholica est. Attamen his non obstantibus & vobis aditus patet in cœlum. Aduerte, nam Duce Regina Saba soluam hāc difficultatem & ea quæ vobis adeò disparia videntur, conciliabo.

Egressa est hæc Regina de regno suo, auro, gemmis, aromatibus odoriferis onusta: & tamen regnum suum deserens, non desijt esse Regina, nec ablata fuit illi potestas disponendi pro libito de Regno suo. Quid hoc aliud innuit nisi aliquē esse posse Papā, Imperatorē, Regem, Principem, Ducem, Cardinalem, Officialem, nobilem, diuitem & potētem, & *Matth. 10.* nihilominus ingredi Paradisum? Quia Deus

non est acceptator personarũ. Omnibus cõmunicare regnum suum paratus est, tam diuitibus, quàm pauperibus: tam nobilibus quàm ignobilibus: tã dominis quàm seruis: tam principibus quàm subditis: hac tamẽ cõditione, vt omnes vnà cum Regina Saba Austrum, id est, hunc mũdum relinquant, vt minimũ affectu, etiamsi non effectu. Hoc dicere volo, ô nobiles, ô diuites, ô potentes, etiamsi in mundo regnetis, imperetis, & omnibus voluptatibus fruamini: etiãsi domus vestræ resplendeant ornamentis Regijs, & corpora vestra gemmis & monilibus, iuxta gradum & dignitatem vestram exornetis, attamen (si saluari, & Regnum Cœleste ingredi vultis) necessarium esse vt à rebus terrenis animo lõgè sitis, affectu illis non inhæreatis, & finem vestrum in illis non constituatis, neque ita viuatis, quasi post hanc vitam alia nulla superesset.
1. Cor. 7. *Qui vtuntur hoc mundo sint tanquam non vtentes*,
Psal. 61. inquit S. Paulus. *Diuitiæ si affluant nolite cor apponere* ait Dauid. Non dicit. *Diuitiæ si affluant, dispergite:* sed *nolite cor apponere*. Denique vt summatim dicam, vtimini opibus vestris, sed non abutimini, cauete ne propter illas Deum offendatis, præcepta illius violetis, auari efficiamini, pauperum non recordemini, egentibus non subueniatis: cauete ne earundem opum causa, plus diligatis mundum quàm Deum, terrena quàm cœlestia, bona caduca quàm æterna. Istud est quidam contemptus mundi, & bonorum temporalium. Hic sufficit ad capescendam fœlicitatem cœlestem. Videtis ergo nobiles, diuites, potentes, vobis etiam paratum esse hoc regnum, sed animus

est vo-

est vobis ostendere, quanta cum difficultate coniunctum sit, mundi bona possidere & affectum non apponere, ijsqúe ad Dei offensam abuti.

VI.

DVbium non est huius sæculi bona nos vehementer in semitis cœlestibus præpedire & melius esse Christiano carere illis quam ea possidere. Nam qui illis caret expeditiùs & securiùs tendit ad cœlum, & alacrior est ad debellandum Diabolum viam insidentem & iter impedire conantem.

Melius esse non possidere terrena mundi bona quàm possidere.

Etenim quemadmodum quãdo duo inter se luctãtur, vnus nudus alter vestitus: ille qui vestitus est facilius superatur, quia aduersarius habet quo apprehendat illum, & in terram deijciat. At si quis qui vestitus est, se exuat & nudus cum nudo luctetur, quia inimicus non inuenit, quo illum teneat atque prosternat, si fortior est, multò facilius vincet. Ita nobis dũ in mundo sumus continuò luctandum est, cũ dæmonibus inferni, qui nudi sũt, eò quòd nihil proprij possideant, & aliud nihil maiore cura agant, quàm vt nos in via cœlesti præpediant. Quare si inueniant nos benè vestitos, ac bonis terrenis atque mundanis florentes & exornatos, habent, vnde nos teneant, & facilè superent. Faciunt enim vt affectu rebus mũdi huius nimium inhæreamus, & propter illas innumeris peccatis nos constringendos demus. At si à rebus terrenis solutos & liberos nos reperiant, quia non habent vnde nos teneant, possumus facilius vincere, quàm vinci. Audite S. Gregorium apertissimis verbis

in homilijs suis hæc nobis prædicentem: cum ait: *Qui ad fidei agonem venimus, luctamen contra malignos spiritus sumimus. Nihil autem maligni spiritus in hoc mundo proprium possident: nudi ergò cum nudis luctari debemus. Nam si vestitus quisque cum nudo luctatur, citius ad terram deijcitur, quia habet vndè teneatur. Quid enim sunt terrena omnia nisi quædam hominis indumenta? Qui ergo contra diabolum ad certamen properat, vestimenta abijciat ne succumbat.* Quid videtur vobis, Auditores, de huius Sancti viri verbis? Rectè igitur dico, melius esse Christiano, vias cœlestes ambulanti rebus terrenis carere, quàm illas possidere. Hoc optimè nouerunt Paulus primus Eremita, Antonius, Macarius, Hilarion, Bernardus, Basilius, Benedictus, Franciscus, Dominicus, & innumeri alij Sancti, qui suas facultates terrenas reliquerunt, mundum deseruerunt, deserta & claustra ab hominum conuersationibus & commercijs semota petierunt, vt hac ratione nudi & orbati bonis terrenis, affectibusq; mundanis, Dęmoni fortiùs resisterent, victoresq́ue de illo in cœlis triumphum agerent. Idem optimè intellexerũt multi Imperatores, Imperatrices, Reges, Reginæ, filij, & filię Imperatorũ, Regũ, Ducũ & Baronũ, qui relictis bonis terrenis, dignitatibus, mundo, claustra & monasteria ingressi Religiosum statum amplexi fuere. Discurrite mecum & videte quam innumeri sint.

S. Gregor.

Multi Reges & imperatores & principes

Athanasius, Isaacus, Michael, Theodosius Imperatores Constantinopolitani, vt securiùs ad hoc regnum cœleste contenderent, deseruerũt imperium, & habitum Monasticum assum-

assumpserunt. Idem fecit Ioannes Brena imperator itidem Constantinopolitanus, qui imperio abdicato, ingressus est ordinem Fräciscanorum, vt esset expeditior ad superandos dæmones, & regnum cœleste lucrifaciẽdum. Lotharius & Hugo Imperatores Occidentis similiter Deo in religione se consecrarunt, vt eosdem hostes faciliùs vincere, & bona cœlestia lucrari possent. Porro Augusta & Theodora Imperatrices Orientis, Agnes, Cunegũdis, Elisabeth & Richarda Imperatrices Occidentis nonne idem fecerunt, & assumpto habitu monastico Deo se deuouerunt? *mundum deseruerũt, vt cœlum lucrifacerent.*

Carolomannus Rex Suetię, Bãba Rex Hispaniæ, Gerendus & Elteredus Reges Merciorum, Egbertus rex Notumbriæ, Inas Rex Saxoniæ, Ceolunphus Rex Nuhumbriæ, Offa Rex Angliæ, Pipinus Rex Italiæ, Rachisius Rex Longobardorum, Ramirus Rex Aragoniæ, Sigisbertus Rex Angliæ, Trebellius Rex Bulgariæ, & Veremundus Rex Castiliæ, nõne vt dæmones faciliùs subiugarent, & viam Regni Cœlestis tutiùs perambularent, regnis suis renunciarunt, & monasteria, vt Diuino obsequio se consecrarẽt, ingressi sunt. Alfreda, Edelburga, Eteltrada & Sesburga Reginę Angliæ: Adoëra, Butilda, & Radegundis Reginæ Franciæ: Nerneca & Therasia Reginæ Hispaniæ: Cungundis Regina Poloniæ, & Sãcia Regina Siciliæ, nonne & ipsæ regna mũdi deseruerunt, & monasticæ vitæ se addixerũt, vt tanto expeditiùs dœmones superarent, & fœlicissimum ac beatissimum illud cœleste regnum acquirerent.

Prætereo multos filios & filias Imperatorum

rum & Regum, qui cum regna & imperia obtinere potuissent, illa recusarunt & deseruerunt, vt in religiosorum familijs Deo se deuouerẽt, & ab humanarum rerum cura soluti dæmoni fortiùs resisterent, & ad cœlestem patriam expeditiùs tenderent. Ex omni numero, duas duntaxat quæ nostra ætate vixerunt nominabo. Notũ est omnibus, Margaretã filiã Maximiliani Imperatoris, & Mariam sororem Philippi secundi Regis Hispaniarũ relictis sponsalitijs regijs & mundo, summo cum spiritus feruore sacris se virginibus adiunxisse, Deoq; consecrasse, quo communem humani generis hostem meliùs debellarent, & promptiores atque expeditiores essent ad præmiũ æternæ beatitudinis lucri faciẽdum. Proferrem hic plurimos Duces, & inter illos Algerium Ducẽ Aquitaniæ, Arcigradum & Dietlãdum Duces Sueuiæ, Guilhelmum Ducẽ Vasconum, & alium Guilhelmum Ducem Burgundiæ, Vigesium, Longobardum Ducẽ Spoletanum atq; innumeros alios Principes, Duces, Marchiones, Comites, ac Barones, qui propter amorem superni regni, vt nimirum liberiùs acquisitioni illius studerent, & inimicos, quibus nil aliud curæ est quã præcludere nobis iter ad regnum cęleste faciliùs superarent, dignitatibus suis renunciarunt & religiosorum familias ingressi, Deo reliquum vitæ suæ tempus consecrarunt.

Verùm ne in re omnibus manifesta lõgior sim, supersedeo. Hoc regnum fœlicissimum, operibus pœnitentiæ, & contemptu mundi acquiritur. O Animę dilectæ, videte, quo pretio electi illud sibi coemerint, imò ipsemet

Fili-

Filius DEI, & eodem vobiſmetipſis illud coemite.

Dicite quæſo, ſi mercatorē Regium pannū auro intertextū, coemēdi cauſa accederetis, & is poſtularet pretium maius fortè quàm velletis? quin & vobis minus offerētibus replicãdo diceret: Ite ad illū & illū, chariſſimos amicos meos: imò ad dilectiſſimum filium meum, mihi cohabitãtem, & de pretio inquirite: & quantum ipſe mihi ſoluit, tantum & vos perſoluite, nonne diceretis, verè tantum valet pãnus quantū poſtulat. Ecce Deus vult nobis vendere pretioſiſſimum gloriæ ſuę pãnum pro pretio operum pęnitentiæ, ac tolerantiæ. Si nimis magnū hoc pretiū vobis eſſe videtur, Ite & videte quo pretio ſanctis, electis & amicis ſuis illud vēdiderit, & animaduertetis illos ſibi cęleſtem gloriam afflictionibus, martyrijs, & crucibus cõparaſſe. Imò videte quo pretio illud vēdiderit amantiſſimo filio ſecum manēte, iuxta illud. *In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum.* & audietis dici vobis apud S. Lucam & S. Ioan. *Oportebat Chriſtum pati & ita intrare in gloriam ſuam.* Noli igitur credere ô Chriſtiane te ſine aduerſitatum perpeſſione ſolis iocis ac delectationibus illud obtenturum, quia falleris: Audi S. Paulum. *Si compatimur & Corregnabimus.* Proinde qui pati recuſat, & bona opera rirenuit, nunquam ſe illud conſecuturum ſperet. Audi quæ dicturus ſum, & conſolationem accipe: Veruntamen benè operare, & libenter omnes ſuſtine.

Simile.

Ioan. 1.

Luc. 42.

VI.

Regnum cœlorum solis victoribus conferri.

QVilibet Christianus virtute fidei habet ius ad regnum cœleste, sed possessionem illius non adit, nisi acquirat illud domando carnem, vincẽdo mundum, triumphãdo de diabolo, & bona opera exercẽdo. Non audis Christum Regẽ huius regni solis hoc victoribus promittere? *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Imò inquit ille, quòd quemadmodum Pater, fecit illum sedere in Throno regio, eò quòd in terra tres humani generis inimicos Mundum, Carnẽ, & Diabolum superasset, nos quoq; si eius exemplo eosdem hostes deuicerimus, faciet secum sedere, tãquam nouos Reges, in throno suo, *Qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici & sedi cũ Patre meo in throno eius.* Si oportuit illum vincere inimicos, vt ad dexteram Patris in Paradiso sederet, quomodo sperare possemus nos vnquam obtẽturos thronum hoc regnum nisi vicerimus? Vincere igitur oportet in hoc mundi campo diabolum & cæteros inimicos, qui nobis aditum ad cœlestem paradisum præcludunt, benè operando, si volumus Regni huius possessione potiri, ad quod per fidem ius habemus. *Venite possidete regnum vobis paratum ab origine mundi.* Videtis Christum hîc loqui de possessione, non autem de iure. *Possidete*; quę possessio non nisi vincenti datur. Si oportuit Christum, Apostolos, & omnes sanctos vincere: oportebit nos quoque vincere. *Nam Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Nę putes igitur ô Christiane te otio & manibus in sinu consertis illud obtenturum: vel

Apoc. 2. *Apoc. 3.* *Matth. 25.* *Matth. 11.*

veliocis & voluptatibus illo potiturum. O quam indecens & absurdum est videre inter Christianos, qui pro acquisitione Regni huius decertant, tot vanitates, quot hodie conspiciuntur. Dicite fratres, si Rex quispiam certamen quoddam pro acquisitione alicuius Regni, designasset, cui ipse & omnes illius familiares, vnâ cum multis alijs militibus interessent armis optimè instructi, ad bella in spaciosa campi planitie, decertandum: quidam verò inter illos adeò vani essent, vt vice armorum vterentur vestibus byssinis, loco galeæ pilio serico, scuti autem loco tenerent sinistra manu fasciculum florum, & dextra vice gladij flabellum, tanquam exijssent ambulatum diebus anni maximè serenis & amœnis. Dicite quęso an non derideretis illos? an nō admiraremini illorum stultitiā? an iudicaretis illos præmio dignos? an non Rex maiorē haberet causā illos corripiendi, quā honoribus aut præmijs afficiēdi? Heu quàm multi nostrum versantur in perniciosa hac stultitia. Audite. Christus Rex & Dux noster in magno campo Ecclesiæ militantis sustulit vexillum crucis, vt quisquis vellet sub signis eius militaret ad acquiredum cœleste regnū. Ipse tribulationibus, mortificationibus, tormētis, & operibus bonis se armauit: idem fecerunt Apostoli & discipuli familiares illius, idem alij viri & fœminæ iustitia & sanctitate insignes, vt beatissimum hoc regnum acquirerent. Et tamen plurimi, ne omnes dicā, non imitamur illos, sed abijcimus arma hæc optima, & vanitatibus, voluptatibus, & gaudijs huius mundi tantum intendimus. O summā

Simile.

stul-

stultitiam risu imò lachrymis dignam. Quod igitur præmiũ sperare poterimus à Deo Rege & Duce nostro in paradiso? Quomodo hac ratione Regnũ quibimus obtinere? Si *Regnũ Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Cur nõ potiùs timemus ne à summo Rege inde eijciamur, & ad infernũ relegemur. Non videtis Dominũ promittere possessioné
3. huius Regni omnibus qui vicerint per pœni-
Matth. tentiam? *Pœnitentiam agite, & appropinquabit vobis Regnum cœlorum.* Qui amore illius patiũ-
Matth. 5. tur afflictiones & calamitates. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Qui renunciant rebus mundi, vt minimum, affectu. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*
Matth. 25. Qui promerentur illud bonis operibus. *Venite possidete regnum vobis paratum ob origine mũdi, quia esuriui, & dedistis mihi manducare: nudus eram, & vestistis me: hospes eram & collegistis me.* Licet sufficiat tibi fides, Christiane, quoad *ius* illius Regni, attamen non sufficit quo ad possessionem. Nam ad hãc necessariò requiruntur bona opera. Si possessione Regni illius frui vis, non sufficit tibi fide Christianũ esse, nõ, sed necessarium est, vt talis sis opere.
Genes. 2. Nescis quid sacra Genesis dicat. *Sex diebus operatus est Deus, septimo autem die requieuit ab omni opere quod patrarat.* Non ideò istud dictũ est, quòd Deus lassitudine confectus indigeret requie: sed hoc dicto (vti S. Pater Augustinus in Genesim ait) insinuatur, Deum promittere illis requiem cęlesté, qui in præsenti
S. August. vita bonis actionibus insistunt. *Non enim fatigatus erat Deus*, ait ille, *vt diceretur requieuit Deus,*

Deus, sed in illo verbo tibi laboranti requiem promisit Hæc requies non datur sex diebus præsentis vitæ in quibus nos laborare oportet, sed septimo qui futuræ vitæ figura est. Non obseruastis quid sacra scriptura dicat de sex alijs diebus? *Factū est vespere & mane dies primus factū est vespere & mane dies secūdus*, & sic de cæteris, excepto septimo, in quo nō fit mētio vesperi & mane, licet nō secus, q̄ alij suum vespere habuerit. O sublime mysterium: alij habebāt suum vesperum & hic solus dicitur illo carere, vt significaretur nobis in pręsenti vita sex diebus præfigurata nō tantū esse mane gaudij & voluptatis, sed etiam vesperum dolorum, & miseriarum. Vel dicamus sic. In præsenti nullum esse mane quod non habeat suum vesperum, id est, nullam esse voluptatem, nullam lætitiam, nullum gaudium, nullam requiem, quæ non habeat vesperum, id est, finem suum. At voluptates, gaudia & quietem alterius vitæ in septimo die figuratæ esse sine vespero, nullum habere finem sed ęterno tēpore durare. Vnde S. Paulus ait: *Qui enim ingressus est requiē eius, etiam ipse requieuit ab operibus suis sicut & à suis Deus*. O Christiani, si tantum laboris sustinetis pro acquisitione alicuius terrenæ dignitatis, si pro illius consecutione omnia vestra, imò ipsam etiam vitam periculo exponitis, quæ tamen diutius durare non potest quam præsens vita, imò sæpenumero postquam obtenta est, post breue tempus perditur: quantò magis laborandum vobis est pro dignitate cœlestis regni, quæ perpetuò durat, & finem non habet, cōsequenda. Quantò magis omnia vestra, vos-

Regnum cœleste be agendo acquiritur.

Heb. 4.

metip-

metipsos, vitam denique ipsam pro huius ingẽtis gloriæ, quę semper vestra erit sine amissionis metu, adeptione impẽdetis. Eia igitur fratres in regni huius acquisitione nolite plꝰ temporis perdere. Si vultis facilè illud obtinere poteritis. Verùm quo medio ac pretio? Nullo alio quam si vosmetipsos Deo donetis: Audite quid S. Pater Augustinus in Manuali dicat: *Attende, ô homo, quòd regnum cœlorum venale est, tamen aliud non quærit pretium nisi teipsum: tantum valet quantum es, da teipsum & habebis illud.* Sed aduerte quod teipsum nõ mundanum, non carnalem, non peccatorem, sed bonum, iustum, sanctum, & dignum illa permutatione Deo donare debeas, alioqui pretium nõ erit sufficiẽs ad hanc emptionẽ. Sed tempus est vt sermoni huic finem imponam, nam dies, menses, & anni integri ad omnia de hisce gaudijs prosequenda, non sufficerent. Eia igitur quærite regnum hoc tam fœlix, vbi nõ est ignis, qui exurat, aer qui turbet, aqua quæ submergat, terra quæ contremiscat, Cometa qui malum prænunciet fax cœlestis, quæ oculos perstringat; tonitrua, quæ exterreant, fulmina, qui prosternãt, fulgura quæ consument. Vbi non est siccitas, quæ terram sterilem reddat: tempestas quæ collecta disijciat, venti qui perstrepant: pluuia, quæ madefaciat: pruina, quæ congelet: ros qui humectet. Vbi non est procella, quę submergat: terręmotus qui exterreat: frigus, quod offendat: calor qui molestet: infirmitas, quæ eneruet. pestis, quæ enecet: annonæ caritas, quæ famẽ inducat: bellũ quod premat: nec vlla alia calamitas, quæ affligat. O Regnum fœlix quod

Modus acquirendi regnum cœleste.

S. August.

caret

caret discordia, inimicitia, malitia, violentia, labore, timore, pœna. Vbi nulla est paupertas, nulla necessitas, nullus dolor, nulla mors. Vbi est tranquilla pax, summa charitas, requies secura, summum gaudium, iubilus infinitus, lætitia æterna. O regnum fœlix vbi lux est sine tenebris, dies sine nocte, ver sine hyeme, abundantia sine inopia, pax sine discordia, dignitas sine timore, diuitiæ sine metu amissionis, regnum sine mutatione. O beatū regnū, vbi est lætitia sine tristitia, sanitas sine languore, salus sine dolore, iuuentus sine senectute, vita sine morte, perpetuitas sine corruptione, beatitudo sine calamitate, omnia deniq; bona sine vllo malo. O fęlix regnum vbi perpetuò est amænitas veris, pulchritudo & splēdor æstatis, abundātia autumni, requies hyemis. O fœlix regnum, vbi pulchritudo non euanescit, sanitas nō infirmatur, agilitas nō pigrescit, lux nō obscuratur, lætitia nō imminuitur. O Christiani conemini ascēdere ad hoc regnū, & nolite exanimari propter nimiā illius distantiam, nec desperare de altitudine. Etenim eadē facilitate qua dæmones ad ima terræ loca corruerunt, vos ad superna concedetis. Nam dextera fortis, quæ illos in profundum inferni præcipitauit, vos ad summitatem cœli in momēto euehet. O fideles deuotæ orationes, ex charitate profectę eleemosynę, grata ieiunia vobis addent velocissimas alas, quibus ad supernam patriam euoletis: has promouebit ventus suspiriorum procedentium ex corde verè contrito de peccatis, diuina gratia, deinde quæ verè pœnitētes semper comitatur erit dux vestra, quę viam certā vobis osten-

ostendet, adeò vt aberrare non possitis. O quàm fœlici & beato itinere pergetis, si dum viuitis, in operibus bonis & virtutibus sanctis vos exercueritis, quia humilitas vos eleuabit supra terram, paupertas supra aquam, ieiunium supra aerem, eleemosyna supra ignem, fides supra Lunā, spes supra Mercurium, Charitas supra Venerem, Prudentia supra Solem, Fortitudo supra Martem, Temperantia supra Iouem, Iustitia supra Saturnum, aliæ virtutes supra Firmamentum, Conuersio perfecta supra primū mobile, puritas cordis supra Christallinum, bonitas denique & sanctitas vitæ faciet vos ingredi cœlum Empyreum quod est Regnum Dei & beatorum. Conemini obsecro his bonis operibus, & sanctis virtutibus cœlum conscēdere, vosque ciues reddere cęlestis Hierosolymæ, & superno regno dignos, quod plenum est immenso lumine, & inæstimabili gloria. Quod largiatur vobis Deus qui in hoc regno viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

FINIS.

MALO
d posse) A.
ca loqui.

inibus B
m.

ELORVM
RISTIPA
GLO·





Conciones

De 4: novis